This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

## Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

## About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

[illegible]

dupl
52873

# NOVA
# ACTA
# ERUDITORUM
## ANNO 88015
## MDCCLXII.
publicata.

*Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.*

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. et IOH. LUCHTMANSIOS: et Amſtelodami in SCHREUDERI et MORTIERII iunior. officinis.

MDCCLXIII.

# LECTORI BENEVOLO

## SALUTEM.

*Etſi non eſt opus praefari multa, cum hoc Volumen Actorum Tibi tradimus, Lector; propterea quod nec conſilii noſtri rationes, edendis Actis, quemquam fugiunt, nec nos putamus a vetere more aliquo modo adhuc diſceſſiſſe: tamen rogandus es, ut ne lentorem editionis, torpori ſcribentium aut ignaviae tribuas, ſed potius ſeptenni calamitati bellicae, quae nos paene oppreſſit, rerumque noſtrarum omnium perturbationi. Dabimus operam, ut, pace iam terris noſtris totique orbi conceſſa, in quo ſummum Dei O.M. beneficium agnoſcimus, celerius noſtra ad Te veniant. Id autem ut*

commode, atque ex voto noſtro fiat, vehementer rogamus Viros doctos regionum exterarum, ſed ſimul et Bibliopólas, ut quae ediderint, ea mittant ad nos, quemadmodum olim viventibus Menkeniis liberaliter feciſſe Italos, Anglos, Batavos, Gallos, grati meminimus; certoque ſibi perſuadeant, non commiſſuros Actorum Eruditorum Collectores, qui nunc ſunt, ut vel diligentia, vel accuratione, inferiores ſint iis, qui olim fuerunt. Ita Vale, Lector, et ſtudiis noſtris favere perge.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,
*publicata Lipſiæ*
*Calendis Ianuarii Anno MDCCLXII.*

## *ALSATIA ILLUSTRATA, GERMANICA, GALLICA. Auctor IO. DANIEL SCHOEPFLINUS, Conſil. et Hiſtoriographus Regius.*

Colmariae 1761. ex typographia regia, 4. Alph. 14. plag. cum tabb. aen.

Satis, ut putamus, Illuſtris Schoepflini opus olim laudavimus, idque, pro meritis ſummi in hoc genere viri, ſummis. Cuius nunc alter Tomus hic eſt, qui periodum hiſtoriae Alſaticae primum Germanicam, deinde Gallicam, ſplendido volumine, ac laborioſo, complectitur. Verum illa ipſa iterum duplex eſt. Prior enim pars deſcriptionem terrae ipſius, urbesque ac villas, altera genealogias clarorum virorum continet. Qua in re quantum laboris ſit, ex eo ipſo ſatis, ut opinamur, declarabitur, quod tota illa deſcriptio vetus Alſatiae quam obſcuriſſima eſt, atque tamen adeo neceſſaria, ut fruſtra de claris viris, qui hanc vel illam partem regimine obtinuerint, quaeras, niſi hoc ante omnia manifeſtum ſit, quae fuerint regiones quibus imperarint. Atque cum etiam hoc ſit abunde demonſtratum, nomen gentilitium ante ſaeculum undecimum non fuiſſe in uſu, quivis noſtrum facile videt, quam magna pars illius confuſionis, in hiſtoria Alſatica, ſoli huic rei ſit tribuenda. Olim reges et imperatores omnia ſumma poteſtate obtinebant, quorum ſucceſſores negligenti indulgentia ſua effecere, ut multi reguli pro uno rege ſenſim ſe extollerent; quo facto vis regia in-

inſigniter debilitata eſt, inprimis vero in noſtra Germania. Habet autem hanc felicitatem Alſatia, ut plurima diplomata ſervet adhuc, quae ſane hiſtoriam excellenter adiuvant. Inſtat itaque Tomus tertius ſplendidi huius operis, qui propediem edendus, diplomaticam Alſatiam exhibebit. Alſatiam denique ſacram et litteratam alii libri pertractabunt. Venimus nunc ad hunc Tomum ordine ſecundum, in eoque ad periodum Germanicam. Continet autem ea ſpatium ſeptingentorum ſeptuaginta octo annorum, quae a Procaſpidana Lotharienſis regni diviſione, usque ad pacem Weſtphalicam progreditur, atque Germanica dicitur, quod pars tunc Germanici Imperii Alſatia fuit, Germanicisque moribus legibusque, ita ut olim Celticis, Romanis, Francicis, gubernata eſt. Convenerat autem inter filios Ludovici pii, cum patrium regnum inter ſe dividerent, ut ſummo quisque iure regna poſſideret ſua. Obtigit itaque Alſatia Ludovico, fratrum ſecundo, quae denique poſt Ludovici infantis mortem coniuncta cum Germanico imperio, ad Conradum Ludovici ſucceſſorem devenit. Verum id tempus in tres iterum partes eſt quaſi diſſecandum. Prima ab ao. 870 - 916. quibus coniuncta Alſatia cum Lotharienſi regno fuit, atque cum eo ipſo vacillavit, nunc Gallis eam, nunc Germanis ad ſe trahentibus. Altera pars eſt ab anno 916 - 1268. quo cum Conradino Suevica ſtirps interciſa eſt: namque eo tempore avulſa a Lotharienſi regno, cum Alemannia coniuncta, Ducibus paruit ſuis. Tertia denique pars erit ea, qua uſque ad pacem Weſtphalicam, ſine Ducibus, libera, atque ſoli Imperio Germanico ſubiecta fuit. Agit vero Auctor latius de diverſis diverſorum temporum limitibus Alſatiae: quae res quoniam minime eſt talis, ut harum pagellarum brevitati conveniat, lectorem benevolum potius, ſi ita volupe eſt cognoſcere, ad Auctorem ipſum tranſmittemus. Venimus potius ad id tempus, quo ſub ſuis ducibus Alſatia fuit. Accepit enim Alſatia, coniuncta Alemanniae, Burcardum Suevum a Conrado Imp. Ducem. Itaque initio Imperatoribus ſubiecti erant, ut nihil contra hos poſſent,

ſent; at ſenſim partem maieſtatis regiae maximam in ſe transtulerunt. Hic ducatus cum anno 1208. extinctus, ut diximus, eſſet, denuo in minora regna ſciſſa eſt Alſatia, ita ut ſinguli dynaſtae, ut equeſter ordo, ut oppida, caput extollerent. Saepe etiam inter ſe bella geſſerunt, donec Maximilianus pacem in Imperio perpetuam ſanciret. Agamus vero iam de Geographia Alſatiae ante quam ad Hiſtoriam Germanicam, Gallicam, deveniamus, quod proxima recenſione fiet. Diviſa vero eſt Alſatia in ſuperiorem et inferiorem. Videndum itaque iam de ipſo Landgraviatu, deinde de terris quas complectebatur. *Landgraviatus* nomen in monumentis Alſaticis ante ſaeculum XII. non invenitur. Landgravii vero non demum poſt extinctos duces extiterunt, ſed duces ipſi interdum Landgravii ſunt appellati. Landgraviatus autem eſt munus iuris dicundi, aut ditio in quam ius dicitur; nos vero poſteriori ſignificatione utimur. Landgraviales vero hae Alſatiae terrae quatruplicia bona continent, gentilitia, feudalia, allodialia nova, et fiſcalia. Landgraviatus Habſpurgico Auſtriacus tres habebit epochas: primam *obſcuram* quam Auctor dicit, deinde Habſpurgicam, denique Habſpurgico Auſtriacam. Ipſa Landgraviatus dignitas crevit variis muniis additis, ut Pincernae, ut Maioris domus, ut Mareſchalli dicerentur, quae ante dominationem Helveticam ad Habſpurgum pertinuerant. Maieſtatica vero iura quaecunque tandem Germaniae Proceres alii habent, eadem etiam hic Landgraviatus habuit ſecum coniuncta. Aliud itaque tempus erit id, quo nihil harum rerum Landgravii obtinuere; aliud id, quo ea iura obtinuerunt, quod ſenſim factum eſt. Relatus vero eſt inter feuda imperii vexillifera etiam tum, cum nondum omnia illa obtinuiſſet; ſeſſioneque in Comitiis et ſuffragio gaviſus eſt. Ponunt publici iuris doctores Landgraviatum noſtrum inter principatus. Qua de re varie a variis multa dicuntur, optima vero ſententia eſt, non fuiſſe vere principatum ſed perſtitiſſe in claſſe comitatuum. Saeculo XV. Landgraviatus hic oppignoratus eſt per quinque annos, a Sigismundo Auſtriae Archiduce, Carolo Bur-

gundo pugnaci. Sed cum avare Alſatis imperaretur, deſciverunt ad veterem dominum, qui, ut fidem exſolveret, tamen creditam pecuniam reddere conſtituit, quae cum accepta a Carolo non eſſet, tandem tota res cum pernicie huius finiit. Iudiciorum forma multiplex et intricata eſt, quam apud Auctorem optime quis cognoverit. Tandem, exacto bello vicennali, Alſatia Gallis conceſſa eſt, cum magna pars ipſius belli in ea regione geſta eſſet. Iam vero diſputare quis poſſit, Landgraviatus ne tantum, an vero ipſa Alſatia ſit ad Gallos hoc pacto delata? quorum poſterius Auctor defendit. Verum nos totam diſputationem minime iam noſtram faciemus, poſſent enim multa in utramque partem hac de re adhuc diſputari. Nunc autem per ſelectos viros, conſilium regium vocant, Alſatia regitur a Gallis. De Landgraviatus ſuperioris inſignibus doctiſſima quaeque Schoepflinus, atque de origine horum inſignium, commentatur. Haec itaque de Ducatu et Landgraviatu dicta ſunto: iam veniendum eſt ad minores Comitatus, quos provincialis ille complectitur. Pagus univerſa Alſatia dicta fuit, verum id dein evanuit. Alſatiae quidem Sundgaviae pagus annumerari interdum ſolet, prout Alſatiae vox latius ſtrictiusve accipitur: Sundgavia autem comitatum Pfirretenſem, de quo nunc agemus, in ſe complectitur. Pfirretenſis comitatus caput eſt caſtrum Pfirreti, mundum illud, pro antiqua ratione, cui adiectum eſt oppidulum. Eiusdem nominis dynaſtia Pfirretenſis in ſex Maioratus diviſa fuit: Wolfsweiler, Mernach, Pfeterhauſen, Muſpach, Rieſpach, Buxweiler. Feuda huius dynaſtiae ſunt: Moremontanum, Blochmontanum, Loewenberg, Liebenſtein, Leimen, Pieterthal, Waldeck, Reineck, Rottersdorf, Ober-und Niederhagenthal, Liebensweiler, Durmenach, Münchendorf. Regio ipſa non ſatis fructuoſa, multisque olim bellis vexata, fortes ut ſolet incolas tamen habet. Ipſa ſub Auſtriaco imperio perſaepe oppignorata fuit. Optima pars Comitatus Pfirretenſis, dynaſtia Pfirretenſis eſt, eaque uberrima. Id in genere annotatum eſto, paucas eſſe regiones, quae non aliquoties ab Auſtriacis op-

pigno-

pignoratae fuerint. Caſtrum in ea eſt, cum oppido, primarium Altkirch, quod a Ducibus Auſtriacis ſaepe frequentatum eſt. Maioratus habet ſex: Maioratum ad Largam, Maioratum Vallis Huntzbach, Maioratum Bettendorf, Ballersdorf, Ilſurth, et Hochſtett. Feuda ſunt haec: Heimersdorf, Hagenbach, Hirtzbach, Heydweiler, Freningen, Luemſchweiler, Karſpach, Brunſtatt, Riedisheim, Pfaffſtatt, Biſs, Zillisheim, Illzach, Lauterbach. Alia dynaſtia eſt Thannenſis, cuius caput erat caſtrum Engelburg, a quo non multum abeſt Thanna oppidulum, quod varia privilegia, varios magiſtratus, varia denique fata habuit. Dividitur autem dynaſtia haec in iudicium oppidi, duas praeterea Advocatias, et quatuor Maioratus. Iudicium ipſum in maioratus minores iterum dividitur. Advocatiae ſunt, Burnhaupten et Traubach, quae iterum in maioratus minores diſtinguuntur. Maioratus denique maiores ſunt Balſchweiler, Sultzbach, Reiningen, Risbach. Feuda habet: Schweighauſen et alia. Alia Dynaſtia eſt Belfortenſis, in qua eſt primum caſtrum, deinde oppidum Belfort, ab amoena regione ita dictum. *Dynaſtia* ipſa in quinque diſtrictus tribuitur: Advocatiam Belfortenſem et Ingelſodenſem, Aſſiſienſem Maioratum, Roſemontanum et Delenſe Dominium. Delae originem et fata latius Auctor tractat. Delenſe varia in ſe complectitur: habuit enim olim decem maioratus, et feuda Florimontanum, Monſtrolienſe, Granvillarienſe, ac Froburgenſe. Dynaſtiae Belfortenſis rationem, indolem praeterea terrae, et fata, pluribus Auctor noſter declarat. Dynaſtia nunc explicanda eſt Rothenburgenſis, cuius fata primum, deinde etiam Parochia Pfaffenſis, quae eo pertinet, et caſtrum Roppach, deſcribuntur. Dynaſtia Landſeriana caſtrum et oppidum Landſer complectitur, et Scultetatus, namque [illegible] diviſa eſt. Praefectura ſuperior tres Scultetatus habet, Landſerium, Kappellen, Ober-Michelbach; quo etiam vici referuntur, Dietweiler, Schlierbach, Bladoltzheim. Inferior Praefectura quatuor Scultaſias habet, Habsheim, Rixheim, Sawisheim, et Othmarsheim. Feuda Landſeriana ſunt Huninga, Bartenheim,

heim, Sirentz, Ober- et Nieder-Steinbrunn, Brubach, Eſcholtzweiler, Zimmersheim, et alia quaedam. Habet vero ibi etiam eccleſia Baſilienſis quaedam feuda, Haegenheim, Burgfelden, etc. De origine et fatis varia deinceps, ſed, quod ſemel annotaſſe ſuffecerit, minime iam iſta poſſunt exſcribi, quod minutiora ſunt. Maſonianae Dynaſtiae, Maſonis monaſterium Saec. VIII. cond. nomen dedit. Maioratus ea habet duos, ſuperiorem et inferiorem. Iam de variis Dynaſtiae fatis. Senheimium ſequitur. Frequens oppidum ita dictum, ad quod pertinet etiam Steinbach et Birlingen. Venimus iam ad ditionem Enſisheim, olim vicum, deinde urbem. Variis Enſishemenſes gaviſi ſunt privilegiis. Ratio reipublicae qualis fuerit, quasque poſſeſſiones tenuerint, ea de re plura dicuntur. Sequitur Dynaſtia Iſenheimenſis, minima illa ex omnibus quas recenſuimus. Olim Abbatiae Murbacenſis patrimonium fuit, variasque rerum mutationes experta eſt. Pertinent ad eam vici: Oſtheim, Merxheim, et Retersheim. Feuda ſunt praeterea, quae variis nobilium familiis collata, nulli tamen Dynaſtiarum annexa fuerunt; cuius generis ſunt Staffelfelden, Meyenheim, Hattſtat, Voegtlinshofen, et Egisheim caſtrum, cum vicis quinque, Oberensheim, Oberheringheim, Niederheringheim, Holzweiler, ac Wickersweiler. In comitatu Egisheimenſi id animadvertas, olim ſatis clarum fuiſſe, nunc autem plurima obſcuritate eſſe involutum; nam in partes diſcerptus, aliis ditionibus acceſſit. Horburgenſis comitatus, caſtrum Horburg et Anſoldsheim, Sundhofen, Appenweyer, Wolfgangsheim, Algolsheim, et Volgelsheim, Dürren-Enzen, et nonnullos alios viculos minores habet. Feuda a comitatu Horburgenſi pendent, caſtrum Barbenſtein, vicique Kunheim et Baldenheim. In territorio Horburgenſi munitiſſimum praeterea oppidum eſt Neobriſacum, porro vici Wettelsheim et Widenſol. Dynaſtia Richovillana ab oppidulo Reichenweyer, quod ibi primarium eſt, appellata fuit. Vici eo referuntur Hunaevilla, Oſtheim, cum vicis Altweyer et Bilſtein. Quae mutationes rerum ibi fuerint, diligenter Auctor exponit.

Mun-

Mundatum Rubeacenſe, ita enim dicitur, nunc nobis eſt conſiderandum. Emunitas haec Rubeacenſis antiquiſſimum eſt eccleſiae Argentinenſis patrimonium. Pertinet eo Iſenburgum caſtrum, porro civitas Rubeacum, olim Regum Meroveadum amoena ſedes. Valida urbs fuit, ſed propter id ipſum bellorum calamitates quamplurimas experta. Formam regiminis apud Auctorem videris. Pfaffenheim, praeſtans vicus, e ruderibus trium arcium quaſi ſurrexit. Vici eo pertinent Gebersweiler, Sulzmatt, Weſthalten, Orſchweiler, Gundolsheim. Caſtrum etiam olim fuit Spiegelburg, quod dirutum eſt. Advocatia, quam Sulzam mundaticam appellant, complectitur primum oppidum Sulzam, de quo varia memoratu digna referuntur; porro viculos Wunnenheim et Rimbachzell. Tertia Emunitatis Advocatia, ex Egisheim, Wettelsheim, et Morſchweiler, componitur. Feuda ab Emunitate pendent Freundſtein, Olweiler, Herlisheim, Schranckenfels, Iungholz, Sulzbach, oppidum St. Crucis. Vici quoque huc olim pertinuerunt, Wolfenheim, Bliensweiler, et Dingsheim, iam diruti. Iam qualis olim fuerit facies et ordo *Emunitatis Rubeacenſis*, quae mutationes, ea de re varia monentur. Quo in loco ſubit mirari inconſtantiam rerum humanarum. Adeo omnia ſurſum deorſum ferri, ut urbes vici, vici urbes fiant, caſtella terrae aequentur, et nova alia aliis in locis ſurgant. Iam niſi ex hoc intelligitur, quam minime deus noſtras curas velit in terra occupari; ſi hoc inter has clariſſimarum arcium urbiumque nudam memoriam non diſcimus, certe nunquam diſcemus. Murbacenſis Abbatiae territorium tres Advocatias habet. Primam Gebvillanam, in qua primarium eſt urbs Gebvilla. Incrementa, fata, et iura, magiſtratusque rationem, et cives qui fuerint, non ſine voluptate lector cognoſcet. Fuerunt in ea regione tria caſtra, Hugſtein, Angraet, et Ungerſtein, de quibus mox. Vici ad Advocatiam Gebvillenſem pertinent, Bühel, Lautenbach-Zell, Sengern, Bergholz, Bergholzzell. Hugſtein et Hohenrupf, caſtella, iam nunc nonniſi in ruderibus viſuntur. Watvillana, altera Advocatia, habet oppidum Watvillam,

de

de quo varia poſſunt legi; Uffenholz deinde, et Herrenfluch, caſtrum. Tertia Advocatia eſt vallis St. Amarini, cui adiacet oppidum St. Amarini, quod ad eam Advocatiam pertinet, veluti et caſtrum dirutum Fridburg. Vici praeterea Waeſſerling, Ranſpach, Moſch, Moſchbach, Werscholtz, Geishauſen, Altenbach, Goldbach, Neuhauſen, Weiler, Bitſchweiler, Orbey; praeterea Storckenſon, Molau, Húſern, Mitzach, Malmersbach. In valle ſuperiore vero, nam antea de inferiore agebamus, ſunt caſtrum Wildenſtein, ſaepe illud expugnatum, et vici Greuth, Odern, et Velleringen. Fata vallis ipſius, et Advocatiae, adiiciuntur. Feuda Murbacenſium et Nobilium poſſeſſiones ſunt: Angraet, Ungerſtein, Huſenburg, Hirtzenſtein, Stoerenburg, caſtra: vici Berweiler et Beroltzweiler. Obſervationes variae de Abbatia Marbacenſi ſequuntur. Collegiata Lautenbacenſis, quam dicunt, poſſidet primum Lautenbach, ſedem illorum Canonicorum, Schweighauſen, Linthal, et Hoeffen. Dynaſtia Bollvillana habet caſtrum Bollweiler, et Feldkirch, Bulversheim, Regisheim, Heimsbrunn, et Flachsland. Fata Dynaſtiae huius recenſentur. Dynaſtia Landspurg habet caſtrum olim facile nobiliſſimum Landspurg praeterea Wintzenheim, Turckheim, Morſchweiler, Ingersheim, Katzenthal, Ammersweyer, olim villam regiam, poſtea oppidum, quod varia iura adhuc habet; Kiensheim oppidum, Sigolsheim, et Lagelnheim, vicos. Fata dynaſtiae, et quomodo dominos mutaverit ſuos perſaepe, auctor deinceps exponit. Dynaſtia Rappoltſteinenſis nomen habet a Rappoldo, viro ditiſſimo Saec. VIII. Aedificaverat ille in rupe arcem, Hohe-Rappoltſtein dictam; et ſunt ibi duo alia caſtra, Girſperg et Gros-Rappoltſtein. Oppidum quoque adiacet primarium, Rappoltsweiler. Olim ſatis incrementorum cepit. Coenobia varia in ea regione fuerunt, nunc maximam partem diruta. Eſt deinde etiam Praefectura Gemarienſis, in qua eſt caſtrum et oppidum Gemaria, variis olim et diverſis fatis obnoxium; quo pertinent etiam vici, Illheuſern, Heidolsheim, Muſig, Breitenheim, Onenheim, et Iebsheim. Praefectura Bergheimenſis

menſis, in qua eſt vicus Bergheim, qui in urbem excrevit, de qua digniſſima notatu apud noſtrum invenies, ut et de fatis iuribusque civitatis. Vici adiacent Rorſchweyer, et Rodern. Quarta praefectura eſt Zellenbergenſis, ab oppidulo Zellenberga appellata, quod olim munitum fuit, cum caſtello ſuo. Vici eo referuntur, Bennweyer, Hauſen, Weiler. Quinta praefectura eſt Heiterheimenſis, in qua eſt primum vicus Heiterheim, deinde Ruſtenhard, Balgau, Weckolsheim, et Dürren-Logelnheim, etiam eo referenda ſunt. Sexta praefectura primarium oppidum habet Wihr, unde Wihrenſis cognominatur, et caſtrum Girſpurg, varias utrumque in bellis calamitates expertum. Vici adnexi ſunt Walbach et Zimmerbach, Plixburg praeterea caſtrum, vici Ginſpach et Griſpach, Waſſerburg deſtructum caſtellum cum vico. Praefectura Wihrenſis indolis feudalis nunc eſt. Septimum locum obtinet praefectura Orbeana, quae eſt in valle Orbeana ſ. St. Urbani. Hohenack caſtrum, quod multas mutationes rerum ſubiit, aliud caſtrum Iudenburg, vici et parochiae: Orbey, Urbach, Schnierlach, Diedolshauſen, Zell, et ſeptem alii viculi ad eam pertinent. Omnes ſunt binomines, aliter *Gallice*, aliter Teutonice dicti. Octava ordine eſt praefectura Markirchenſis, quae a loco potiore Markircha ita appellatur. Eſt ea vero in valle Leberia. Eam conſtituunt Eckerich caſtrum, Weyersburg, Markirch oppido ſimilis vicus, et alii vici, Fordelbach, St. Blaſii, Eckerich, Zyllhardt, Klein-Leberau, Oberdorf, et hi binomines. Pertinuerunt ad hanc Rappoltſteinenſem dynaſtiam etiam plura loca, quae nunc ad alias conceſſerunt. Univerſa feudalis eſt, dominio directo eius inter plures diviſo. Tandem urbs Bergheimum ei adnumeranda etiam eſt.

Accedimus iam ad Landgraviatum inferiorem. Nam cum Alſatiae Pagus in duos Pagos minores dividatur, Sundgoviam et Nordgoviam, atque unaquaeque peculiarem iurisdictionem habeat, in Sundgovia Landgraviatus ſuperior, in Nordgovia inferior conſtitutus eſt. Partes Nordgoviae tunc fuerunt, Hattgovia, Wasgovia, Spirigovia, Pagi; quae deinde diviſio paulatim

defecit, cum Proceres, imminuta Landgraviorum auctoritate, ipſi ſumma quaeque ſibi vindicarent. Inter dominia in Landgraviatu inferiori ſita, Landgraviatus ipſe ſtrictiore ſignificatu dictus olim eminuit; ſed terrae Landgraviales non ſemper unae eaedemque fuerunt. Feuda tunc ibi erant alia Imperii, quae auctor dicit, et ſubfeuda; alia Feuda Lotharingica, nec minus feuda Moguntina, feuda eccleſiae Argentinenſis, et ſubfeuda, Murbacenſia etiam. Quin etiam nonnulla quae allodia Landgraviatus eſſent. Sed totus ille Landgraviatus diſtractus deinde eſt ita, ut interiret penitus. Epiſcopus autem Argentinus, in terras ex Landgraviatu acquiſitas, Landgravicam quoque iurisdictionem accepit; quam totam diſtractionem lites infinitae ſubſecutae ſunt. Iam de inſignibus Landgraviatus, et veterum Landgraviorum, quaedam non iniucunda ſubiiciuntur. Siſtit ſe itaque nobis primo loco territorium Epiſcopatus Argentinenſis, quod dividitur in ſeptem praefecturas: Tabernenſem, Kocherſpergenſem, Dachſteinenſem, Schirmeckianam, Benfeldenſem, Marckolshemianam, Wanzenaugienſem. Caput praefecturarum epiſcopalium eſt Tabernenſis, in qua eſt urbs Tabernae, a Romanis, ut nomen arguit, condita. Fata oppidi, ad annorum ordinem, diligenter redegit Schoepflinus. Vici eius praefecturae ſunt, Sornhofen, Steinburg, Waldolvisheim, Klein-Goefft, Ottersweiler, et Munolsweiler. Caſtra porro Hoh-Barr et Greiffenſtein. Secunda praefectura eſt Kocherſpergenſis, a caſtro Kochersberg ita dicta: pertinet eo et caſtrum quod diximus, et vici Gugenheim, Rohr, Kuenheim, Dürningen, Ginsheim, Pfetisheim, Truchtersheim, Criechesheim, Ding heim, Offenheim, Doſſenheim, Klein-Franckenheim, Avenheim, Neugartheim, Utelnheim, Wilgotheim, Zeinheim, Rangenheim, Knoersheim, Weſthauſen, Iedersweiler, Kraſtatt, Meinolsheim, Lupenſtein, Leutenheim, Fridolsheim, Seſſolsheim; eo pertinuit etiam vicus Bettbur, qui tamen periit. Tertia praefectura eſt Dachſteinenſis. Ineſt ei Caſtrum et oppidum Dachſtein, variae fortunae utrumque, ſed caſtrum nunc plane dirutum eſt.

eſt. Molshemium deinde, civitas, cuius fata ad ordinem annorum Auctor congeſſit. Vici praeterea Gresweiler, Roſenweiler, Biſchofsheim, Griesheim, Altorf, Arnoldsheim, Ergersheim, Wolckshein, Avelsheim, Thalheim, Sulz, Biblenheim, Bergbietenheim, Hindisheim, Lipsheim, Holtzheim, Hürtigheim. Sed quod ſemel annotaſſe ſuffecerit, non omnes hi vici toti, ſed dimidia ſaepe, tertia etiam haud raro et quarta pars, quotquot hactenus territorio Argentinenſi annumeravimus, Epiſcopo ſunt ſubiecti. Quartum locum obtinet vallis et praefectura Schirmek. Caſtrum ibi eſt et ſubiacens oppidum Schirmeck; ſed principem locum obtinet oppidum Mutzig, cum adiacente caſtro ſatis munito. Vici ſunt Hermolsheim, Wege, Dingsheim, Still, Heiligenberg, Haslach ſuperior et inferior, Genſpurg, Urmat, Lutzelhauſen, Wich, Netzenbach, Herſpach, Wackenbach, Grendelbruch, Muckenbach, Raus, Steinbach, Schwartzbach, Berenbach, Naſsweiler, et alii olim vici, qui vero nunc diſparuerunt. Praeterea in Schirmeckiana praefectura fuerunt olim Girbaden, Ringelſtein, Hohenſtein, *Nideck*, *quatuor* caſtra. Fata praefecturae, et iura in eam epiſcoporum, ſequuntur. Nos vero ad quintam praefecturam pergimus, Benfeldenſem. Omnium ampliſſima atque ditiſſima, quae complectitur Bernſtein caſtrum; Benfeldam urbem, cuius res, quae olim acciderint, diligenter obſervatae ſunt; caſtrum Huſen, Elegia, Danbach, et Rhinovia, cuius utriusque hiſtoriam paucis A. complexus eſt: veluti id nunc in univerſum monitum ſit, auctorem de unoquoque loco, praeſertim maiore, ſolere addere, quid memorabile acciderit, aut in loco ipſo, aut propter illum. Alii vici ſunt, Epfich, Eichhofen, Kolweiler, St. Petrus, Northauſen, Kertzfelden, Stotzenheim, Bliensweiler, Itersweiler, Nothalten, Hüttenheim, Sermersheim, Kogenheim, Ebersheim - Münſter, et Sand, Matzenheim, Schaefersheim, Herbolzheim, Rosfelden, Frieſenheim, Wittisheim, Bindern, Hilzheim. Sexta praefectura Marckolsheimenſis dicitur. In hac eſt ipſum Marckolshemium, vicique ſupra hoc oppidum ſiti in Alſatia ſupe-

ſuperiori, Urſenheim, Baltzenheim, Artzenheim, Elſenheim: infra Marckolshemium, in Alſatia inferiore, occurrunt Heſſenheim, Richtolsheim, Schwabsheim. Plerosque hos vicos Landgravii inferiores ab epiſcopis, et ab his alii, tenuerunt in feudum. Septima eſt Wantzenaugienſis praefectura. Accenſentur ei vicus Wantzenaugia, Honau vicus in inſula Rheni, Reichſtett, Gamsheim, Suvelwegersheim, Weyersheim. Transrhenanae Epiſcopi Argentinenſis terrae duas in praefecturas, Oberkirchenſem et Ettenheimenſem, ſunt diviſae. Oberkirchenſis itaque praefectura habet haec: Oberkirch et Oppenau, oppida, Renchen, Cappel, Sasbach et Sasbachwalden, Ulm et Waldulm. Ettenheimiana habet Ettenheim, oppidulum, Ringsheim, Gravenhauſen, Cappel, Ettenheimweiler. Atque haec quidem trans Rhenum ſunt. Iam quoniam de epiſcopi ditionibus expoſuimus, etiam Capituli eiusdem eccleſiae terras videamus. Bannus Comitum, cuius caput eſt caſtrum Franckenburg: vici inſuper Breitenau, Grube, Gerute, Hirtzelbach, Dieffenbach, Neukirch, S. Moritz et Keſtenholz. Eodem pertinent Ebersheim, Erſtein, Krafft, Eſchau, Berſe oppidum; vici Nabor, Geiſpoltzheim, Lampertheim. Feudalem curiam Argentinenſis eccleſiae, quoniam toties inſigniter mutata eſt, Schoepflinus in veterem, mediam, atque novam diſtinguit. Veterem et mediam, ſi cui talium rerum curioſo volupe eſt cognoſcere, apud auctorem ipſum optime evolvet, per enim accurate his de rebus egit: nos tantum ea feuda recenſebimus, quae ad novam ſive hodiernam reſpiciunt, idque ordine quantum licet alphabetico, cum auctore. Sunt vero Achenheim et Schaftolsheim, Andlavium, Spesberg, Valf, Duttelnheim, Helmansgereuth et Bliensbach, Berſtaet et Olvisheim, Bettweiler, Biſchofsheim, Bolſenheim, Buesweiler, Düppichheim, Ebenheim inferius, Duttelnheim, Meiſtersheim et Flecksburg, coniuncta, Ensheim, Geiſpolzheim, Girbaden, Ichtersheim, Illkirch, Mulhauſen, Obenheim, Ramſtein, Oſthofen, Vendenheim, et Werd. Sunt vero et alia eccleſiae Argentinenſis feuda, eaque

eaque multo praeſtantiora, ſed quae aliis in locis ab auctore recenſebuntur. Terrae ſequuntur Spirenſis epiſcopatus, et huic coniunctae Praepoſiturae Weiſſenburgenſis, quotquot earum in Alſatia ſunt ſitae. Itaque ad Alſatiam hae tres praefecturae pertinent, Lauterburgenſis, Madenburgenſis, et Dahnenſis; quibus ſubiunguntur duae Weiſſenburgicae, Altenſtadienſis et San-Remigiana. Lauterburgenſis praefectura habet Lauterburg et Iockgrim, et Rheinzabern, oppida, vicosque Motheren, Neeweiler, Scheibenhart, Nieder-Lauterbach, Salmbach et Aſchbach, cum annexis. Secundae praefecturae caput eſt caſtrum Madenburg, indeque pendent quinque vici, Artzheim, Eſchbach, Ranſchbach, Waldhambach, Waldrorbach. Dahnenſis praefectura conſtat ex Alt- et Neu-Dhan, caſtris, et viculis Dhan, Hauenſtein, Fiſchbach, Bruchweiler, Erfweiler, Schindhart, Hinderweidenthal. Altenſtadienſis praefectura primum vicum habet cognominem, et praeterea Schweighofen, Schleithal, et Ober-Seebach. Ultima eſt praefectura San-Remigienſis, cuius caput eſt caſtrum San-Remigienſe, cui adiuncta ſunt tria alia caſtra, St. Germani, St. *Pauli*, et S. Pantaleonis, ſed deſtructa. Feuda habet Arnsberg, Altorf, Barbelſtein, et ſic porro. Alia feuda ab hac praepoſitura dependentia Domus Badenſis habet: Cuppenheim oppidum, Oberdorff, Elchesheim, Moerſch, Au. Varia etiam Leinigenſes Comites, Grünſtadium oppidum, Aſſenheim, Sauſenheim, Obercͤkeim, Kirchheim, Schweigen, et Weiſsheim. Feuda quoque ſunt: Hochhauſen, Ober-Eslingen, et Danſtatt. Iam terris Alſaticis epiſcopi Spirenſis Palatino-Alſaticae ſubiunguntur, quarum nonnullae etiam commutatae aliquando ſunt. Ceſſerunt autem Palatinis Comitibus per emtionem, feudum, pignus, arma, et ſic porro. Quarum primae ſunt Palatino Electorales. Decem praefecturas minores conſtituunt. Prima eſt Germersheim, oppidum olim imperiale, cum caſtro. Habet vero decem vicos; quatuor trans flumen Queicham, Weingarthen, Bobingen, Klein-Fiſchlingen, Zeisheim; cis Queicham Sondernheim, Hert, Belheim, Knittelsheim, Ottersheim.

 Trans-

Trans Rhenum vicum Dettenheim. Praepoſitura Hertenſis ſecunda ordine eſt, cum vicis Leimersheim, Kuart, et Neu-Pfortz. Tertia eſt Hagenbacenſis Advocatia, in qua caſtrum et oppidum Hagenbach, et vici Bergen, Pfortz, et Forlach. Neuburg et Neuburgweiler trans Rhenum. Selſenſis praepoſitura quartum locum habet, quae aliquando Abbatiae patrimonium fuit, nunc ad Electores Palatinos tranſiit. Selſa itaque civitas, Badenſis aliquando ditionis, deinde imperialis, nunc Palatinae: vici eo pertinent Münchhauſen et Keſſeldorf. Saepe quoque hac in parte mentio fit vicorum a Rheno ablatorum, unde quis vehementiam patris fluviorum, ut aliquando dictus eſt, cognoſcat licet. Quinta eſt Billingheimenſis, in qua ſunt Billigheim, Steinweiler, Rohrbach, Impflingen, Erlenbach, Clingen. Sexta eſt Clingenſis, ubi fuit Clingenſe Monaſterium, quod ſuam Emunitatem ſive Mundatum habuit, cuius erant villae Beggelingen, Hibodesheim, et Selehoven, Modenbach, Pleſſweiler. Septima eſt Dynaſtia Landeck, caſtrum, ad quod referuntur quatuordecim vici. Septima eſt Birckenhertenſis, cum vicis Reichsdorf et Bellenborn. Nona vallis Sibeldingen, quae quatuor loca comprehendit, Godramſtein, Sibeldingen, Burckweiler, et Gleiſsweiler. Decima eſt Utersthal, cum vicis Euſſersthal, Grevenhauſen, Merlenheim; villisque Geilweiler, Rodenbach, Breitwis, Hilſpach, Laubersthal, Eſchbach, Stockwies, Bergwies, Lauberwalt. Iam de terris Palatino Bipontinis videamus. Tres praefecturas habet ea ditio, ſi a comitatu Luzelſteinenſi diſceſſeris. Tabernaemontanam, Gutenbergenſem, et Biſchwillenſem. Prima reliquis maior eſt, et quinque minores praefecturas habet: Neucaſtel, Barbelroth, Cleburg, Weglenburg, et Anweiler. Caput omnium eſt Bergzabern, Tabernas montanas latine dicunt. Praefectura Neucaſtel, praeter arcem ita dictam, habet Leinsweiler, Ilbesheim, Franckweiler, Albersweiler. Praefectura Barbelroth habet hos vicos: Barbelroth, Druſchweiler, Cappellen, Oberhauſen, Dierbach, Hergersweiler, Winden, et Mülhofen. Praefe-

ctura

ſtura Cleburgenſis caſtrum Cleburg, cum vicis Rott, Steinſelz, Oberhofen, Ingolsheim, Hunsbach, et Hoffen, Catharinaeburgum, Birlenbach, Keſenach, Schoenenburg. Quarta praefectura eſt ea, quae ab arce Wegelnburg nomen habet. Adſcripti ſunt Wegelnburgo vici: Schoenau, Hirtzthal, Notweiler, Rumbach. Quinta eſt Praefectura Anweiler, in qua eſt celebre caſtrum Trifels, et civitas Anweiler. Gutenbergenſis Dynaſtia caſtrum habet Gutenberg, Minfeld, Freckenfeld, Kandel, Minderſchlag, Hefel, Nieder- et Ober-Otterbach, Volmersweiler, Rechtenbach, et Doerrenbach. Tertia Praefectura Biſchvillenſis duo tantum loca comprehendit, Biſchweiler et Hanhoven. Landgraviatui et Eccleſiaſticis ditionibus ſuccedunt Comitatus. Itaque Auctor optima quaedam de veteribus Comitatibus eius regionis enarrat: nos vero iam ad Werdenſis, Dagesburgenſis, Luzelſteinenſis Comitatus expoſitionem tranſeamus. Primus Comitatus Werdenſis eſt. Habet autem Alſatia inferior très Werdas, quae ſaepe inter ſe confunduntur. Sed hanc, quae caput huius comitatus conſtituit, diſcriminis cauſſa Landgravialem dicunt. *Multa* ſunt loca, de quibus non ſatis conſtat, an ad *noſtrum* Comitatum pertinuerint, propter obſcuritatem temporum. Comitatus Dagesburgenſis continetur caſtro Dagsburg, cui adiacet vicus eiusdem nominis, uti et Haube, Schaeferhof, Hohmert, Hartberg, Walſchied, Abreswiler, Weyher. Pertinent eo etiam Anguſta, Nivea, et Wolflingia valles. Comitatus Lucelſteinenſis complectitur caſtrum Lucelſtein, cum oppidulo ſuo, et caſtrum Imſtal. Reliqua loca comitatus in ſeptem Scultaſias diſtinguuntur: 1) Weinberg; 2) Lohr, Petersbach, Frohnmühl, Dieſenbach, Hinsberg, Puberg, Wingen; 3) Hambach, Volsburg, Busweiler, Roſtey; 4) Bettweiler, Durſtel, Adamsweiler, Gungweiler; 5) Behrlingen, Pfaltzweyer, Weſchem, Crauſthal, Schoenberg, Eſchberg; 6) Hanckweiler, Wintersberg; 7) Zillingen. Poſſederunt vero Comites Lucelſteinenſes olim etiam plures terras, ſed quae iam in aliorum poteſtatem devenere. Subiungimus nunc Comitatibus Dynaſtias. Dynaſtia Vileriana,

leriana, quae nomen ab oppidulo Vilerio traxit, Villerium, ſed et caſtra Ortenberg, Ramſtein, et Bilſtein: vicos Scherweiler, Dieffenthal, Petersholtz, Hohwart, Weiler, Erlenbach, Trinbach, Baſſenberg, Lach, Mittelſcher, St. Martin, Meiſengott, Engelſpach, Steige, Breitenbach, Colroy, Roſchbach, Salzheim, Stomberg, Seel, Spitzenberg, Neuburg, et Bruche, in ſe complectitur. Hiſtoria eius dynaſtiae, ſicuti et reliquarum unicuique, quod ſemel annotaſſe ſufficiat, annexa eſt; ſed id huc transferre, librum eſſet conſcribere, non recenſionem. Kunigsburgenſe dominium ſolo e caſtro Hoh-Kunigsburg, et vico Orſchweiler, conſiſtit. Dynaſtia Rupisvallenſis, caſtrum Stein, ſ. Rupis, habet. Vici et villae Rothau, Neuvillers, Oberrothau, Vildersbach, primam parochiam; Solbach, Urbach, Valdersbach, Belleſoſſe, et Schoenenburg, villaque les Huttes, ſecundam efficiunt. Dynaſtia Barrenſis ſex locis, Barr, Mittelbergheim, Heilgenſtein, Gertweiler, Gocksweiler, et Burgheim, componitur. Dynaſtia Waſſelnheim, nam dynaſtiam id auctor appellat, quod Baroniam ſolemus dicere, ſequitur. Praeter Waſſelnhemium hanc Dynaſtiam componunt Brechlingen, Frideshein et Utelnheim, vici. Dynaſtia Marleienſis caſtro ita dicto, vicisque Kirchheim, Odrazheim, Northeim, et caſtro Cronenburg, conſtat. Marca Maurimonaſterienſis habet oppidum Maurimonaſterium, primo monaſterium, deinde villam, nunc oppidum; Geroldſeckium maius et minus, caſtra, vicosque Lochweiler, Reutenburg, Singriſt, Sahlenthal, Dimsthal, Hegenheim, Thal, Gothenhauſen, et villas Schwaebweiler, Waldshofen, Hengweiler, Buren, Sindelshofen; quae eccleſiaſticae ditionis S. Martini ſunt. Dynaſtia Ochſenſteinenſis ſequitur. Ochſenſtein igne deletum eſt, ſed vici ab eo pendebant permulti, qui nunc aut deleti ſunt, aut ad alios dominos translati. Dynaſtiam Hunenburgenſem effecerunt Hunenburg et Waſenſtein caſtra. Dynaſtia Herrenſtein e caſtro cognomine, et vicis Dettweiler, Doſenheim, Roſenweiler, Kugelberg, Hattmatt, conſtat. Dynaſtiae Lichtenbergenſis eſt caſtrum

Lich-

Lichtenberg, Habet vero illa nomen a caſtro hoc Lichtenberg, nunc exciſo, Praefecturisque componitur 1) Buchsweileriana, in qua eſt oppidum Buchsweiler, vicique Hoh-Franckenheim, Hoh-Azenheim, Menchenhofen, Nieder-Sultzbach, Utweiler, Gichtweiler. Allodiales huius praefecturae vici ſunt: Riedheim, Boſelshauſen, Breunsheim, Dunzenheim, Dürningen, Ernolsheim, Geisweiler, Gimbrett, Griesbach, Hattmatt, Imsheim, Iſenhauſen, Kirweiler, Melsheim, Reitweiler, Wichersheim, Wilshauſen, Woellenheim, et Zebersdorf. Praefectura Ingovillana conſtat ex oppido Ingweiler, vico Ober-Sulzbach, oppido Neuweiler, et vicis Ingenheim, allodialibusque Lichtenberg, Wimmenau, Reippertsweiler, Selhof, Fullengarten, Schillersdorf, et Mietesheim. Tertiam praefecturam efficit Pfaffenhofen oppidum, vicique Altorf, Eckendorf, Ober- et Nieder-Motern, Schalckendorf, Schweindratzheim. Etiam Offweiler et Engweiler huc pertinent, cum Biſcholz. Quarta praefectura eſt Brocomagenſis. Ibi eſt Brocomagus, cum vicis Krautweiler, Gries, Waltenheim, *Kurtzenhauſen* et Weitbruch, Mittelhauſen, Geudertheim, Eckwersheim, Hoerdt, et Bietlenheim. Wolfisheimiana praefectura duobus vicis componitur, Wolfsheim et Hangenbietenheim. Sexta eſt Weſthofienſis, quae complectitur oppida Weſthofen et Balbronn, vicosque Trenheim, Wolsheim, Ahlenweiler, Reinhardsmünſter, et Hengweiler, cum villa Haberacker. Praefectura Woerdenſis habet oppidum Woerdt, praetereaque Gersdorf, Mitschdorf, Lampersloch, Preuſchdorf, Dieffenbach, Oberndorf, Spachbach, Moersbronn, Eberbach, Griesbach, Nider-Steinbach. Octavum obtinet locum Hattenſis praefectura, in qua ſunt vici Hatten, Ober Betſchdorf, Nieder-Betſchdorf, Schwabweiler, et Reimersweiler, Rittershofen, Kühlendorf, Leutersweiler, Bühel. Nona Offendorfiana, vicos ſub ſe continet: Offendorf, Herlisheim, Rohrweiler, Druſenheim, et Oberhofen. Diruta caſtra Lichtenbergicae ditionis ſunt: Hunenburg, Winſtein, Arns-

ſperg, Philipps-Burg, Falckenſtein, et Waſenſtein. Trans Rhenum vero ſunt duae praefecturae, Lichtenavienſis, et Wilſtadienſis. Illa oppidulum Lichtenau; haec hos vicos complectitur: Wilſtaett, Korck, Odelshofen, Neumühl, Querbach, Eckartsweyer, Heſſelhurſt, Hohnhurſt, Legelshurſt, Bolzhurſt, Sand, et Avenheim. Nova vero deinde praefectura acceſſit, Lembergenſis dicta: in qua eſt Lemberg, caſtrum antiquum, et Pirmenſens, cum vicis Winzlen, Gerſpach, Fohrbach, Froeſchen, Eſchweiler, Hoh-Einoed, Burgalbch, Donnſieders, Münchweiler, Rupertsweiler, Vinningen, Imſpach, Trulben, Hulſt, Eppenbronn, Kroeppen, Riedelberg, Simpten, Erlenbronn, Schweichs, Oberſteinbach, Fiſchbach, Reiſſel, Baerenthal, Philippsburg, Mühlenthal, Leitzelthal, Lieſpach, Hungerspfuhlerhof, Haſeneckerhof, Grandfiliſcherhof, Ketterichhof, Ruhebanckerhof, Saltzwog, Glaſskempten, Stephansbronnen, Felſenbronnerhof, Stiedersbach, Kahliſſey, Erlenkopf, Petersbronnerhof, Fiſcherhof, Reinhardshof. Feuda ſequuntur quae ad hanc Dynaſtiam pertinent: ſed nos hactenus in pagis et caſtellis recenſendis ideo longiores fuimus, ut eruditi homines, harumque rerum periti, cognoſcerent claro exemplo, quanta ſit Schoepflini noſtri in his rebus diligentia atque cura. Iam vero Dynaſtias ſummatim tantum percenſebimus, quae ipſa per ſe ſatis cupidos lectores noſtros facient, ad cetera cognoſcenda. Sunt autem hae Dynaſtiae: Oberbronnenſis; Fleckenſteinenſis, in qua ſunt novem Scultaſiae, Fleckenſteinenſis, Sulzenſis, Roederenſis, Riedenſis, Weitersweilerana, Hochweilerana, Lembacenſis, Trimbacenſis, Nieder Seebacenſis; alia loca etiam olim huc pertinebant, quae nunc ad alias ditiones ſunt translata. Subiungimus Praefecturam Kuzenhuſianam. Dynaſtia Schoeneck et dominium Hohenburg ſequuntur; quae excipiunt vici Imperiales Advocatiae Alſatiae: praefectoriales etiam appellabantur. Praeeſt illis adminiſtrator Imperatoris et Imperii vicarius, quem Advocatum dicunt. Numerus ipſe modo maior, modo minor fuit: iam vero ſunt triginta et

quin-

quinque, quos auctor ordine recenſuit. Sequitur caput apud auctorem noſtrum, quod de *variis dominiis* inſcribitur, continetque feuda imperialia, nunc vero regia, Lotharingica, Palatina, Würtenbergica, Rappoltſteinenſia. Occurrunt vero etiam Feuda epiſcopatus Baſileenſis, Metenſis, Abbatiae Andlavienſis: Allodia Nobilium, eccleſiarum, et civitatum liberarum dominia. Magnum quoque numerum conſtituunt, quos Argentina, Hagenoa, Seleſtadium, Ehnhemium, Weiſſenburg, Landavia, et Baſilea poſſidet, vici; praeter integras dynaſtias, quas Argentina et Colmaria tenet. Lotharingicae etiam in Alſatia terrae patrimoniales non paucae ſunt. Iam de civitatibus Imperialibus A. ſcribit, quae ſub Imperio Germanico fuerint. Sub Francis rara erant oppida; ſub Germanis oppida quidem, ſed non munita; ſub Gallico autem imperio nunc etiam munitiſſima. Itaque origo liberarum civitatum fuit haec. Initia parva, ut ſolent omnium fere urbium eſſe; pluribus deinde ob multitudinem commodorum eo transmigrantibus, incrementa ſenſim coeperunt capere. Aliae tunc imperiales, aliae *provinciales* dictae. Imperiales iterum aut pactitiae, aut exemtitiae, aut privilegiatae. In provincialibus quoque alia minus libertatis habuit, alia plus. Aliae earum Epiſcopis, et Abbatibus, aliae Ducibus, Landgraviis, aliae vero Comitibus, Dynaſtis, Nobilibus, quin etiam Civitatibus imperialibus paruerunt. Imperiales vero etiam immediatae dicuntur, quae olim ſoli quidem Imperatori ſubiectae erant, non tamen autonomae, ſed per praefectos ab Imperatoribus miſſos ſolebant regi, atque in hoc etiam alia altera liberior erat, quamobrem aliae olim Imperiales, aliae vero liberae appellabantur. Et ut fortius reſiſtere inſidiatoribus ſuis coniunctae poſſent, Caeſar eas permovit, ut ſe arcto foedere connecterent, quod Alſaticae civitates Imperiales ultro fecerunt; unde notiſſimum eſt in hiſtoria nomen Decapoleos, cuius rationes, connexionem, et iura, pluribus enarrat Schoepflinus, Itaque quid Advocatus, quid Advocatia communis fuerit, quamque habuerit vim, age,

 videa-

videamus. Erat autem Advocatus procurator rerum imperialium in Alſatia. Aliquando plures, aliquando pauciores civitates ad unam Advocatiam pertinuerunt. Sed Caeſarei Advocati plures etiam pro diverſis regionibus erant, ſicut et ceteri principes, quibus eſſet aliquid in Alſatia proprii, tales procuratores ſibi legerunt. Sed iam de *Argentina* ipſa videamus, digna enim eſt, cui conſiderandae tempus ſtudiumque impendamus. Antiqua eſt urbs, nam Saeculo V. Argentorato ab Alemannis vaſtato, haec ſuperſtructa fuit; primum ſatis arctis limitibus, ſed deinde paſſim addita parte aliqua. Iam olim pro ratione eorum temporum munita, ſed id ſub Gallico imperio longe accommodatius ad noſtrorum temporum uſus factum eſt. Longus eſt auctor in aedibus ſacris, monaſteriisque, quae Argentorati ſint, deſcribendis, quod non ſine ſumma voluptate poteſt cognoſci; videmur enim haec legentes quaſi in ipſis clariſſimae urbis fundamentis verſari, quodque ut ſine itineris moleſtia fieret, nobis, induſtria Schoepflini, ſedentibus licet intueri. Tot quoque aedificia in uſus miſerorum hominum tot generum, noſtra quidem ſententia, plus urbem, quam ſuperba palatia, conſpicuam reddunt; quoniam hoc divitiarum indicium eſt, illud pietatis et miſericordiae. Publicorum aedificiorum largus numerus. Auctor, ad imitationem vitae humanae, eius urbis aetates, in infantiam, adoleſcentiam, iuventutem, virilem denique aetatem, diſtinguit. De Infantia pauca poſſunt dici. Sub Salicis Imperatoribus adoleſcentia coepit, ſaepe felicibus rebus aucta, ſaepe calamitatibus turbata, donec poſt magnam victoriam de ſuo ipſius epiſcopo, qui multis magnisque aliorum epiſcoporum ſociorumque auxiliis inſtructus, libertatem urbis imminuere volebat, reportatam, iuventa Argentinenſis reip. inciperet, quae armis concitatiſſima fuit. Sub Ludovico Bavaro atrox inter cives diſſenſio orta eſt, quorum alii a Mulnhemiis, alii a Zorniis ſteterunt, ut itaque tandem inter has Nobilium diſcordias plebs ſummam rerum ad ſe raperet. Sub Carolo IV, Wenceslao, Sigismundo,

mundo, Friderico IV, Maximiliano I, multa acciderunt, quae digna et iucunda non minus cognitu ſunt. Sub Carolo V. inter turbas, quas pontificii noſtrae religioni imputant, (melius facerent ſi Hiſpanicam dominationem facem malorum fuiſſe dicerent.) Argentina fortiter religionem meliorem amplexa eſt, defenditque. Sub Rudolpho magnopere utriusque religionis ſocii a ſe invicem abalienari coeperunt. Bello deinde tricennali urbs religionem veram defendit ſtrenue. Tandem ſubito in Gallorum conceſſit poteſtatem, et pax Riſvicenſis eam ab Imperio plane divulſit. Iam de mercatibus eius, de iure monetas cudendi, de iure in pontem Rhenanum, de feudis, quibus inveſtitur, de ſede quam olim in comitiis noſtris habuit, de inſignibus eius, agitur, quae omnia ſumma cum ſollertia tractata ab auctore ſunt. Virilem deinceps Argentinae aetatem conſtituunt tot tantaque privilegia Argentinenſia, quae ordine ab auctore pro numero ſuo pertractantur. Dein, poſtquam haec de publico Argentinae iure dicta ſunt, auctor de privato agit, quod nos nunc minime repetimus. De ratione adminiſtrandae reip. quaedam, age, videamus. Errant, qui eam aliquando Ducibus, aliquando Epiſcopis paruiſſe putant, quod non eſt ita: neque enim, quoniam iurisdictio aliquando epiſcopis fuit, ideo etiam omnino Argentina epiſcopis paruit. Iam de munere Advocati, Sculteti, Burggravii, et Telonarii, qui omnes Officiales epiſcopi erant, ſumma cum utilitate conſuli liber noſter poteſt. Ortae vero ſunt variae inter urbem et epiſcopos lites, quae poſt magnas ſaepe turbas, transactionibus ſolebant componi, nihilo tamen ſecius ſaepe recruduerunt. Ceterum regimen tale fuit, ut Miſſus Caeſareus iura fiſci exerceret, variis ille nominibus, inſignibusque. Nobiles in curias, cives in tribus diſtinguebantur. Senatus auctoritas et vis, pro ratione temporum, nunc maior, nunc vero etiam minor fuit. Senatus tamen ratio nunc haec eſt. Triginta creantur Senatores in biennium, qui etiam ius dicunt. Tredecim viri, Quindecim viri, XXI viri, collegia ſunt, quae ſecundam a Senatu dignitatem habent, quique ius

 dicunt,

dicunt, Praetores atque Conſules. De Senatu minore, Scabinis, de iudiciis Tribuum, iudicio lapidariorum, varia ſumma cum voluptate cognovimus. Sub regimine Gallico nova quaedam iudicia orta ſunt. Religio Chriſtiana, quae iam ſub romano imperio obtinuit, ſub Francis deinde et Germanis longe lateque regnavit, ſed ſenſim in pontificiam depravata eſt, quae ſaepe vexationibus piorum hominum, rixisque monachorum et parochorum ſe exſeruit. Amplexa deinde Argentina eſt Lutheranam religionem, et ſe Proteſtantibus Ordinibus iunxit. Propenſior aliquando in partes Reformatorum, ſed deinde Lutherani iterum obtinuerunt. Iudaeorum varia fortuna, modo graviter vexati et eiecti, modo recepti, deinde iterum eiecti. Ferax doctorum virorum, Gymnaſio et Academia floruit floretque. Typographiam Schoepflinus defendit ab Argentinenſibus inventam eſſe, qua de re nos ante annum meminimus plura dicere. Res militares, foedera, morum characterem, agrum, vicosque circa Argentinam ſitos, ſcientes omittimus, ut habeat Lector noſter aliquid, quo ad ipſum fontem adeundum incitetur. Primaria Alſatiae poſt Argentinam urbs eſt *Hagenoa;* antiquitate, aedibus ſacris, monaſteriis, publicisque et privatis aedificiis, ſpectanda. Populus in tribus ſuas, viginti et unam nunc numerant, diviſus; Privilegia, ius cudendae pecuniae, et inſignia, ſedem in comitiis imperii, nos hic omittimus. Olim regimen apud nobiles fuit, e quibus Scultetus et Scabini perpetui duodecim eligebantur, quae deinde variis modis ſunt immutata, cum plebs invaleſceret. Nunc vero per Praetorem regium, quatuor Scabinos, ſex Senatores, regitur. Praeter Senatum, imperiale iudicium provinciale olim Hagenoae floruit. Litterarum amans urbs, olim Lutherana, nunc vero Catholica: nam Lutherani iam olim per factiones adverſariorum expulſi, nunquam iterum recepti ſunt. Commercia, propter ſitum urbis non poſſunt ſatis magna eſſe. Bellis et petita ſaepe, et ipſa petiit vicinos. De ditione eius reliqua adeatur auctor. *Colmaria* ſuperioris Alſatiae urbs primaria, Decapoleos ſecunda,

cunda, primum villa, deinde vero etiam civitas evaſit. De antiquis eius munitionibus, de templis, de monaſteriis, ceterisque publicis aedificiis, varia monentur. Privilegia, iurisdictionem, vectigalia, ius cudendae pecuniae, aliaque iura, ne nimis longi praeter neceſſitatem ſimus, omittimus; uti et penſiones pecuniae, quae olim fuerint, et inſignia urbis. Regimen olim erat hoc, ut Scultetus Caeſareus bannum ſanguinis, quem dicunt, et alia iura exerceret. Senatus variae mutationes, Statuta urbis varia, religionis forma ea, ut mature meliora ſacra ſequerentur, quod multis mutationibus obnoxium fuit; nunc Catholica pariter ac Lutherana florent. Ferax urbs bonorum ingeniorum. Ager Colmarienſis late protenditur. Bella multa magnaque geſſit, acceptis illatisque periculis et damnis, donec ſub Gallorum tandem poteſtatem deveniret; quamobrem Senatus regius, qui univerſae Alſatiae praeeſt, et duabus Cameris conſtat, in hac urbe ſedem ſuam habet. *Seleſtadium*, praefectorialium Alſatiae urbium tertia, olim etiam munita, templis, monaſteriis, aedificiisque publicis haud infrequens. Privilegiis variis a multis Imperatoribus ornata, iure item cudendae pecuniae, et eo, quod municipale vocant. Regebatur autem per Scultetum imperialem, quod munus dein in Conſules ſeniores duos translatum eſt. Nunc quidem per Conſules regitur, per Senatores, perque Praetorem Regium. Fata urbis varia, religio nunc utraque ibi eſt. *Weiſenburgum* urbs, et olim, et nunc munita, templa et monaſteria nonnulla habet. Libertate, variisque privilegiis gaudebat. Regitur nunc per Senatum, Praetoremque regium, qui iam id muneris gerit, quod olim Advocatus provincialis. Praeter Senatum aliud ibi iudicium eſt, quod Graduale vocant, *Staffelgericht*. Statuta perantiqua; religio quoque Lutherana ibi invaluit, et praeterea nonnulla acciderunt, quae digna ſunt ut legantur accuratius. Turbas enim, et bella variae fortunae, urbs experta eſt. Sic quoque in Landavia, Oberehnhemio, Roshemio, Münſter, Keiſersberga, Turinghemio, Müllhuſio, auctor noſter plura egregie adumbravit. Haec itaque

de

de ſingulis nonnullis urbibus dicta ſunto. Claudit agmen Mundatum Weiſſenburgenſe. Cum vero multorum caſtrorum, *id eſt aedium turritarum Nobilium*, mera nomina tantum ſuperſint; eorum, quae in ipſis regionibus ſuis non ſunt commemorata, ſatis prolixum catalogum auctor contexuit, ſecundum ordinem alphabeticum. Monaſteria deinde inveſtigat V. Cel. ſatis multa, ſive deſtructa ſint, ſive etiam ſuperſint adhuc. Ultimus eſt index deſtructorum vicorum. Sed ut nos alio etiam, praeter elegantiſſimas urbium picturas paſſim inſertas, auctor beneficio devinciret, tres tabulas addidit, quarum prima nummos epiſcoporum Baſileenſis et Argentinenſis antiquos; ſecunda variarum civitatium; tertia nummos Civitatis Argentinenſis nobis ſiſteret: e quibus omnibus, prout artificium habent, aut gothicam rationem, artium tunc temporis habitum facile exiſtimamus poſſe intelligi.

Haec iam de priore huius Tomi parte, quae eſt Geographica, ſufficiant. Eſſet ſane pergendum: ſed tempori lectorum ut occurramus, reliqua, quae eſſent de hoc libro dicenda, differimus in proximum tempus. Splendidum opus multis modis, praecipue urbium picturis elegantiſſimis; laborioſum vero ita, ut vix decimus quisque eruditorum vel dimidiae parti exequendae ſufficeret. Sed ita eſt, bene agitur in civitate litterarum, cum unus ſaepe pro multis deſudat. Hiſtoriae vero Germanicae, quis eium patriae non optima quaeque precetur? multos Schoepflinos optamus.

*WENCESLAI HAGEK A LIBOCZAN ANNALES Bohemorum, e Bohemica editione latine redditi, et notis illuſtrati, a P. VICTORINO a S. CRUCE, e ſcholis piis. Nunc plurimis animadverſionibus Hiſtorico-Chronologico-Criticis, nec non Diplomatibus, Litteris publicis, re genealogica, nummaria, variique generis antiquis aeri inciſis monumentis aucti, a P. GELASIO a S. CATHARINA, eiusd. Inſt. Sacerdote. PARS I. ſeu Prodromus,*

*mus, quo Hayecii Prooemium, de origine gentis Behemicae, pertractatur.*

Pragae 1761. litteris viduae Kirchneri, regii Typographi, Factore Franciſco Carolo Unger, 1. Alph. 1. plag. Fig. aen. 4. Tab. geogr. 1. in 4.

Quod in maxima parte felicitatis noſtrae ponendum eſt, tot praeclara ingenia melioribus auſpiciis colendae hiſtoriae ſe dant, ut poſteri illuſtratum ſaeculum hoc vera gloria humani generis cenſere poſſint; quum priora non tam ignavia, quam umbratica ambitione, obſcuris ſtudiis rerum levium, et concertationibus grammaticis aut ſophiſticis, luce prope caruerint. Auget eorum numerum *Gelaſius Dobner a S. Catharina*, V. Cl. idemque tanta humanitate, quanta doctrina praeditus, qui *Hagecii* hiſtoriae Bohemicae expoliendae manum adiecit, facturus eo maius operae pretium, ſi ad hunc guſtum totum opus, quanta poterit, celeritate, ex voto omnium, qui elegantias amant, abſolverit. Scriptorem ipſum, ſatis doctorum virorum iudiciis commendatum, quantum ad recentiora tempora pertinet, qui tamen non alius linguae, quam Bohemicae, qua ſcripſerat, aut teutonicae, a Sandelio converſus, ope legebatur, iam ante aliquot annos *P. Victorinus a S. Cruce*, impulſore Franc. Ant. Berka, S. R. I. Com. Hovorae Dubaeo a Lippa, latine, idque ſatis comte, reddiderat. Laborem hunc proferri in lucem quum poſt Victorini mortem multi ſaepius cupiiſſent, peropportune, illuſtrium procerum ex conſilio, datas has Gelaſio partes intelligimus. Iudicio enim et eruditione nemini cedens, cuius rei fidem egregium hoc ſpecimen facit, amore etiam veri, quod pollicetur, rerum geſtarum memoriae ſic conſulet, ut ea, quae vitio temporum, et inopia monumentorum, perfectiora et inſtructiora dare Hagecio haud licuerat, nunc lautiſſimo et diſpoſitiſſimo cum adparatu producat. Quod ſane inſtitutum longe impenſius laudandum, quam Victorini fuerat; qui non tegere ſolum ſcriptoris errores, amplificata oratione, ſed tueri quoque in

adnotatis, auctoritatibus parum idoneis, voluerat. Pars ergo, quam ſub prodromi nomine emiſit, eſt prooemium Hagecianum de originibus Bohemicis, quod interpretatione tantum liberiore Victorinus expreſſit, nec, ſicut in reliquis, obſervata adiecit. Gelaſius autem elegantiſſimas et acutiſſimas profecto, ſi aequum amamus, diſquiſitiones de antiquitatibus ſuae patriae ſubiecit, e quibus noſtri iudicii rationes lectoribus ſummatim reddemus. De ipſo nomine Slavorum, quod fruſtra forte circa etymon plures exercet, quum vocabula varias gentes a caſibus fere, dudum vetuſtate temporum oblitteratis, nactas eſſe ſit credibile, lectu tamen et notitia alias ob cauſſas digniſſima adferuntur, et erudite iudicia nonnullorum commenta redarguuntur. Ubi Hagecius contra eos diſputat, qui Slavos, ab aliis Czechos vocatos, inde a Noachico diluvio inſediſſe Bohemiam ſibi perſuaſerant, longa diſſertatio Gelaſii de Czecho et Czechis legitur, in qua rectum iudicium merito laudes. Probat hoc unice, quod Hagecius hoc loco Czechiam a Czechis potius dictam, quam a Czecho, ut alibi ſcribit, ſtatuit. Adſentitur recte iis, qui totam de Czecho, e Croatia profugo, narrationem, commentum recentioris aetatis eſſe arbitrantur, et Schleinitzium contra Balbini irriſiones vindicat. Praeclare oſtendit contra alios, primum Scriptorem, in quo fabula legatur, *Boguphalum* eſſe, qui quingentos, et quod excurrit, ante annos vixit. Eam, mire tamen rurſus interpolatam novis additamentis, tempore demum Caroli IV, in Bohemia, auctoribus Merignola et Pulkawa, eſſe receptam docet. Ex ſilentio *Chriſtanni*, *Coſmae*, *Kadlubeconis*, aliorumque vetuſtiorum Scriptorum argumentum firmum petit, ipſos inter Bohemos nihil de eiusmodi duce innotuiſſe ante, quam novi fabulatores tres illos fratres, Czechum, Lechum, et Ruſſum finxerunt, ut ultimae antiquitatis memoriae, quae aut nulla, aut pertenuis exſtabat, epiſodion quoddam inſererent. Itaque coniecturam aliorum probat, a populo potius, quam ab homine, nomen Czechiae eſſe Bohemiae inditum, a Zichis, qui ultra paludem Maeotida olim

olim coluerunt. De his diligentiſſime inquirit *Gelaſius*, et pro doctrinae copia varia ſatis curioſe colligit. In his eſt obſervatio, Slavos initio abhorruiſſe ab unius principatu, et a iudicibus atque ſenioribus populi regi maluiſſe. Poſſet his addi, temperamento opus eſſe, quale *Hartknochius* Orig. Pomer. §. XVI. iam ſervandum eſſe monuerat, et *Conſtantinus Porphyr.* multos Slavicos populos principes ſibi creaſſe teſtatur; ut alia omittamus. Quod tamen hoc vir eruditiſſimus utitur ad refellendam perſuaſionem de Czechi ducatu, auctoritate *Chriſtanni* et *Coſmae* defenditur, qui Bohemos diu non habuiſſe unum principem teſtantur. Sequuntur inde pulcra et docta de iudicibus harum gentium, quos *Panos*, *Zupanos*, et *Scuddavas*, vocabant. Hic vero e re lectorum fore credimus, ſimul adhibere, quae *Beyerus* (in Orig. Ruſſ. T. VIII. Comm. Acad. Scient. Petrop. p. 423: ſq.) obſervavit. Statuit igitur, hos Zichos, quorum nomen ut tranſire potuerit in Czechos, variis grammaticis obſervationibus oſtendere ſtudet, expulſis Marcomannis et ſociis, non a duce quodam adpellatos; ſed, proprio vocabulo retento, quod multarum aliarum Slavicarum nationum exemplis confirmat, in ſocietate finitimorum Alanorum, e Ponto in Europam ſub Attila veniſſe, et hic tandem conſediſſe. At enim vero, quod pace Viri eximii et doctiſſimi fateri liceat, multa huic obſtare opinioni nobis quidem videntur. Iam enim primum quod ſumit, Czechos eſſe vocatos Slavos, qui Bohemiam obtinuerint, id non meliore fide nititur, quam ipſa fabula de Czecho, Lecho, et Ruſſo. Antequam enim haec eſſet ficta, inauditum hoc Czechorum de Bohemis vocabulum, nec ex idoneo ſcriptore id quiſquam probaverit uſitatum. Sed poſtquam tam lepido commento publice adſentiri placuit, qui videri eruditiores volebant, Czechitarum, aut Czechiorum adpellationem demum, tanquam Germanica Bohemorum honorificentiorem, utpote ex originibus ſuis petitam, crepare coeperunt. Idem fecere Poloni, qui in honorem fictitii Lechi, ſero Lechitarum, aut Lachorum nomen invenere, ut probabilior de duce in

novas ſedes migrante narratio, vel mendacium potius, fieret. Deinde, nihil adferri deprehendimus, quo fides fieret, Zichos Ponti Euxini accolas, Papagis, Chazaris, Caſachis, et Abasgis in medio antiquitus interiectos, Slavici generis fuiſſe. Nobis omnia alia, multis indiciis veri, et diligente veterum ſcriptorum lectione, comperta ſunt; ut nullum veſtigium nominis Slavici ultra Tanaim occurrere credamus. Praeterea non *Procopius* modo et *Agathias*, ſua aetate, qua pars maxima Slavorum in occidentem effuſa iam migraverat, Attilae certe ſubiecti dudum priſtinis ſedibus exceſſerant, ſed *Conſtantinus* quoque *Porphyrogen.* Zechos in Ponto ſolum ſuperfuiſſe memorarunt; nec, quum ſint in converſionibus iſtarum rerum et motibus Slavicarum gentium deſignandis exactiſſimi, ullam mentionem fecerunt partis cuiusdam Zichorum a reliquo gentis corpore avulſae. Imo, cur non vel poetae, eidem plane putidae exaggerationis vitio, quod tam docte in Lucano Burmannus notavit, obnoxii, Zichos, Sindos, Zinchosve, Attilae inter copias enumeraverunt? Uno verbo, nemo plane Zichos a ſuis in Ponto ſedibus digreſſos retulit; et ne Czechorum quidem nomen quisquam, antequam in ſcenam Czechus et Lechus producerentur, uſurpavit. Ipſa etiam nomina propria regionum continere Turcicas, non Slavicas voces, in veteri Zichia, veriſſima *Beyeri* eſt obſervatio. Et ut hoc ex occaſione moneamus, haec ipſa quoque, aut his ſimillima, eiusdem plane generis coniecturam Lengnichianam de Lazis, Polonorum maioribus, coarguunt. Ceterum nollemus, viro tam erudito et polito quaedam excidiſſe, in quibus non ipſos ſcriptores conſuluit, ſed alienae fidei temere credidit. Tale eſt, quod e *Suida* p. 62. ſe proferre putavit, et in quo vel maximum praeſidium ſuae ſententiae collocaſſe videtur. Sunt enim verba *Rhenani* tantum, quae *Balbinus*, convitiator hominum doctiſſimorum inhumaniſſimus, Epit. R. Boh. l. 2. c. X. p. 79. in not., quum *Goldaſtum* tumultuarie et ſolo maledicendi animo legiſſet, cum loco Suidae, quem hic paullo ante de Slavis Danubium transductis laudaverat, permiſcuit: quod

iam

iam *Schminckius* adnotavit. Illud etiam male nos habuit, quod *Corippus*, gentium ſub Avaribus comprehenſarum, et ab Attila eductarum in occidentem, adpellationes recenſuiſſe perhibetur; quod, niſi memoriae vitio, aut aberrantis manus culpae adſignandum erit, debebitur certe alicui, Balbini exemplo, falſas auctoritates laudanti. Non haec exprobrandi cauſſa notamus, qui multis aliis viri humaniſſimi et litteratiſſimi virtutibus penſari tam leves culpas agnoſcimus; ſed ſi quid noſtrae preces valebunt, hic publice ipſum rogamus, libertatem noſtram, ut homines belli ſolent, ferat, nec tam in ſe haec dici putet, quam in Balbinum et eodem morbo laborantes, qui noſtros ubique lacerare immodeſtius ſoliti, ut rem ſtrenue gerere videantur, magna ambitione, ſed eo minore fide, auctoritates crepant, quas, evolutis ipſis ſcriptorum exemplaribus, nullas certe, ſi non contrarias plane, ex conſideratione adiectorum, commentitiis pronunciatis deprehendamus. Valde autem in Gelaſio probamus, quod a nugis de Czechi ducatu, bene ſubducta ratione, abhorret, et meliores vias ingrediendas putavit; in quibus ubi *perrexerit*, forte certiora ad veri veſtigia aliquando perducetur. Multa ſane paſſim opportune, e litterario, quod laute ornatum habet, inſtrumento proponit, quae eruditiorum oculos advertant. Bene etiam fecit Vir doctiſſ. quod contra Hagecium ſtatuit, Miſnios noſtros a Miſnia, ſeu Miſna, (ſic enim omnino efferenda urbs quae hic deſignatur,) quam contra, dictos. De Dalemincia tamen, nondum lecta veriſſima *Schoettgenii*, in Spicil. Diplom. Sax. P. III. p. 383. expoſitione loci e *Ditmaro*, ſtatuit, ut omnes antea, Teutonicam eſſe vocem Daleminciae. Res ſic habet. Emendata apud Leibnitium integrioris exemplaris ſcriptura eſt, *quam nos Teutonici Daleminci, Slavi autem Glomaci adpellant*. Non voluit Ditmarus originem prioris vocabuli noſtrae linguae attribuere; ſed, infacundi aevi vitio obſcurior, hoc prodere conatus eſt, duo eſſe huius regionis ſeu pagi nomina, quorum priore Germani fere ſoli utantur, (quod ex fide ipſum ſcripſiſſe diplomata probant,) altero Slavi potius, ob ſuper-

D 3 ſtitio-

ſtitionem fontis, a quo vocabant, delectentur. Nam argutationes omnes de nominis etymo Teutonico irriti ſtudii ſunt, quum vox compoſita ſit ex puriſſimis particulis Slavicis, *Dale*, i. e. *procul*, et *Miezny*, ſeu *Mieſhy*, h. e. *finitimus*, *confinalis:* unde pagum denotari intelligas, qui remotior a ſtationibus limitaneis Francorum in Thuringia orientali fuerit. Verum eſt etiam, quod Gelaſius monet, fluvium, Miſni a Slavis vocatum, urbi poſtea demum conditae nomen dediſſe. Duo tamen rurſus occurrunt, in quibus adſentiri non poſſumus: praeſidium iſtud, quod vocat imitatione Romanorum, militum riparienſium illic contra Ungaros collocatum fuiſſe; et marchionem Pleiſſenſem eo ab Henrico Aucupe fuiſſe translatum. Nam Ungari certe non illac in Germaniam ſemper irrumpebant, licet a Daleminciis ſollicitati ad ulciſcendos Saxones ſcribantur; et ne illud quidem compertum eſt, tum arma Henrico exordio principatus in Saxonum finibus inferentes ſecundum Albim proceſſiſſe, quum per confinia Bavariae et Bohemiae potius in Sorabicas terras, et vicinam Thuringiam, Merſeburgo tenus penetraſſe, ab antiquiſſimis ſcriptoribus memorentur. Sed Miſnenſe praeſidium, cum duce limitis, quem marchionem vocamus, collocatum erat contra Milcienos et Bohemos, ut poſt *Ditmarum* alii etiam auctores produnt, et argumento eſt cenſus iſte ab illis eo conferendus. Pliſnenſis vero terra nunquam in numerum limitum, ſeu marcarum, relata fuit: tantum abeſt, ut ex illa ad Albim, ſeu Miſnae praetenturas, marchio translatus eo tempore fuerit. Quod enim poſtea principes noſtri titulum dominorum terrae Pliſnenſis praeſcripſerunt, longe alium intellectum habet. Sed haec rurſus non tam ipſi tribuenda ſunt Gelaſio, ſcriptori ingenuo, et candide laudanti quos ſecutus ſit; verum *Fabricio* potius, *Leubero*, et *Monacho Pirnenſi*, quorum nomina margini adſcripſit, vitio danda erunt. Ubi viri doctiſſimi in manus lucubrationes *Tenzelii, Reinhardi, Hornii, Wilchburgi, Schoettgenii,* et aliorum, paris accurationis, venerint, per ſe ipſe animadvertet, quam obſoletae auctoritatis eſſe inter nos Fabricium, et Leuberum,

rum, ne dum Monachum iſtum Pirnenſem, in rebus antiquioribus, circa quas ſine idoneis teſtibus nemini credimus, ſit neceſſe. Inde multa etiam ſumere poterit, quibus Hagecii, nondum ſatis monumentorum copia abundantis, narrata emendet; in his certe, quae ad noſtram viciniam pertinent. Nam in domeſticis inteſtinique rebus praeclaros adparatus Gelaſio ſupereſſe, ſatis eſt manifeſtum. Luculenta eſt, et gravitatis hiſtoricae plena cenſura narrationis Hagecianae de Teutone, Teucadi nepote, duce profectionis poſt Babylonicam diſperſionem in Bavariam, a filio eius Bavaro dictam. Bona ratione utitur Gelaſius, quod tam futilibus commentis ſequiorum ſcriptorum hiſtorias contaminari haud oportere cenſet. Conicit, Hagecium e *Viti Arnpeckii* et *Andreae Presb.* chronicis, in quibus Bavarorum adpellatio a Bauri vel Bavaro duce repetitur, haec commenta transtuliſſe. Elegans votum eſt, ut, quemadmodum hodie apud doctiores Bavaros ducis Bavari memoria dudum abolita eſt, Czechus quoque, aeternis tenebris digniſſimus, tandem aliquando bona gratia popularium ſepeliatur. Alius error eſt Hagecii, qui inter Bavaros, ab illo duce ſic nominatos, aliquamdiu poſt Boemum quendam, multitudinis partem orientem ſolem verſus eduxiſſe, et, occupata circa Vultavam fluvium regione, Caſurgim condidiſſe, fidenter, et ſine haeſitatione refert. Haec et toti veterum hiſtoriae repugnare, et a nullo ſcriptore vetuſtiore Boemum hunc memorari, vere adfirmat Gelaſius, qui recte etiam *Cluverio* adſenſus in eo eſt, pulſos Boiohemo a Marcomannis Boios in Vindeliciam conceſſiſſe; quod nos alibi novis argumentis firmabimus, et ab his partim deſcendiſſe poſterioris aevi Boioarios, oſtendemus. Unum hic monere iuvat, quod nondum ab alio, qui nobis occurrerit, animadverſum recordamur: *Leibnitium*, in praefat. ad Adelsreiteri Annal. Boior. vetuſtiſſimam Boioariorum mentionem a Claudio Rutilio, in itinerario, fieri, multis, et in his diligentiſſimo etiam *Spenero*, falſo perſuaſiſſe. *Pollichius* quidem, in erudita commentatione de Boibaria Francis ſubiecta, primus obſervarat, iſtum

ſtium verſum, a Leibnitio indicatum, in Rutilio non legi; ſed ubi legeretur non norat. Eſt vero *Venantii Fortunatiani* in l. IV. de vita Martini, quos libros legibus Boioariorum, in quo primo monumento haec nominis inflexio adhibetur, LX. minimum annis poſterius ſcriptos eſſe conſtat; unde hoc liquere putamus, genuinam et nativam ſermonis patrii enuntiationem hanc eſſe. Ceterum terminationes hae nominum, in noſtro ſermone frequentes, nihil aliud ſignificant, quam incolas regionum a gentibus aut fluminibus dictarum, veluti Bructuarii, Angrivarii, Chaſuarii, Amſivarii, Ripuarii, Hattoarii, et hi Boioarii: nimirum additur in fine vox *aue*, quae patentia camporum ſpatia deſignat; unde illae adpellationes noſtro ore erunt, *Bruchtenauer*, *Angerauer*, *Haſauer*, *Emſauer*, *Uferauer*, *Heſſenauer*, *Boienauer*. Non ergo circumſpecte ſatis ex prima talium vocabulorum parte de origine harum nationum fiunt coniecturae, quia praeter loca ſedium nihil iis denotatur. Ita fuerint quidem inter Boioarios veterum Boiorum reliquiae; varias tamen alias nationes novo cuidam corpori gentis, communi ex foedere quod coierit, acceſſiſſe, multa fidem nobis quidem faciunt, qui plurimis, iisque graviſſimis argumentis, aliquando confoederationes validioris Germaniae poſt Romanorum ruinas, et hinc orta potentiorum populorum nova vocabula, contra dubitationes, quae reſtant, tuebimur. Sed ut ad Gelaſii miniatulas revertamur ceras, quibusvis fabularum propugnatoribus profecto extimeſcendas, repetuntur in his docte rerum Boicarum usque ad Marcomannicum in Bohemia dominatum converſiones, antiquis, ut decebat, ex auctoribus; et plura bonae frugis paſſim aliunde ad eas adcommodantur. Non tamen diſſimulabimus, nihil admodum confici, adlato centonis *Ptolemaeani*, (craſſius in Germania certe ſuti, laceris et male conciliatis e pannulis,) loco de Bonochaemis, orientalia Chamavorum ultra Melibocum colentibus; quia idem nugarum inſtitor, quisquis ſub tam vetuſto nomine docto orbi illudere conatus eſt, paullo poſt Quadis, ferri mineris, et Lunae ſilvae, ſubiicit Baemos.

Si

Si quis in follem collectas nominum undecunque collecto-rum, et ex XIVti adhuc ſaeculi ſcriptoribus excerptorum, tabellas in menſulam effuderit, perturbatius et confuſius cadere non poterunt, quam in iſta Graecula Germaniae chorographia acervatim iacent. Dolemus certe, quoties bona ingenia huic Augiae ſtabulo operam impendere non dubitant, non maiore profectu, quam Ravennatis nebulonis, lectionem aliquoties mille philoſophorum, quos nulla aetas viderat, mentiti, in labyrintheis erroribus ſperari poteſt. Ea etiam cauſa eſt, cur in obſervatione de Caſurgi, omnibus vetuſtis teſtibus, praeterquam fictitio Ptolemaeo, ignota, vix operae factum pretium ducamus. Nonniſi effugatis enim demum et abactis ſalutari carmine tam inauſpicatis phantaſmaſin, quae ſtudia inter maiores noſtros a longe utilioribus ad infelices tricas avocaverant, evenire poſſe videtur, ut dignitati et integritati hiſtoriae, incorruptam fidem profeſſae, conſulatur. Non invidebimus quidem Ptolemaicis e tabulis pictos mundos ediſcentibus; ſed quem uſum praeſtent vana nomina, illic ſolum obvia, nondum intelligere *potuimus*. *Mirus* artifex ignotorum heroum, Hagecius, ex *Hermundurorum* quoque adpellatione exſculpere Hermundum *Suevum* conatus, iure vanitatis a Gelaſio, candido et perſpicace talium iudice, arguitur, qui longe probabiliora de Hermunduris ſubiecit; in quibus tamen non deſunt, de quibus ampliandum videatur. Illud enim, Iubillium, ſeu, ut vera codicum ſcriptura habet, Vibellium, licet Catuualdam et Vannium, Marcomannorum Quadorumque reges, bello vicerit, regnoque expulerit, nusquam legi, ſeu totum, ſeu partem regni Marcomannorum ſibi vindicaſſe, aut ſua gente (Hermunduris) immiſſa, Marcomannos Bohemia exturbaſſe, aegre admitti poterit. Quae enim totidem quidem verbis non ſcripta ſunt, praeſertim in tam conciſis Taciti narrationibus, bona tamen interpretatione ex conſecutionibus rerum recte colliguntur. Undique enim cinxiſſe Bohemiam, Taciti aevo et poſtea, quum Hermunduros cognoſcamus, et regionem circa Albis fontes, partem ſane Bohemiae,

ſeu interiorum Germaniae, in quae Maroboduus avocarat ſuos a provinciarum Ro. vicinitate, eosdem tenuiſſe Taciti teſtimonio conſtet: non videtur dubitandum, inde usque ad ipſam Danubii ripam, Auguſtae Vindel. propinquam, colentibus ceſſiſſe portionem ſedium Marcomannicarum. Et quomodo Vibellius, dux Hermundurorum, et demum rex, pulſo Catualda, cuius in ditione Bohemia Marcomannica tota fuerat, inter accolas regni Vanniani, a quibus circumventus Vannius, et ipſo potiſſimum auctore deiectus, numerari potuiſſet, nulla facta mentione Marcomannorum aut aliorum Bohemiae cultorum; niſi populus, priorum dominorum eo principe victor, iam ſuum nomen redactae in poteſtatem regioni impoſuiſſet? Quis etiam Hermunduros has militias non mercede ſubiiſſe alia, quam praeda, auferri quae poſſet, crediderit; quum communis nationum Germanicarum mos, a florentiſſimis dudum ſcriptoribus perpetuis exemplis confirmatus, neminem fugiat, ut victi parte certe, et tertia plerumque, agrorum, cedere domitoribus ſuis coacti fuerint? Sed haec, ut in transcurſu, attigimus; alio tempore, quid de Hermundurorum rebus e vetuſtis monumentis recte conſtitui poſſit, uberius expoſituri. Quod igitur eruditiſſimus Gelaſius a natura loci, et virtute Boiorum aut Marcomannorum, argumentum ſumit, contra clara *Taciti* teſtimonia, (Germ. c. XLI. XLII. Annal. l. II. c. LXII. LXIII. et l. XII. c. XXIX. XXX.) vel ſic parum valebit: etiamſi non alia quoque e belli Marcomannici hiſtoria, et ex ſeptentrionalibus confiniis regionis Vandalorum ſub Conſtantino M., poſt Marcomannos ab occidente, Danubii ex utraque ripa dudum accolas, et ſub Gallieno parte Pannoniae ſuperioris potitos, (*Iornandes* de reb. Get. c. LV.) adferri poſſent. Tantum certe abeſt, ut ſola Miſnia et Luſatia ſub Vibellio Hermunduris tribuenda ſit; ut, colentibus Sileſiam inferiorem Lygiis, Buriisque, et Moraviam potiſſimum Marcomannis, ut *Hanckius* docet, ii regno Vanniano, ſeu Suevis inter Marum et Cuſum locatis, non ex alia regione potius, quam Bohemiae et Sileſiae ſuperioris meridionalibus e plagis,

gis, propinqui, aut accolae cenſendi ſint. De flumine Albi, nominisque eius notatione, pulcra ſunt quae adfert Gelaſius; qui etiam Hagecii de Panilo rege Hermundurorum, caſtellisque ab illo conditis, narrationem, nullo auctore idoneo inſtitutam, et a Goldaſto non aliunde repetitam, enucleate refellit. Praeclara eſt in primis illa obſervatio de Slavorum odio in linguas peregrinas, ut etiam voces in ſacris, et nomina propria, vel verterint, reddentes verbum pro verbo, vel ad ſuam ſaltem enuntiationem deflexerint. Occaſione Landscronae et Landsbergi haec notantur, quae tantae antiquitatis haud ſint, ut ad Hermunduros origo referri poſſit, ſed a nobilibus potius Germanis, qui ſua nomina impoſuerint, dictae. Exponuntur autem haec luculentum hiſtoriae in uſum.

*Plura menſibus ſecuturis.*

## *SAMUELIS CHRISTIANI HOLLMANNI, LOG. ME-taphyſ. et Theol. naturalis P. P. O. Reg. Scient. Societ. Lond. et nuper etiam Götting. M. Commentationum in Regia Scientiarum Societate inde ab anno 1746. recenſitarum Sylloge.*

Göttingae 1762. 200. pagg. in 4. cum duabus Tabb. aeneis, impenſis viduae Abrahami Vandenhoeck.

Quas in conventibus Acad. Scientiarum Göttingenſis praelectas, commentariis eiusdem inferendas deſtinaverat commentationes, eas, poſteaquam eorum editio, ob lites cum Bibliopola Elia Luzac iuniore ſumptus impendente ortas infeliciter, aliorum ſociorum edendi ſuas meditationes ſeparatim conſilium ac exemplum ſecutus, publicae luci ſeorſim exponit auctor, magnis in omnem Philoſophiam meritis clarus. Conſpicua eſt in iis, aeque ac in reliquis illuſtris auctoris ſcriptis, ſingularis in colligendis de rebus pertractatis vetuſtiorum ac recentiorum Philoſophorum ſententiis diligentia eminens, ac omnibus eruditis maximopere commendanda in iis examinandis modeſtia, acerrima iudicii vi ſuffulta, et in-

genio iis, quae minus etiam probata viſa ſunt, rectiora ac probabiliora inveniendi. Potuiſſemus eius rei ſpecimina ex ſingulis capitibus utiliſſimi huius libri, qui Philoſophis uberrimam meditandi materiam praebebit, ac in abditos naturae receſſus ducet, proferre: ſed in ea, in qua verſatur illuſtris Auctor, celebritate, ſufficiet quaedam ex prima commentatione potiora momenta excerpere, ac reliquarum nonniſi indicem apponere. Continet ea mantiſſam die 7 Febr. anni 1756. recitatam, de terrae motibus, inprimis nupero Ulyſſiponenſi. In hac primum leguntur ea, quae terrae motus funeſtiores a vetuſtioribus ac recentioribus ſcriptoribus deſcriptos concernunt; deinde vero Auctor illuſtris, ex collectis ſumma cura ac ſtudio de ſtrage Ulyſſiponenſi relationibus fide dignis, docet, vix unquam aliquem terrae motum tot memorabilibus phaenomenis ita triſtem ac funeſtum fuiſſe. Duo vero praecipue in eo effectus conſiderandi, ad quos reliqui fere omnes reduci poterunt. Primum ſubitanea illa, eaque enormis ſimul, Portugalliae urbisque Lisboenſis concuſſio, ut 7. aut 8. minutorum ſpatio everſa maxima pars civitatis eſſet, latiſſimeque ſimul diffuſa fuerit, innumerasque alias ſtrages ediderit. Et quanquam adhuc non ſatis pateat, quousque huius concuſſionis ſtupendae vis fuerit progreſſa, poſita tamen relationum veritate, inſtituto calculo, ac ſumpto medio arithmetico, emerget 79200. milliarium quadratorum ſpatium, intra quod aliquis ſaltem, multis vero in locis ſatis funeſtus, terrae ipſius motus perceptus eſt. Secundus vero formidandae huius terrae concuſſionis effectus, qui ſe prodidit, multo adhuc latius patuit. Eadem hora fatali, qua Lisboa corruit, multis Europae Africaeque regionibus, aere tranquillo, nullaque ventorum vi illis ſaltem in locis agitato, aquae partim fluviatiles, partim fluviis adiacentes aliae, partim in lacubus paludibusque, quibus ſenſibile nullum cum aquis fluentibus commercium eſſet, procul a maribus ſtagnantes, tanta rapiditate, et cum tanto ſtrepitu coeperunt intumeſcere et agitari, ut navigiis etiam, aliisque rebus obviis damna inferrent: aqua a fundo ad ſuperficiem evecta, ſaepiusque protruſa,

truſa, paſſim vortices efformavit, non ad magna plerumque locorum intervalla diffuſos: eadem ad loca illa, in quibus modo protruſa in altum fuerat, ſimili fere impetu mox rediit, atque ita ſaepe hauſta abſorptaque fuit, ut fundus partim nudus appareret. Eaedemque viciſſitudines, horae circiter dimidiae ſpatio, pro locorum diverſitate, quater, quinquies, ſexiesque obſervatae ſunt. Hisque finitis aqua ad quietem et altitudinem priorem rediit. Cum aquis arenae quoque, lutum, nonnunquam etiam lapides, ex fundo protruſi, alibi et ligna magna copia, magnaque vi, ex lacus fundo in littus protruſa ſunt. In quibusdam regionibus, ubi eiusmodi aquarum vortices ſubito orti ſunt, vivarum, eodem in loco ante et poſt apparentiam iſtam, aquarum fontes pasſim obſervati ſunt; in lacubus vero quibusdam voragines adeo profundae pasſim deprehenſae ſunt, ut ipſorum fundos reperire non licuerit. Quibusdam in locis cum aquis halitus etiam foetidi et ſulphurei eruperunt, quorum odorem, qui praeſentes forte erant, ferre vix poſſent; ac denique in locis iſtiusmodi, in quibus aquae vel magno cum ſtridore et impetu ita intumeſcerent et erumperent, ne minima quidem in terra proxime adiacente motus aut tremoris alicuius veſtigia ſe prodidiſſe leguntur. Deſcriptis ita graphice phaenomenis ſtupendi huius mali, ac ex relationibus fide dignis extra omnem dubitationis aleam poſitis, ad eruendas eorum rationes ſe confert auctor illuſtris, ac breviter expoſitis rationibus, quas fatalis haec concusſio habuit cum aliis communes, conſiderat accuratius, dari cryptas cavernasque ſub terrae continentis ſuperficie, ipſisque marium fundis, maiores minoresque, ſolitarias partim, partim inter ſe aliquo modo connexas, magis minusque profundas, apertas partim undique, partim clauſas, aerisque eo gravioris magisque elaſtici plenas, quo magis ſint profundae. Adeſſe in iis, multis rationibus docet, corpora ad flammam concipiendam apta, eoque magis inflammabilia, quo olea ex terris pasſim erumpentia ſubtiliora maximeque volatilia, naphta cum petroleis, flammam longe

facilius quam ſulphura bituminaque concipiunt. Ecq
itaque negaverit, poſſe ex iis eiusmodi fulgura fulmi
que in cryptis ſubterraneis, eodem modo ac in liberi
terram ambiente aere eadem generari videmus, oriri.
poſitis his fulminibus ſubterraneis, facile auctor illuſtris c
nium phaenomenorum explicationem ſuppeditat, in
nere ac in ſpecie conſiderata Maris Atlantici indole,
que collata cum adiacentibus Portugalliae Hiſpaniae
gionibus, vicinaque ora Gibraltarenſi, nexuque maris
ius cum remotioribus Britanniae, imo ipſius Americae
toribus, veriſimile reddit, funeſtam illam ſtragem, terr
que concusſionem, derivandam eſſe ex fulminibus, in c
ptis maris Atlantici fundo ſubiectis, una alterave vi
ploſis; ex iisque phaenomena ſingula in aqua tum te
poris obſervata eleganter explicat. Lectu dignisſir
ſunt illuſtris auctoris meditationes, inprimis cum om
eo dirigantur, ut nos deducat ad diſquirendum: an
excogitari forſan aliquid posſit, quo, ſi non medelam p
fectam, temperamentum tamen aliquod malo adhiberi
ceat, quo vix cogitari triſtius, vix magis exitioſum po
quodve circumſpectionem et prudentiam fere humar
omnem hactenus eluſit. Parem animum promove
naturalem ſcientiam, augendique commoda humana,
laque minuendi, in illuſtri auctore venerabitur, quis
reliquas eius commentationes perlegerit. Iſtarum II. p
ponit fallacias quasdam in experimento Florentino,
ça aquae incondenſibilitatem admiſſas: III. Symbolas
illuſtrandum reſpirationis mechaniſmum, et uſum:
uſum ac mechaniſmum foliorum in plantis perfecti
bus: V. Phaenomena quaedam notabiliora congela
nis naturalis et artificialis: VI. Supplementa nonn
ad commentationem de corporum marinorum aliorı
que peregrinorum in terra continente origine.

---

NO

## *NOVA LITTERARIA.*

Anno MDCCLII. in lucem prodiit *Muſeum Muſellianum*, tribus Tomis comprehenſum, quorum duo primi Numiſmata continent, alia Regum, alia Populorum atque Urbium, alia denique Auguſtorum Auguſtarumque ac Caeſarum CCC. et amplius, aeneis tabulis inciſa: tertius latinam quorumlibet Numiſmatum explicationem habet, a *Marchione Iacobo Muſellio,* Viro doctiſſimo, eorum collectore ac poſſeſſore, breviter et accurate conſcriptam. Tria haec Volumina veneunt nummis quatuor aureis Venetis.

Deinde anno MDCCLVI. idem Auctor ſollertiſſimus aliud edidit Volumen, quod inſcripſit *Antiquitatis Reliquias;* in quibus ſunt non pauca Idola, et aliae antiquae Imagines; tum Corneolae, Camei, Torques, Fibulae, Sigilla, Anuli, Claves, Tintinnabula, Cymbala, Pondera, Menſurae, Arma, Ampullae, Phialae, Lucernae, partim in agro Veronenſi effoſſae, partim ex aliis locis ſummo ſtudio comparatae, et ſumtu ab eo collectae non mediocri; curavitque, ut haec omnia CLXXXIII. aeneis tabulis exprimerentur; nec non breves addidit explicationes. Venit hoc Volumen duobus aureis nummis.

Nunc novum prodit Volumen, quaſi trium priorum Supplementum. In eo praeſtantiores nummi, et nonnulli plane ſingulares, ab ipſomet Collectore recentiſſime acquiſiti, repraeſentantur C. circiter aeneis tabulis, adiectis eorum explicationibus. Hos inter ii quoque ſunt, quos ei legavit concivis eius et amicus dum viveret coniunctiſſimus, idemque Vir de re nummaria non ſolum, ſed de omnigena litteratura optime meritus, Marchio Scipio Maffeius, in perenne ſui erga eum amoris teſtimonium, confidens fore, ut publici iuris aliquando

herent.

fierent. Huius quoque Voluminis pretium eſt duorum Aureorum.

Totum itaque hoc Opus, quinque Tomis in folio digeſtum, Tabularum elegantia, typorum nitore, chartaeque pulchritudine ſpectabile, propter egregium celeberrimi auctoris animum, qui nulli rei pepercit, ut editio quam accuratisſima extaret, venit octo nummis aureis, vulgo *Zecchini Veneti*.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Februarii Anno MDCCLXII.*


*EUTROPII BREVIARIUM HISTORIAE ROMANAE, cum metaphraſi graeca Paeanii, et notis integris Vineti, Glareani, Tan. et An. Fabri, Cellarii, Hearnii, Heumanni et Havercampi, item ſelectis Sylburgii. Accedit RUFUS FESTUS, cum notis integris Sylburgii, Cellarii, et Havercampi. Recenſuit, ſuasque adnotationes cum indicibus copioſiſſimis addidit, HENRICUS VERHEYK.*

Lugd. Bat. apud Sam. et Ioh. Luchtmanns, academiae typographos, 1762. oct. mai. Alph. 2. pl. 11.

Etſi fortaſſe plerisque, qui hanc editionem prodiiſſe audient, inanis videbitur et ſupervacua opera, ei ſcriptori tam praeclare inſumta, quem et orationis tenuitas, et negligentia in narrando, contemtum vulgo reddidit: tamen eos paulo lenius iudicaturos putamus, ſi cogitaverint, eos praeſertim libros, a quibus ut plurimum initium latine diſcendi fiat, quam accuratisſime edendos eſſe, nec facilius talium obſervationum utilitatem ad multos pervenire, quam ſi notis ſcriptoribus adiunctae ſint. Sed praeter utilitatem, qua una fortaſſe haec editio Eutropii ſatis commendari poterat, cum harum litterarum ſtudioſi ubique diligenter moneantur, ad quae potiſſimum in huiusmodi libris attendendum ſit, inſunt etiam praeclara documenta exquiſitae in hoc genere doctrinae, indefeſſi ſtudii, ſummaeque in legendo diligentiae, quibus nemo iuſtam laudem detrahere audeat.

Atque etiam praeterea, qui liber vulgo tironibus contemtim relinquitur, eum nunc putamus ſatis dignum videri, qui a pluribus tractetur, quibus quidem in hoc litterarum genere excellere propoſitum ſit, cum tenuiſſimum dicendi genus Eutropii multis ornamentis a Cel. Verheykio commendatum ſit. Quae omnia non eo conſilio diximus, ut noſtro hoc iudicio erga ſuperiorum editorum laudes, Cellarii nominatim, Havercampi, et Gruneri, ingrati eſſemus, quos conſtat optime de Eutropio meritos eſſe, atque Cel. Verheykio ſaepiſſime probatos: ſed ut appareret, multa hac editione ſuperioribus utilisſime addita eſſe. Nunc ſingula diligentius videamus. Primum igitur non ſolum omnium fere, qui Eutropium illuſtrarunt, notae repetitae ſunt; ſed quidquid alicubi ad eum vel explicandum, vel emendandum dictum eſt, id in obſervationibus Verheykianis reperitur. Iam negari non poteſt, eſſe multa, praeſertim a Vineto et Glareano, latius diſputata, quae iam aliunde nota eſſent; ſed cum Cel. Verheykius bibliopolae voluntati hoc dandum fuiſſe monuerit, non debet in eum culpa coniici, qui hanc unam ob cauſam Gruneri notas adſpergere noluit, ne libri moles nimis excreſceret, ſed ubique, quamquam paucis, mentem Gruneri expoſuit, ut nihilo minus ex hac editione intelligeretur, Grunerum fuiſſe diligentisſimum et intelligentisſimum Eutropii interpretem. Si ipſa Verheykiana conſideremus, quod nobis hoc loco maxime agendum eſt, videtur ante omnia de praeſidiis dicendum, quibus inſtructus ad hanc editionem accesſit. In quo ſequemur praefationem, cuius maxima pars eorum enarratione continetur. Antiquisſimarum editionum nonnullas reperire non potuit, ut Romanam a. 1471., quae eſt prima, Venetam a. 1480. Cracovienſem a. 1510., ſed Mediolanenſi a. 1475. et duobus Venetis a. 1489. et 1490, quas Fabricius ignoravit, uſus eſt, item Pariſienſi a. 1512. Quae omnes Eutropium non purum exhibent, ſed a Iano incipiunt, ubique additamentis ex Oroſio aliisque inquinatae ſunt, et Pauli Diaconi libros de geſtis Romanorum adiectos habent. Poſt mul-

r

rum editiones, quarum catalogus eſt apud Fabricium, primus Schonhovius Baſileae 1546. Eutropium ab additamentis purum e codice Gandenſi edidit, Vinetus autem Pictavis 1553. editum primus illuſtravit. De ceteris editionibus aliunde notis non eſt quod hic dicamus. Veniemus ergo ad codices. Primo loco ponitur, qui Leidenſis primus appellatur, quem poſt Havercampum denuo diligentisſime inquiſivit Verheykius, atque tanta auctoritate eſſe putavit, ut in diiudicandis lectionibus eum ſequeretur. Secundus eſt chartaceus in forma maxima, ſed interpolatus; tertius item quaternis ſcriptus, ſed melior ſecundo; quartus multa habet additamenta. Praeter hos uſus eſt chartaceis duobus, formae quartae, ab Havercampo negligentisſime inſpectis, priori quidem corruptiſſimo, adeoque neglecto, poſteriori valde bono, et haud dubie omnibus praeter Leidenſem primum praeferendo, quem quintum appellavit. Cetera pars praefationis breviter indicat, quid de ipſius Eutropii vita viri docti ſtatuant. Inſunt praeterea quaedam particulae diſſertationis Verheykianae de dictatore populi Romani, quam integram conſtituerat Eutropio addere. Sed cum hoc conſilium mutarit, quinque tantum loca Eutropii, quae ſunt de dictatura, doctiſſimis animadverſionibus, ex illa diſſertatione huc translatis, illuſtravit, quae ut ſuo tempore integra prodeat optamus. Iam ut ad ipſum Eutropium, notasque Cel. Verheykii copioſiſſimas accedamus, primo loco videbimus de notis criticis, cum in univerſum videatur hoc ſpectaſſe, ut contextum ederet, quoad fieri poſſet, integrum. Ac dici vix poteſt, quam non ſolum neceſſaria fuerit haec opera, ſed feliciter etiam inſumta. Etſi enim ab aliis editoribus multa ſunt e codicibus obſervata, et ingenio atque ſagacitate animadverſa, immutata item et reſtituta, in quo ſummum fuit ſtudium Cellarii, Hearnii, Havercampi, atque Gruneri: tamen vel codices ad manus non habuerunt, vel nimis paucos, vel parum accurate tractarunt, quod de Havercampo multis exemplis demonſtravit Verheykius. Veriſſime igitur dicere licet, innumeris in locis reſtitutam eſſe

Eutropio hac editione veram lectionem, ſive antea incognitam repertam dicamus, ſive eam reſtitutam, quae praeter neceſſitatem immutata erat, ſive denique confirmatam, quae fuerat doctorum virorum coniecturis indicata. Quod quidem ei facile fuit, inſtructo tot editionibus et codicibus, e quibus varietatem lectionis, maxima cum diligentia collectam, textui ſingulis paginis ſubiecit. Ante vero quam exempla eorum, quae ab eo immutata ſunt, ponamus, univerſam eius rationem criticam breviter deſcribemus. Atque negari hoc loco non poteſt, eſſe Verheykii modeſtiam et fidem in hoc genere valde commendandam, qui in emendando non putaverit ingenio indulgendum eſſe et coniecturis; ſed certum fundamentum conſtituendum, cui lectionum veritas inniteretur. Hinc in omnibus diligentiſſime ſecutus eſt codices cum editionibus, nihil ſine his mutavit, aut, ubi opus erat, immutatum reliquit, atque errores adeo Eutropii non celavit, modo ipſi, ut in praefatione dixit, perſuaſum eſſet, lectionem eſſe ab Eutropio. Quae ratio ut eſt ad modeſtiae laudem praeclara, ita efficit, ut, quod in libris et codicibus ſervatum ſit, certo cognoſcatur. Nam ſi quis velit nonnumquam in his librariorum omnium errores agnoſcere, et codicum eſſe lectionem ſtatuere, non ipſius ſcriptoris, relinquitur ei iudicandi libertas, editoribus autem fides conſtat, qui lectionem in libris repertam indicarunt. Nunc ponamus loca e codicibus et editionibus mutata. Verba *Rheae Silviae* (I. 1.) recepit. *Populus ſuus* (I. 2. al. 1.) veram eſſe lectionem omnium codicum fide recte defendit, exemplisque Eutropii ipſius confirmavit, hanc pronominis redundantiam non ferendam facile in ſcriptore aevi Ciceroniani: ſuperiores editores vel dubitarant, vel eiecerant. Pro verbis *annum unum*, quae antea edita ſunt (I. 9. al. 8.) repoſuit *annum*. Etſi deinde non improbamus, receptum eſſe (II. 2. al. 1.) *cum bello* pro vulgari *ad portas bello venerant*, quod eſt frigidum, nec aliam patitur interpretationem, quam *tempore belli*, in quo eſt additamentum ſupervacuum: tamen exempla adiecta rem non

viden-

videntur conficere, in quibus particula *cum* promiſcue addi poteſt, aut omitti. Nobis videtur potius hoc dictum eſſe, *bellum attulerunt ſecum ad urbem*, ſeu, *cum bello venerunt*, ut ille Popilius Laenas, qui in ſinu tulit bellum et pacem, et dici poteſt cum bello et pace veniſſe, ſive ut Apoll. Rhod. (I. 1024.) dixit, εἴσαντο πελασγικὸν ἄρεα κέλσαι, putabant Pelasgicum bellum appuliſſe, aut Pelasgos cum bello veniſſe. Ita ipſe Verheykius in Breviario Sexti Rufi (c. 6.) edidit: *Gallos cum victoria remeantes*. Eodem loco e codicibus edidit *octo civitates*, cum antea numeri nomen omiſſum eſſet. Veriſſimum porro eſt, quod (II. 21. al. 11.) *multisque vaſtatis* repoſuit, eiecto verbo *oppidis*, praeter codices re ipſa monente, et Paeanio aſſentiente. Ibidem e codicibus *quindecim millia* mutavit in verbum *quingenti*, quod iam Grunerus fecerat. Primus Verheykius poſt verba *Eumeni donatae ſunt* (IV. 4. al. 2.) inſeruit e codicibus *a Senatu*, et confirmavit eadem auctoritate, paulo poſt *Aſiagenis* legendum eſſe pro *Aſiatici*. Notabilis autem eſt lectio, quae ab eo (IV. 20. al. 9.) e codice primo et Oudendorpii coniectura recepta eſt: *adverſus eum miſſus Pont. P. Licinius Craſſus — habuit*, quae a prioribus editionibus valde diſcrepat. Mirum etiam eſt, a nemine obſervatam eſſe lectionem, quam ex editionibus pluribus, et omnibus codicibus, reſtituit Eutropio (VII. 3. al. 2.) *ſecundo Brutum et infinitam nobilitatem — geſſerat, victam interfecerunt.* Similiter mendum eſt ſublatum ex loco quodam in vita Titi (VII. 21. al. 14.) quem ſic conſtituit: *Facilitatis tantae fuit et liberalitatis, ut, cum nulli quidquam negaret, et ab amicis reprehenderetur, reſponderit.* Ultimum locum ponemus ex libro octavo (c. 18. al. 10.) qui hunc in modum mutatus eſt: *Parthos vicit et Arabas interiores et Adiabenos. Arabas eo usque* etc. Quae omnia non ſolum in Paeanii metaphraſi iisdem verbis leguntur, ſed ab aliis etiam tradita ſunt, ut iucundum eſſe debeat harum rerum ſtudioſis, ea in editionibus quoque et codicibus inventa eſſe. Atque ſi dicamus, permulta alia huius generis loca occurrere, ubi vel additum ſit verbum, vel

 dem-

demtum, vel verborum ordini grammatico et hiſtoriae melius conſultum: intelligant lectores, primum non inutilem eſſe operam Cel. Verheykii, deinde Eutropium nunc demum expurgatum videri omnibus mendis, tandem codices antea non ſatis conſultos eſſe. Sed liceat nobis paucisſima addere, in quibus videmur nobis ab eo recte diſſentire poſſe, cuius rei veniam nos ab eius humanitate facile impetraturos eſſe ſperamus. Non potuimus probare, quod (III. 7. al. 2.) editum eſt: *quia latrocinati navibus Romanorum fuerant.* Nam primum Hiſtris bellum illatum eſſe debuit, quod Romanorum naves frumentarias exceperant, non quod iis uſi erant ad piraticam faciendam, qui ſenſus eſſet lectionis Verheykianae, parum ille commodus. Etſi porro eius codices habent *navibus:* tamen his opponi poſſunt codices Hearnii et Paeanius, qui accuſativo utuntur, aut ita locum interpretantur, ut accuſativum legiſſe videantur. Ultimo loco quaeri poteſt, num Hiſtri navibus frumentariis Romanorum, adeoque onerariis, ad piraticam, in qua parvis navigiis opus eſt, uti potuerint? Quod ut parum veriſimile eſt, ita nobis *τὸ naves* praeferendum videtur: loquendi enim formulae hac multo inſolentiores in Eutropio occurrunt. In rebus geſtis Hannibalis Eutropius dicit: *Alpes adhuc ea parte invias ſibi patefecit*, (III. 8. al. 4.) quo loco e tribus codicibus laudatum eſt *adhuc tum*, quod non videtur abiici debere. Haud dubie enim legendum eſt *adhuc dum*, cuius fuit facilis mutatio in *tum*, quod quidem ferri non poteſt; aut *dum*, quod erat hic rarius, omiſſum eſt. Si a criticis obſervationibus ad exegeticas tranſeamus; invenimus nonnullas hinc inde adſperſas: videtur enim parcus in hoc genere eſſe voluiſſe, cum ab aliis ſatis eſſet monitum, nec digna oratio Eutropii, quae ad bene ſcribentium normam exigeretur, et ubique temporum illorum negligentiam et imitandi inſcitiam proderet. Quorſum haec referimus, quae olim obſervavimus. Cum *mandare ſenatui* et *remandare Pyrrho* (II. 7. V. 3.) ſignificet, per legatos nunciare; poteſt fortaſſe utriusque loci comparatio modum loquendi illuſtrare.

ſtrare. Deinde (VIII. 10. al. 5.) *Parthicum triumphum revexit* an ſignificat: *triumphans rediit?* ut Polybius (Exc. Hiſt. XI. 31.) dixit, θρίαμβον καὶ νίκην κατάγειν τῇ πατρίδι, et (XVI. 12.) θρίαμβον εἰσάγειν. Sed vix ita loquuntur Latini: feramus tamen in Eutropio. Igitur redundabit verbum *triumphavit*. Longiores fuimus in deſcribenda obſervationum grammaticarum ratione, quae pulcerrimae ſunt et utiliſſimae, cum putaverimus, nos ita planum facturos eſſe, quam multa loca a Verheykio Cel. bene conſtituta ſint. Reſtant obſervationes chronologicae et hiſtoricae, quae haud paulo maiorem laudem merentur, quam ceterae. Cum enim ſint innumeri errores Eutropii in hoc genere, obſervati magnam partem et correcti a ſuperioribus editoribus: nihil intactum reliquit Verheykius, quod nondum penitus eſſet ſanatum, aut neglectum etiam huc usque. Hinc diligentiſſime comparavit Eutropium cum aliis hiſtoricis, et plures hoc modo detexit errores, difficultates, et diſſenſus, quorum culpa fere in Eutropii negligentiam aut ignorantiam collata eſt. Neque tamen putamus ſingula loca hic commemoranda eſſe, quorum magnam partem, ſi quis velit librum inſpicere, facile reperiet. Anni porro accuratiſſime conſtituti ſunt, colligendis omnibus, quae vel a veteribus tradita eſſent, vel a recentioribus obſervata. Profuit autem ſaepe haec ἀκρίβεια ad emendandum Eutropium iis in locis, quos nemo antea tentarat, velut quod pro *Volſcis* reponendos putat *Faliſcos* (I. 19. al. 17), et pro *Cn. Sentio* ex Dione ſcribendum docet *Cn. Hoſidium* (VII. 13. al. 8.). Atque talia paſſim ſunt admonita. Ceterum Eutropium Varronis calculo uſum eſſe, ex aliorum obſervationibus oſtenſum eſt (I. 1.). Eutropium ſequitur metaphraſis Paeanii, uno tenore edita, cum animadverſionibus Sylburgii, Cellarii, et Havercampi, pauciſſimis Verheykii. Nam quae ei viſa ſunt Paeanium vel emendare, vel illuſtrare, ea omnia tractavit in notis ad Eutropium, ad quas lectores reiiciendos recte exiſtimavit. Praeterquam autem quod Paeanii metaphraſi ſaepe codicum lectionem ibi ſtabilivit, obſervavit

vavit etiam eius ab Eutropio diſcrepantiam, cuius malum codicum Paeanio ad manus fuiſſe iudicavit ad II. 13. Poſt hunc editum eſt Sexti Rufi Feſti Breviarium rerum geſtarum P. R., in quo deſcribendo poterimus breviores eſſe, cum ratio eius edendi eadem fuerit, quam in Eutropio ſecutus eſt Verheykius, idem conſilium, eadem diligentia et obſervationum utilitas. In praefatione praeter plures editiones, in quibus Cellarianam iure cenſuit primo loco ponendam, commemoravit ſex codicum collationes, quarum praeſidio adiutus libellum edidit. Expoſitis deinde variis doctorum virorum de auctore Breviarii, eiusque praeſertim nomine, ſententiis, aſſenſus eſt iis, qui verum nomen eſſe putarunt Sextus Rufus Feſtus. Ipſae notae Verheykianae maximam partem continent catalogum variarum lectionum, de quibus tamen ſaepius non iudicatum eſt. Tamen hic quoque nonnulla aut emendata ſunt, aut reſtituta, ut cum (c. 6.) repoſuit: *Gallos cum victoria remeantes*, pro quo ſuperiores ediderant *Gallos victores*, et (c. 9.) *crudele et callidum genus* pro *crudeles et callidi*, ibidemque *Parthenopolis* pro *Phthinopolis*, e quibus ceterae obſervationes criticae facile diiudicari poſſunt. Admonitum eſt etiam (c. 11.), auctorem Breviarii non ſatis bonum codicem Eutropii habuiſſe. Reliquae notae hiſtoriam illuſtrant; de qua cum ſit ad Eutropium maxime actum, iuſſit lectores ad Eutropianas notas redire. Nihilominus et hic quaedam latius diſputat occurrunt, quae facile poſſint tenuiſſimo libello pretium adferre. In his eminet paulo longior de Saracenis obſe vatio (c. 14.), de quorum nomine, origine, ſedibusque ex poſitum eſt. Docet igitur, eos a regione, quam incolu runt, orientales appellatos eſſe, propinquos fuiſſe Arab bus Scenitis, cum quibus interdum confuſi ſint, veru ipſos ubique vagatos eſſe, degentes ſub tentoriis, habui phylarchas ſive praefectos tribuum, in quas deſcripti fu rint, qui fere dicerentur phylarchae Saracenorum Aſſani rum aut Maoddenorum, quo genitivo indicaretur trib nomen. Inde colligit, hic legendum eſſe *Phylarchi Sa*

*cenor*

*canorum Oſroenorum*, cum antea ſit editum *in Oſroene;* huius tribus phylarchas commune Abgarorum nomen habuiſſe. Nec iniucunda lectu ſunt velut compendia hiſtoriae belli Iugurthini (c. 4.), et Macedoniae in provinciae formam redactae, et geographia Mauritaniae atque Numidiae (ibid.) breviter tradita. In fine adiectus eſt libellus provinciarum, qualem ediderunt Schonhovius et Cellarius, de quo non eſt quod hic moneatur. Laetamur vehementer, Eutropium nactum eſſe tam doctum interpretem, qui eo utilius librum tractare potuit, quo maius ſtudium cum doctrina et diligentia coniunxit.

## *MAXIMILIANI HELL, E SOC. IESU, ASTRON. Caeſ. Regii in Univerſitate Vindobonenſi, Obſervatio Tranſitus Veneris ante diſcum Solis die 5. Iunii an. 1761. etc.*

Vindobonae, typis Io. Thomae Trattner, pl. 8½. in 8vo.

Nunc tandem fruges in horrea colligere licuit, quas rariſſimum, Tranſitus Veneris ante Solem d. 5. Iunii ſtyl. aſtron. an. 1761. celebrati, phaenomenum coelo favente Aſtronomis meſſoribus, ut ita dicere liceat, largiter conceſſit. Nactum eſt phaenomenum iſtud tot obſervatores, et dignitatis ſplendore inſignes, et munificentia Principum excitatos, et ingenuo in rem aſtronomicam favore allectos, ut poſteri merito ſingularem ardorem ſuſpecturi ſint, quem neque bellum maxime exitioſum reſtinguere valuit. Reſtabat igitur, ut ſedulus ſcientiae ſyderalis ſcrutator et promotor fruges reportatas, non ſolum in praeſentem, eumque eximium divinae iſtius ſcientiae uſum, congereret; verum etiam theſauri inaeſtimabilis loco poſteritati conſervaret. Optime id, et ſtudio indefeſſo, praeſtitit celeberrimus Aſtronomus Vindobonenſis, *R. P. Hell*, in opuſculo quod indicamus, et cuius expoſitionem brevem nunc inſtituemus. Recenſet primum Cl. *Auctor* obſervationem huius tranſitus Vindobonae a ſe habitam. Pro determinanda ſucceſſive

Veneris in diſco Solis poſitione, uſus eſt tubo dioptrico 5. ped. reticulo et micrometro inſtructo, cuius ope appulſus tum limbi Solaris ad filum horarium, tum Veneris ad horarium et fila obliqua, perradente interim limbo Solis auſtrali filum diurnum, annotavit, et ſimul ope micrometri diſtantiam Veneris a limbo Solis auſtrali menſus eſt. Ex eiusmodi obſervatione apparentem Veneris aſcenſionem rectam et declinationem obtinuit, adſtrictam ad tempus, quo centrum Veneris in filo horario extitit. Utramque, ſuppoſita parallaxium horiz. ♀ris et ☉lis differentia = 25″ effectu parallaxis liberavit, et inde longitudinem et latitudinem ♀ris veram deduxit, atque cum loco Solis comparavit, cuius quoque methodi explanationem adiecit. Octo ſic obtinuit poſitiones; quod ad Veneris egreſſum vero, coeli clementia emerſionem tantummodo totalem obſervare conceſſit, quam Tubo Newtoniano 4½ ped. cum lente 1. digiti in foco hor. 21. 43′. 10″. temp. veri, intra pauca ſecunda certus, annotavit. Ex dictis poſitionibus obſervatione acquiſitis et debite adaptatis, calculo extenſo, elementa inveſtigavit Tranſitus huius Veneris per Solem ad centrum Telluris relati, eaque in tabulam ſequentem concinnavit.

*Elementa ſpectata e centro Telluris.*

| | | |
|---|---|---|
| Coniunctio ☉ et ♀ geocentrica d. 5. Iunii | 18ʰ. 46′. 5″. | |
| Longitudo geocentr. ☉ et ♀ pro hoc tempore ♊ | 15°. 36′. 9″. | |
| Latitudo geocentr. in ingreſſu centri ♀ | 0°. 7′. 12″ | |
| - - - ♀ris in coniunctione | - 9. 29 | A. creſc. |
| - - - in egreſſu centri ♀ | - 11. 18 | |
| Diſtantia centrorum minima | - 9. 22 | Auſtr. |
| Tempus diſtantiae minimae | - 18ʰ. 23′. 8″ | |
| Differentia inter ☌nem et diſtant. minimam | 0°. 1′. 31½″ | |
| Eadem in tempore | 0ʰ. 22′. 57″ | |

Semi-

| | |
|---|---|
| Semidiameter Veneris obſervata | 0°.0′.29″ |
| Semidiameter Solis | - 15.48½ |
| Motus horarius in orbita | - 4. 1 |
| Duratio totius tranſitus centralis | 6ʰ.23′.21″ |
| Semiduratio | 3.11.40½ |

*Hinc e centro Telluris.*

| | hor. min. sec. |
|---|---|
| Primus contactus in Immerſione | 15. 2. 33 |
| Ingreſſus centri | 15.11.27½ |
| Immerſio totalis | 15. 20. 37 |
| Medium tranſitus | 18. 23. 8 |
| Contactus interior in Emerſione | 21. 25. 39 |
| Egreſſus centri ♀ | 21. 34. 48½ |
| Ultimus contactus limborum ☉ et ♀ | 21. 43. 43 |
| Duratio inter contactus exteriores | 6. 41. 10 |
| - - - interiores | 6. 5. 2 |
| Mora duorum contactuum interioris et exterioris | 0. 18. 4 |

*E centro Solis.*

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo Veneris | ♐ 15°.35′.9″ | |
| Latitudo in ingreſſu centri ♀ | - 2. 51 | Auſtr. |
| - - in coniunctione | - 3. 46 | |
| - - in egreſſu centri ♀ | - 4. 29 | |
| Longitudo nodi deſcendentis | ♐ 14. 32. 39 | |
| Motus horarius ad Eclipticam reductus | - 3. 58 | |
| - - - in orbita | - 3. 59½ | |
| Angulus Inclinationis verus orbitae ♀ cum Ecliptica ex obſervat. | 3. 21. 53 | |

Addidit etiam *Cl. Auctor* ſuis obſervationibus alias huius Tranſitus, quas varii Viri celeberrimi, (in quorum numero Pariſienſis quoque Aſtronomus *Caſſini de Thury* habetur,) Vindobonae laudabili ſtudio inſtituerunt, una cum catalogo

Eclipſium Satellitum Iovis an. 1761. ibidem obſervatarum; et tandem p. 23. ſequ. inſeruit elegantem de diametro Veneris apparente eiusque imminutione optica in diſco Solis diſquiſitionem.

His ita peractis progreditur *Cel. Auctor* ad recenſionem obſervationum phaenomeni noſtri a Viris exercitatis per totam Europam ſparſis habitarum, et ſecum benevole communicatarum, atque a ſe in arctum compendium redactarum: quas ergo arctioribus adhuc limitibus noſtra enumeratione comprehendere non licebit. Sufficiet obſervatores magna ex parte nominaſſe. Primum praedicatur *Gallia*, Aſtronomorum mater, quibus in ſingulare ſcientiae ſyderalis decus accenſere ſe dignati ſunt *Emin. Cardinalis de Luynes* et Celſ. *Dux de Chaulnes*. Horum obſervationes, cum a *D. de la Caille* edi debuerint, hic non proferuntur. *Lutetia* obſervatores habuit, *de Baudoüin*, *de la Condamine*, *le Monnier*, *Maraldi*, *de la Caille*, *de la Lande*, *Meſſier*, *de Fouchi* cet. quibus nominibus et plura adiicienda ſunt, ſi Galliam univerſam ſpectes. Id addit *Auctor* noſter, Academicorum Pariſienſium in diverſa loca exmiſſorum obſervationes ſibi nondum innotuiſſe, ſed ſolum cognoviſſe, quod *D. Pingrè* in inſula *Rodriques* ingreſſum Veneris ob nubes obſervare non potuerit, ſolumque egreſſum obtinuerit; *D. le Gentil*, ob captum interea temporis ab Anglis *Pondicheri*, nequaquam ad ſtationem ſuam pervenerit; *D. l' Abbé Chappe* autem in Sibiriae loco *Tobolsk* tempeſtate ſereniſſima gaviſus ſit. Poſtremi obſervationes Petropoli impreſſas, et ab Academia imperiali iam publicatas eſſe, hic ſupplere licet. *Anglia* obſervatores produxit *Bliſs*, *Birch*, *Green*, in obſervatorio Greenwichii: *Short*, *Hebetden*, *Cantons*, *Ellicot*, reliqu. In *Hiſpania*, et quidem *Madriti*, Venerem in Sole contemplatus eſt *Rieger* cum Sociis. In *Italia* obſervationes inſtituerunt, Bononiae *Zanotti* cum Sociis, quae hic bene referuntur; Romae *Anonymus*; Patavii *Poleni* cum Sociis; Florentiae *Ximenes*. Inter *Germanos* obſervatores celebrantur, *Illuſtr. Baro ab Ehrmans* in arce *Wetzlas* prope urbem Cremb-

Crembſium Auſtriae inferioris; *Kratz* Ingolſtadii; *Anonymus* Monachii; *Huberti* Herbipoli; *Mayer* Schwezingae ad Heidelbergam; *Hauſer* Dillingae; *Mayer* Göttingae; *Hoffmann* Dresdae; *Schöttl* Labaci in Carniolia. Obſervatores porro habuit *Hungaria*, *Weiſſium* Tyrnaviae; *Suecia*, *Wargentin*, *Klingenſtierna*, et *Wilke* Holmiae; *Ruſſia*, *Braun*, *Kraſilnikow*, *Kurganow* Petropoli. Holmienſes et Petropolitanae obſervationes moram totius tranſitus exhibent; cum in ante recenſitis regionibus Emerſio ſolum videri potuerit. Hic finem fecit *Cel. Auctor* recenſionis obſervationum ſecum communicatarum, daturus forſitan alias, ſi quae innotuerint, ſupplementi loco. Ut autem uno quaſi intuitu praecipua Tranſitus huius momenta et elementa, a variis ante recenſita, perluſtrare liceret, *Cl. Auctor* ſeptem Tabulas, adiectis animadverſionibus, concinnavit. *Prima* exhibet tempora vera contactuum limborum Solis et Veneris, variis in locis obſervata. Notat hic *Cel. Auctor*, praedictionem *Halleii*, de Solis parallaxi ad praeciſionem $\frac{1}{500}$ definienda, reſtrictioni admodum ſubiectam eſſe, praeſertim ſi obſervationes hactenus enumeratas ſpectes, ita ut ex iis definitio parallaxis vix ad $\frac{1}{20}$ vel adeo ad $\frac{1}{10}$ certa ſperari poſſit. Mittit ergo eiusmodi determinationes, donec ex obſervationibus eorum, qui cauſa huius parallaxeos maxima ſane itinera fecerunt, certius quid ſtatui poſſit. *Secunda* Tabula complectitur diametros apparentes Veneris, tam per dimenſionem, quam per moram Emerſionis aut Immerſionis, ſive etiam ex tranſitu per filum horarium, definitas. Statuitur iſta media = 58. ſecund. *Tertia* indicat ſitum geographicum locorum, in quibus tranſitus noſter obſervatus habetur. *Quarta* exhibet omnia contactuum momenta apparentia, reducta ad meridianum *Madritenſem*, locum maxime in Europa occidentalem; itemque differentias contactuum affectas parallaxi. Tabula *quinta* eadem, quae quarta, repraeſentat; ſed reducta ad meridianum *Pariſienſem*. *Sexta* conſpectum proponit elementorum ſingulorum ex obſervatione hac, tam ab *Auctore*, quam ab aliis, deductorum, e quibus obſervatio-

num conſenſus intelligitur. *Septima* tandem comparationem elementorum ex obſervatione cum elementis ex optimis tabulis ſupputatis ob oculos ponit. Patefecit haec *Cel. Auctori* nonnullas correctiones Tabulis aſtronomicis *Caſſini* applicandas, quibus ſic correctis una cum Tabulis Solaribus *D. de la Caille* deinde *Cl. Auctor* uſus eſt in praedictione *Tranſitus futuri Veneris per diſcum Solis an. 1769. d. 3. Iunii temp. aſtron.* ad meridianum Vindobonenſem. Licet autem Tranſitum iſtum calculus in *Germania* inviſibilem pronunciet, Sole iam infra horizontem verſante; in aliis tamen Europae locis, et occidentalioribus et borealioribus, ſaltem quoad ingreſſum, viſibilis erit; quamobrem elementa deducta hic tranſcribere iuvat.

*E centro Telluris.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Coniunctio ☉ et ♀ d. 3. Iunii 1769. | | | |
| temp. aſtron. | | $11^h.20'.36''$ | |
| Longitudo geocentrica ♀ et ☉ | ♊ | $13^\circ.27'.43''$ | |
| Longitudo nodi aſcendentis | ♊ | 14. 37. 11 | |
| Diſtantia helioc. ♀ a nodo deſcend. | | 1. 9. 37 | |
| Latitudo helioc. ♀ in ☋ | | - 4. 8 | bor. |
| - - geocentr. | | - 10.23 | bor. decr. |
| Diſtantia minima ♀ a centro ☉ | | - 10.16 | bor. |
| Differentia inter ☋ et medium Tranſitus | | - 1.35 | addit. |
| Eadem in tempore | | - 23.49 | |
| Inclinatio app. orbitae ♀ cum circ. latit. occ. verſus | | 81. 24. 11 | |
| ♀ in diſtantia minima | | $11^h.44'.25''$ | |
| Semidiameter ☉ | | $0^\circ$. 15. 49 | |
| ♀ Semidiameter | | - - 29 | |
| Motus horarius ♀ in orbita | | - 3.59½ | |
| Pars orbitae intra diſcum ☉ appar. | | - 24. 4 | |
| Hinc duratio centralis totius Tranſitus | | $6^h$. $1'.45''$ | |
| Semiduratio centralis | | 3. 0.52½ | |

Semi-

| | |
|---|---|
| Semiduratio contactuum exteriorum | 3. 10. 0 |
| Eadem contactuum interiorum | 2. 51. 44 |
| Mora ♀ ab uno contactu exteriori ad interiorem | - 18. 16 |
| Diſtantia Telluris a Sole | 10152 |
| - - Veneris a Sole | 7263 |
| - - Veneris a Tellure | 2889 |

*Hinc habentur ſequentia.*

| | |
|---|---|
| Contactus primus | 8ʰ. 34′. 25″ |
| Ingreſſus centri | 8. 43. 33 |
| Contactus interior | 8. 52. 41 |
| Medium Tranſitus | 11. 44. 25 |
| Contactus interior in egreſſu | 14. 36. 9 |
| Egreſſus centri | 14. 45. 17 |
| Emerſio totalis | 14. 54. 25 |

Addidit etiam *Cl. Auctor* elementa Eclipſis Solaris eadem die 3. Iunii per Europam viſibilis; et deinde, in uſum poſterorum, adiecit elementa *Tranſitus Veneris per diſcum Solis an. 1874. d. 8. Decembr. ſtyl. Gregor.* Supplementi tandem loco methodus exponitur ſupputandi differentias in aſcenſionem rectam et declinationem apparentem, facta obſervatione per filum verticale et horizontale; et poſtea Eclipſes Satellitum Iovis an. 1761. *Pariſiis*, *Pragae*, *Schwezingae*, *Pollingae*, *Tyrnaviae;* item Eclipſis Lunae d. 18. Maii 1761. *Pariſiis*, *Labaci* in Carniolia, obſervatae enumerantur.

Optime ſic perſpicit B. L., quantam operam doctiſſimus *Auctor* noſter impenderit, ut rei aſtronomicae conſuleretur, et quaenam egregia in futurum de laboribus eius ſcientia iſta ſibi polliceri poſſit, qui iamdudum et obſervandi dexteritate, et in calculis aſtronomicis perficiendis indefeſſo ſtudio, inter Aſtronomos praeſtantiſſimum ſe exhibuit. Debemus ipſi ad ſex annos iam elapſos *Ephemerides aſtronomicas*, rerum copia abundantes et excellentes, atque eo pretioſiores, quo rariores hiſce temporibus eiusmodi Ephemerides eſſe

eſſe ſolent. Praeſtantia ſtatim elucebit, ſi brevem *Ephemeridum ad annum 1762.* expoſitionem ſuſcipiamus, quod inſtitutum L. B. utique pergratum erit, cum *Cl. Auctor* tractatum, quem hactenus recenſuimus, inſtar Appendicis ad dictas an. 1762. Ephemerides haberi ipſe voluerit, cuius vero praecellentia expoſitionem ſeiunctam omnino meruit.

*EPHEMERIDES ASTRONOMICAE ANNI 1762. ad meridianum Vindobonenſem iuſſu AUGUSTORUM calculis definitae a* Maximiliano Hell, *e S. I. Aſtronomo Caeſareo-Regio Univerſitatis Vindobonenſis, etc.*

Viennae, typis Io. Thomae Trattner, pl. 15. cum fig. in 8.

Cum inſtituti ratio ex eo pateat, quod ad calcem recenſionis praecedentis monuimus, ſtatim ad ipſam conſtitutionis harum Ephemeridum expoſitionem progredi licebit. Feliciter imitatus eſt *Cel. Auctor* formam Ephemeridum gallicarum, (Connoiſſance des temps ou des mouvemens céléſtes), quae Pariſiis iuſſu Academiae Scientiarum quotannis publicari ſolent; ſed non ſolum imitatus eſt, verum etiam mutationibus variis novisque acceſſionibus Ephemerides ſuas ita concinnavit, ut iſtae obſervationibus prompte iucundeque inſtituendis, et calculis accommodate perficiendis, optime inſervirent. Ex quatuor partibus, quae librum plerumque componere ſolent, tres tantum notabimus, cum quarta pars, quae annuis obſervationibus alias dicata eſt, pro hoc anno ipſum tractatum de Tranſitu Veneris per Solem conſtituat, quem in praecedenti recenſione laudavimus, et qui etiam ut tractatus nunc ſeiunctus ſpectari poteſt. Poſt introitum, varia monenda, et Eclipſes Solis ac Lunae complectentem, *prima pars* diarium aſtronomicum exhibet, in quo pro ſingulis menſium diebus, praeter conſuetam Calendarii diviſionem, ea indicantur, quae notitiam temporis aſtronomicam, motus Solis, Lunae, reliquorumque planetarum etc. ſpectant. Sic tempus medium

diem meridiei veri, incrementum diurnum temporis medii, diſtantia o. ♈. a meridiano, acceleratio diurna fixarum prae motu Solis vero, exponuntur. Solis in meridiano verſantis longitudo vera, motus horarius verus, aſcenſio recta in partibus circuli, eadem in tempore, declinatio vera, altitudo centri Solis vera, diameter Solis apparens, mora tranſitus diſci Solis per meridianum, logarithmus diſtantiae Solis a terra in Ellipſi, traduntur; apparens centri Solis et ortus et occaſus; nec non fixae, in quarum parallelo Sol verſatur, notantur. Deinde ad tempus meridiei verum, Lunae longitudo, latitudo, aſcenſio recta, declinatio, omnes verae, diameter et parallaxis horizontales, nodusque aſcendens, exhibentur; Lunae autem culminantis, tempus verum, altitudo centri apparens, mora tranſitus diſci per meridianum et diameter apparens, aſſignantur; et denique congreſſus lunae cum fixis et planetis proponuntur. Excipiunt haec, phaenomena et obſervationes tum lunae, tum reliquorum planetarum; et circumſtantiae, quae planetas in parallelis fixarum verſantes indicant. Sequuntur, quae planetas concernunt, ad ſenos cuiusque menſis dies, nempe planetarum, ortus apparens, tempus culminationis verum; longitudo, latitudo, declinatio ad tempus meridiei verum; occaſus apparens. Tandem Eclipſes Satellitum Iovis; ſitus iſtorum Satellitum ad ſingulos menſis dies pro apparentia in tubo aſtronomico, nec non eorundem ſitus pro tempore eclipſeos cuiusdam Viennae viſibilis, aere expreſſi, adiiciuntur. In calculis, qui momenta hactenus enumerata patefecerunt, *Cl. Auctor* unum eundemque Tabularum aſtronomicarum conditorem non ſecutus eſt. Calculi Solis e Tabulis *Cel. de la Caille*, cum coelo mire conſentientibus, ſupputati ſunt. Calculos ad lunam pertinentes ſuppeditarunt Tabulae *Cl. Tobiae Mayer*, quae Tomo II. Commentar. Soc. Reg. Göttingenſis ad annum 1753. inſertae ſunt, et quas *Auctor* noſter valde praedicat. Planetarum loca e Tabulis *Cel. Caſſini* calculata ſunt. Satellitum Iovis, tam eclipſes, quam ſitum geocentricum, ex propriis manuſcriptis Tabulis a ſe con-

ſtructis deduxit *Cel. Auctor.* Tempora omnia vera ſunt et aſtronomica, exceptis Satellitum Iovis, quae civilia intelligi debent.

Accedimus ad *Partem ſecundam*, quae Tabulas continet aſtronomicas ad uſum pleniorem harum Ephemeridum neceſſarias. Praeter tabulam ſyſtema ſolare explicantem, primum comparet Catalogus 217. fixarum inſignium, ex *fundamentis Aſtronomiae Cl. de la Caille* excerptus, et ad principium anni 1762. reductus. Hunc excipit tabula accelerationis fixarum prae motu Solis medio, quae uſum in examine horologiorum praeſtat. Sequuntur Tabulae generales XIX. ad ſupputandas eas correctiones, quae a ſucceſſiva luminis propagatione, et axis telluris nutatione pendent, quaeque locis fixarum veris, ſeu eiusmodi aberratione carentibus, prout iſta in catalogo exhibentur, applicari debent, ut prodeant loca apparentia, ſeu eiusmodi aberratione affecta, et viciſſim. Tabulae iſtae a *Cl. Auctore* in compendium redactae, ſumtae ſunt ex ſupra laudatis fundamentis Aſtronomiae *Cl. de la Caille.* Tabulae nunc adiiciuntur variae, quae refractiones, parallaxes Solis et Lunae, augmentum diametri lunae, converſionem temporis in partes circuli et viciſſim, correctionem meridiei ex altitudinibus reſpondentibus, arcus ſemidiurnos, amplitudines ortivas et occiduas, concernunt. Ultima Tabula ſitum geographicum praecipuorum Telluris locorum exponit.

*Tertia pars* introductionem tradit in uſum Ephemeridum, quae in parte prima; et tabularum aſtronomicarum, quae in parte ſecunda exhibitae ſunt. Sic explicatio eorum inſtituitur, quae nova obſcurioraque in Ephemeridibus videntur, interſperſis problematibus variis; cuiusmodi quoque copioſa occurrunt, quae uſum tabularum in calculis pene quotidianis ſpectant. Tandem typus faciei lunaris additur, cum explicatione eius et uſu. Haec eſt idea ſuccincta libri utiliſſimi, et indeſeſſo ſtudio elaborati, cuius continuationem ad futuros annos eo avidius optamus, quo certiori adminiculo res aſtronomica eiusmodi opere inſtruitur.

FLO-

*FLORIANI DALHAM, CLERICI REGUL. E SCHOLis piis, Philoſophicarum et Mathematicarum Diſciplinarum Hiſtoriarumque Profeſſoris Vindobonae in Academia Sabaudica, Caeſareae Regiaeque Scientiarum Academiae Roboretanae Socii, de ratione recte cogitandi loquendi et intelligendi libri III. in quibus praecipua Logicae, Criticae, et Hermeneuticae capita illuſtrantur. Ad ampliſſimum et honoratiſſimum virum GEORGIUM PARKERUM, Comitem Macclesfieldium, regiae Societatis Scientiarum Londinenſis Praeſidem.*

Auguſtae Vindelicorum 1762. ſumtibus Matthaei Riegeri, Bibliop. 1. Alph. 6. plag. in 4.

Solet hoc queri de philoſophia genus humanum, quod triſtior et ſenticoſa, amatores ſuos minime ſolet invitare, ſed fugare potius, ſi quis delicatior ſit. Quod quamquam recte fieri arbitramur, ut caſta femina, philoſophia, qui voluptatis cauſſa ad ſe veniunt, eos arceat: tamen gratiae habendae ſunt laetioribus ingeniis nonnullis, quae ei auctoritatis et caſtitatis nihil, ſeveritatis aliquid demſerunt, et addidere ornatum, ut nec ab hac parte aliquid deeſſet. Qua in re elegantiſſimum et copioſum in ſcribendo *Dalhamum* V. Cl. merito ſuo commendamus, qui et prodeſt, ut acutus; et delectat, ut comtus et uber philoſophus, genere dicendi, floribus, exemplisque elegantiſſimis, et gravitatem cum comitate feliciſſime, in hoc, quem dicimus, libello coniunxit.

Auctor hic, hoc libro, initium ſcribendi fecit a multiplici ratione cogitandi. Ait primum, de Angelorum modo cogitandi nihil dici poſſe, quod de eorum natura pauciſſima ſcimus; veteres autem Patriarchas aut minus recte cogitaſſe, aut minus accurate locutos eſſe; qua de re diſputari fortaſſe multa poſſent, ſed eſt res talis ut fuſe tractari debeat, quod hoc loco non eſt neceſſum. Iudaeos, dicit, parabolis et

 apolo-

apologis uſos eſſe, ſuavi re, ſed remotiore a cogitandi veritate. Nos moneremus, non poſſe oſtendi, quod ſola ea ratione uſi ſint, apparereque contrarium potius; deinde vero, quomodo hae rationes abſint a cogitandi veritate, nondum videmus accurate. Verum hoc omittamus. Aegyptii ſymbolis uſi ſunt. Sinenſes hieroglyphica diſciplina quadam per figuras, quae ratio minus idonea exiſtimatur. Graeci antiquiores, cum duplex philoſophia eſſet, altera vitae communi, altera ſcholae ſimilior, priorem coluere, poſteriorem non ita, quamquam neque huic deeſſent ſui cultores. Revocantur autem ab auctore noſtro omnes philoſophi, quamquam illi differant variis modis, ad haec quatuor genera. Idealiſtarum, ſive eorum, qui minus attenti ad res ceteras, ingenioque confiſi ſuo, nulla alia utuntur re ad indagandam veritatem, quam ſemetipſis. Quem in numerum nobiles Philoſophorum familias videmus relatas. Secundam claſſem A. conſtituit Empyricorum, qui ad experimenta rerum capienda omnia referunt, et diſcere malunt quid fiat, quam ſuis ingeniis id tribuere inveniendum. Qui certe, quamquam tutiori multum viae inſiſtant, tamen abſolutius aliquid praeſtarent, ſi priorum induſtriam cum ſua prudentia coniungerent. Tertiam claſſem ponit eorum, quos ſemicoecos appellat, qui neque ipſi anniti ingeniis, neque experiundo diſcere verum volunt, ſed aliorum ſub auctoritate deliteſcentes, malunt, quae alius invenerit exiſtimaveritque diſcere, quam ipſi invenire quicquam, aut experiri. Infelix genus ita ab omnibus exagitatur. Nos vero defendi id poſſe putaremus ſic, ut modeſtiam laudaremus, quod ſummis Philoſophis ſe minime aequent, praeſertim cum melius ſit diſcere, ſi imbecillior ſis, quam velle, neſcio quid, in medium proferre. Nam inter ſexcentos homines vix unus atque alter philoſophorum iudex ſine arrogantia eſſe poteſt. Quartum genus eſt Scepticorum, qui aut numquam, aut aegre inveniri poſſe verum, putant. Sophiſtae, inſtabiles, et elegantes illi, qui bene mallent dicere, quam vere. Qua in re id tantum nobis in mentem veniebat, quem iudicem

harum

harum rerum conſtituere debeamus. Sunt enim etiam illis rationes, quibus ſe aut purgent, aut defendant. Has itaque in claſſes rationes cogitandi diverſas auctor redigit. Cauſſa autem varietatis haec eſſe videtur, quod animus humanus veri appetentiſſimus, prout in uno quoque proclivior aliam eſt ad rem, ita etiam in philoſophis libentius ſibi obſequitur, et facultati, ſi qua valet, aegre vero ſe ipſe alio deflectat, quam quo velit natura ſua, quoniam libertate ſentiendi omnes gaudemus. Ita, cui plus in ſe poteſtatis eſt, attentior eſt et diligentior partim in ſuis actionibus, partim in rebus externis experiundis; imaginationi vero et facultati idearum longe maxima pars mortalium obtemperat, minime enim id laborioſum eſt. Tangimur enim omnes aut mollitiei, aut arrogantiae ſtimulis, prout aut conſcii nobis noſtrarum virium, aut earum negligentes ſumus. Mira quidem ac nova omnes appetimus, gaudemus enim nobis ipſis fieri quaſi meliores; qui amor, dubium eſt, pluſne profuerit nocuerit ve philoſophiae. Inde Sophiſtae, inde Sceptici, non tam philoſophiae hoſtes, cui ſaepe profuerunt dubitando, quam philoſophorum, qui ut apiculae pungunt, ſi quis cereas eorum ſubſtructiones turbare velit. Voluntas vero humana cum infinitis modis, pro ratione hominum, corporum, aetatum, temporum, regionum, fortunae, diſſentiat, diſſentientes quoque ſententias progerminet neceſſe eſt. Cui rei quis iudex conſtituetur? Itaque ſaepe ridemus, cum quis ad aequitatem ſuam provocat, quaſi vero ullus ſit, quin ſuae ſententiae aequior ſit, quam alienae. Verum redeamus.

Notiones, Enunciationes, et Ratiocinia, ac Methodus denique, argumentum primi libri conſtituunt, qui eſt de ratione recte cogitandi. Habet vero hoc animus primum ut ſentiat quaedam, deinde, ut ea, quae ſenſerit, ulterius poſſit meditari. Hoc ideas appellamus, quarum aliae per quinque illos ſenſus, quaſi canales, ad animum advehuntur, aliae ab animo ipſo efficiuntur, relationes potiſſimum rerum, acceduntque ad ideas illas, quae per ſenſus ad nos devenerunt. Quae cum pro arbitrio animi cogitantis, ſine obiecto externo

 fiant,

fiant, duas ſpecies habent imaginarias, quas ubertas animi fingit in rebus, quae aut non poſſint eſſe, aut non fuerint ſive per ſe, ſive ſi connexae inter ſe ſint. Intelligibiles contra ſunt formae rerum incorporearum, quae revera etiam extra cogitationem ſunt. Ideae porro ſimplices, ſi nullis aliis quaſi partibus conſtent; compoſitae, ſi plures ideae ſingulares in unam quaſi coaleſcant. Simplices rerum corporearum ideae non poſſunt nobis tradi, niſi per ſenſus, quamobrem, ſi ſenſus non ſatis diſtincte quaedam tradunt, notiones etiam perſaepe tales fiunt. Compoſitae e pluribus unitis oriuntur, ſive heterogeneis, ſive homogeneis, ſive etiam indeterminatis. Omnes artes ideae compoſitae ſunt, eoque difficiliores, quo plura ſub ſe habent. Ideae ſi referantur ad obiectum, adaequatae ſunt ſi neque plus, neque minus quam in ſubiecto eſt, contineant, inadaequatae ſi ſecus. Dicitur vero adaequata etiam tum, cum tantum habet, quantum conſilio huic vel illi ſatis eſt; quod niſi ita eſſet, nullae fere noſtrarum idearum pro adaequatis haberi poſſent, multa enim nos in omnibus rebus latent, igitur ſi ſatis ſufficit idea, eam adaequatam perſaepe appellamus. Singulares ſunt, quae individua exprimunt, quibus plerumque vulgaria ingenia contenta ſunt; univerſales autem, cum id conſideratur, quod pluribus individuis commune eſt. Reales, quae in rerum natura fundamentum habent, ut ſint, aut ut eſſe tamen poſſint; non reales, ſi ſecus. Ideas porro, ſi e ratione cogitantis conſideres, ſunt clarae et obſcurae, diſtinctae et confuſae. Clara, ſi rem ea in luce exponat, ut internoſcere eam ab aliis queamus, qua in re pro naturae felicitate uſuve unus alterum antecellit. Quae ideae, quo maior eſt minorve claritas, iterum in confuſas et diſtinctas dividuntur. Diſtincta itaque idea eſt ea e claris, quae non diſtinguit ſolum, verum etiam conditionem ſubiecti ipſam perſpicit, eo nempe modo, ad quem pro infirmitate noſtra adſpirare licet, quae res attentione debet ad nonnullam perfectionem adduci. Confuſa e contrario erit, quae diſtinguit quidem rem ab aliis, ſed ſine interiori cognitione.

Ob-

Obſcura vero erit, quae quaſi per tenebras conſpecta, neque agnoſci iterum, neque dignoſci facile poteſt. Diſtincte cogitamus tunc, cum compoſitas ideas quaſi comminuimus in ſimpliciores, quibus deinde attenditur ſedulo. Iam vero in ideis adventitiis, id eſt iis, quae ope ſenſuum ad nos deveniunt, cavendum eſt, ne, quod ſenſus noſtros ſic vel aliter movet, id etiam obiecto ipſi ineſſe putemus, colores rebus, ſaporem eſculentis: qua de re phyſici multa monent. Debet vero commotio ſenſus tamen nos admonere de praeſentia rei; conſtructi enim ita ſunt ſenſus, ut tunc variis modis pellantur. Quae res hanc in primis cautionem habet, ne idea adulteretur admiſtis alienis, qui fons uberrimus eſt errorum. quod e. g. in oratoria etiam artificioſum habetur. Imaginariae ideae, quae ſaepe pulcerrimarum rerum quaſi quaedam archetypa ſunt, coercendae tamen ſunt, ne ultra laſciviant. Phantaſticis vero abſtinendum eſt, quae tales notiones coniungunt, quarum una alteri repugnet. Species autem alienae, ut ſi angelum nobis quaſi iuvenem alatum fingamus, quamquam non carent omni utilitate, poſſunt enim ſignare quaedam et illuſtrare, tamen eo ipſo, quod alienae ſunt, naturam certe rei nunquam declarabunt; ſed ſi ſemel uſu receptae ſint, notaeque, non ſunt temere mutandae. Simplices ideae, ſive per unum ſenſum ad nos veniant, ſive per plures, ut figura, quae tactu poteſt viſuque intelligi; ſive per ſenſum cum reflexione, ut dolor; variis modis, pro varietate animorum corporumque, ſolent ſingulos afficere. Facit porro noſtra imbecillitas, ut ideas compoſitas pro ſimplicibus habeamus, quod, quibus illae aliis conſtent, non ſatis diſcernimus; ſaepe etiam ſimplicem pro compoſita, quia ut eam rite perpendere queamus, id, quod natura ſua unum eſt, quaſi per partes contemplamur, e. c. Deum, eiusque attributa. In compoſitis vero ideis hoc praecipue tenendum, ne alias ſubiiciamus, quam quae conveniant, neve convenientes omittamus. Univerſales ideae ſunt abſtracta, ortae enim ſunt e multitudine individuorum convenientium in hoc vel illo, e quibus deinde genera rerum, ſpeciesque, ſortimur,

et

et videremus eo plures ſpecies, quo plus valeremus intelligendo. Adaequatas vero ideas perpaucas habemus, per imbecillitatem hanc noſtram, variasque alias cauſſas, quas auctor ordine recenſet. Idearum obſcurarum et confuſarum cauſſa eſt, vel ipſa intellectus vitioſitas, vel rei difficultas, vel denique vocum abuſus. Errorum cauſſae ſunt permultae: quaedam in ipſo animo, aliae in corpore, aliae denique in rebus externis quaerendae. Facit iam educatio, ut adſueſcamus falſis opinionibus, vitioſaeque rationi, quo fit, ut vulgi errores ad nos eadem via deveniant. Mater vero errorum prima eſt ſciendi cupiditas, quae facit ut multas res ita devoremus, ut famelicus eſcam ſine diſcrimine, ſine ordine, id quod deinde etiam plus nocet mole ſua, quam prodeſt. Ordo medebitur huic pravitati, ut quid primum, quid ultimum eſſe debeat, intelligamus, et qua ratione in ſcientia quavis ſit verſandum. Praefidentia, id eſt animus ſibi plus ſatis confiſus, dum nihil non noſtro ingenio datum iuris cognitumque putamus, plurimum obeſt, quo fit, ut in rebus ſacris, quin et in omni genere ſcientiarum, audaciſſime multa tententur. Amor porro novitatis, ut ſingularia proferre et recondita videamur: inde tot novae opiniones, tot recoctae ſententiae, et multum in omnibus diſciplinis inanis ſplendoris ab otioſis hominibus ingeſti, parum veritatis. Raro enim novitati cum veritate convenit. Imaginatio, ſi foecundior ſit, facile animum abripit, ut ſpecioſa pro veris capiat; cui contrarium in alteram partem vitium eſt torpor ille, qui quaſi concretus inertia ſua aegre ſe ad liberales artes movet, et quidvis potius excuſationis affert, quam ut idoneum quid in commune edat. Cauſſae porro errorum ſunt in animo, ſi cupiditati ſerviat, et affectibus, amori, odio, irae, ſuperbiae, et talibus, quo fit ut animus, tranquillitate amiſſa, omnia quaſi per aquas turbidas conſpicere ſoleat. Non quod exiſtimandum ſit, eruditum frigidum eſſe debere; nihil minus, periret enim vis ita omnis: ſed quod regi voluntas debet, minime vero ipſa intellectum regere; vitioſae vero cupiditates omnes procul abeſſe

abeſſe debent. Sed de his ethica praecipit. Vitiorumque omnium cum agnitio et emendatio tam difficulter procedant, eligendus eſt bonus vir, cuius fidei commendare nos, praeceptisque, poſſimus. Fertilis porro proventus errorum e corpore eſt, ſive illud mole ſua atque inertia ad laborem ſit incommodius, ſive etiam fragilitate ſua imbecillum; qua in re multum poſſunt aetas et tempus. Accurrendum itaque eſt ad fomenta medicinae, ſive diaeteticae, ſive morborum profligatricis. Alia origo eſt in temperamentorum diverſitate. Nam cum unusquisque veritatem, neque enim aliter poſſumus, ad ſenſum referat ſuum; ſenſus vero et animi plurimum pro conditione et ſua, et corporum in quibus diverſantur, differant: fit, ut vere dictum ſit, quot capita, tot ſenſus eſſe. Veritas autem, cum in tot millibus diverſiſſimarum ſententiarum non poſſit niſi una eſſe, facile videmus, ſaepe unum tantum ſapere, reliquos volitare per umbras. Temperamentorum autem varietas notior eſt, quam ut hoc loco eam exponamus. Iam de ſenſuum incommodis parce eſt querendum, ne id erroris, quod ex vitioſo de rebus perceptis iudicio provenit, pro re ita percepta habeamus; quam in rem multa in multis libris dicta ſunt. Quamquam itaque dicimus ſenſus non fallere, ignorationis tamen et errorum occaſiones eſſe poſſunt. Saepe etiam cum attente animus ad unam rem componitur contemplandam, alienae per ſenſus illabuntur; cui rei occurrendum eſt ita, ut aut ſenſus, aut animum avertamus. Iam ubi per ſenſus experimentum eſt in hac vel illa re capiendum, caute id et circumſpecte fieri debet, ne dum nos decipimus ipſi, ſenſuum deinde vitio nos deceptos queramur, cum illi neminem fallant, fallat autem perverſum de ſenſibus iudicium. Cautiones in uſu ſenſuum experimentisque capiendis adhibendas, hac in brevitate noſtra exponere haud licet. Multos errores educatio inſerit animis, quae, ut fit, non ſapientiſſimis hominibus demandatur, animis vero teneris, et bona et prava diſciplina ſolet in alteram quaſi naturam vertere; quo fit, ut nemo plus opinionum plusque con-

confidentiae habeat, quam qui recentiſſimi ex umbra hac progrediuntur, ac temerariae n[illegible] ſententiae aegre poſſint ex animis evelli. Praeſertim vero, ſi longa conſuetudine ſint opiniones illae confirmatae, quod multis exemplis intelligitur. Nam animus, quo facilius aliquid cogitat, eo etiam verius id eſſe putat. Iam auctor de praeiudiciis agit e religione profectis. Atque hic Lutheranos exempli loco ponit, qui ita depingamus liberis noſtris Pontificem Romanum, ut per omnem deinde vitam Catholicos horreant. Sed heus tu, quae religio alia haereticos occidere, et periuriis fallere iubet? quae religio abſurdiſſimas fabulas de nobis narrat? ſtrictim nos itaque defenderimus, veluti etiam ſtrictim laeſi ſumus. Nam in genere verum eſt: ſed praeiudiciorum ſegetem potius in ſinu ſanctiſſimae matris eccleſiae Romanae deprehendiſſet. Iam ſive cum vivis ſociis, ſive cum mortuis collocutoribus, libris, verſemur, oritur ex iis ipſis quaſi quaedam errorum contagio, illis familiarium, ut et nobis familiares fiant. Sunt vero peculiares ſeculi uniuscuiusque ſententiae, cui libenter ſolemus adhaerere. quamquam id fortaſſe nolimus; ſed cum educatione et animus et corpus adſuefiat, ſi minus recte fuerimus adſuefacti, excutimus id pravitatis vix multo tempore et labore, quod inhaeſit. Quamobrem id beneficium tribuamus adoleſcentum aetati, ut primum virtutis amori adſuefaciamus, deinde ideis utilibus ac commodis, porro diſciplinis aptis huic aetati, quae poſſint in omni vita prodeſſe, praeceptoribusque bonis quaſi muniamus, indulgeamus etiam aliquid imbecillitati iuvenili, quo plus auctoritatis in grandibus rebus habeamus. Boni vero magiſtri etiam infimae ſorti hominum addendi ſunt, qui eandem nobiſcum naturam, et grande ſaepe in totius reipublicae ſalutem momentum habent. Corpus vero obdurandum eſt ad labores, ſed eos, quos conditio corporum ferre poſſit. Plurimum aeris terraeque uniuscuiusque conditio in animos humanos valet, qua in re pro ubertate ſua lautus eſt auctor noſter, ad quem lectorem remittimus. Sed ille ipſe genius non ita pendet a climate, ut non perſaepe

etiam

etiam alias ob res mutetur. Plurimum vero efficaciae habet in animos civium regiminis forma, quae prouti liberior eſt, aut adſtrictior, melior vel iniquior, ita etiam ingenia incolarum uniuscuiusque terrae eſſe ſolent, quorum regiminum vim acute et fuſe explicat Dalhamus. Haec ergo hactenus. Iam procedendum eſt ad enunciationes. Reflexio autem, ita enim dicitur, dupliciter intelligitur, alia ſimplex, alia compoſita. Itaque primum de reflexione ſimplici, quid, et quotuplex ſit, videamus. Iudicium deſcribitur ita, ut ſit interna mentis ſententia, quae ideas inter ſe comparatas vel ad ſe mutuo pertinere decernit, vel a ſe invicem ſemovet. Rectum vero iudicium ab ideis claris et exactis procedit, ac ſubtiliter attendi debet, quid ſentiat, unaquaque de re, animus, ne plus, neve minus dicamus. Iudicium vero ſi verbis ſit pronunciatum, enunciatio dicitur, quarum quaeque conſtat ſubiecto, praedicato, et verbo quod copulam ſolent appellare. Iam de propoſitione affirmante et negante, de ſubiectis et praedicatis, de propoſitione identica univerſali ac particulari ſive affirmante, ſive negante, ſimplici ac *compoſita*, idque aperte, aut etiam implicite. Compoſita, de enunciationibus coniunctivis, diſiunctivis, hypotheticis, cauſſalibus, diſcretis, reduplicativis, relativis; porro de iis, quae implicite componuntur, quasque exponibiles appellant, excluſiva, exceptiva, comparativa, pluribus agitur: quae, quoniam nota ſunt, omittemus, veluti etiam id de modis, poſſibili, impoſſibili, neceſſario, et contingente. Iam de enunciationibus, quae axiomata, poſtulata, theoremata, problemata, conſectaria, lemmata, ſcholia, proverbia appellantur, varia dicta invenimus. Oppoſitionem, ſubalternationem, converſionem, et aequipollentiam non repetimus. His igitur relictis, ad caetera nos conferamus, de veritate, eiusque notis. Veritas, quae tot artibus, tot litibus quoque philoſophorum quaeſita eſt, res ſaluberrima, ſed ſaepe recondita. Cuius tria genera conſtituunt: metaphyſicum, quod habetur in rebus propria ſua undiquaque natura conſtitutis; ethicum, quod veracitatem dicunt,

cunt; et logicum, quod eſt conformitas idearum cum obiectis ſuis. Iam cum omnis veritas ſit e certitudine ſenſuum, haec a corporibus, de eo quod praeter ideam noſtram corpora ſint, varie poteſt adverſus Idealiſtas diſputari. Nam qui corpora negant extra ideam noſtram eſſe, ſpiritus quoque negare debent eſſe extra ideam noſtram; ſi hos quoque dubitent, de Deo ipſo eadem ratione poterunt dubitare. Quamquam id in univerſum dictum eſt, ioculare philoſophorum genus idealiſtas et ſcepticos eſſe, quod laſcivia diſputandi invicti a vita communi quotidie atque ſuis factis refelluntur. Contra, ſi ſpiritus affirmant eſſe, cum non poſſint indicare modum, quo illa idea ad ſe devenerit, neque corpora negare debebunt, quod modum communicatarum idearum de corporibus non intelligunt. Nam id in ſe quisque experietur, aliud eſſe fingere ſibi tempeſtatem, aliud experiri. Sed revera id dicitur, ſummam quamque ſtultitiam vix ne refelli quidem ſine ſtultitia poſſe; neque enim ſciunt, quid dicant, nec credunt ipſi. Via itaque duplici devenitur ad veritatem, experimentis ſenſuum, et meditando. Senſu quae percipiuntur longe clarius pellunt animum, quam ſi fingenda nobis tantum eſſent, et firmior longe memoria ad omnem vitam transmittitur. Nam ſenſus, etiamſi non carent imperfectione, tamen, prae ſumma, quam praeſtant, utilitate, reliqua facile omittuntur. Iam vero cum ſenſus res eas, quae nulla materia conſtant, minime aſſequantur, meditationis, reflexionem appellant, beneficio id conſequimur. Utraque vero ratio, quamquam non ſit omnis erroris expers, tamen plurimis in rebus idonea teſtis veritatis eſt. Criterium autem veri, experientiae et reflexionis eſt: primum intima conſcientia obiecti, de quo agitur; deinde conſenſus in eandem rem plurium, ſed aptorum hominum. quod, quamquam interdum etiam non vero communicetur, tamen non ſemper id fit, ſed rariſſime, modo ne negligenter in re graviſſima verſemur, laboremque impendamus omnem, ut veritatem ſine occupato animo integri ſectemur, conferamusque inter ſe ſaepe

res,

res, ut quam clariſſima et quam exactiſſima fiat cognitio veritatis. Quod praecipue tenendum eſt in hac vitae imbecillitate, in qua multa nos latent, multa minus exacte cognoſcuntur: quamobrem ſaepe una res altera evidentior eſt, ut itaque caveamus ſupra modum humanae cognitionis aut certitudinis adſcendere, id eſt, nimis ſapere velle, quod eſt nihil ſapere. Certos etiam nos facit aliorum conſenſus: qua in re ſi alterius tantum auctoritati credimus, ut fit in rebus ignotis, veritatem minus evidentem dixerimus; ſin vero id accedat, ut ipſa res ſe in animis noſtris illuſtret, evidentiorem dicemus. Sic in rebus hiſtoricis prius genus obtinet; in rebus, quae per cauſſas, aut effectus neceſſarios cognoſcuntur, etiam poſterius. Probabile vero dicimus, cui, quamquam non omnia inſint quare verum habendum ſit, inſunt tamen plura; ita, quicquid probabile eſt ita eſſe, id etiam eſt poſſibile, minime vero ſi vertamus. Probabilitas vero cum certitudine minime debet confundi: in quo uber fons eſt mendaciorum omnis generis, ut ſolet praecipue tunc fieri, ubi voluntas in alterutram partem propendet. De eo vero, quae ſit certitudo humanarum hiſtoriarum, multa diſſeruntur, quae brevius recenſebimus. Certitudinem definit auctor eſſe intimam mentis ſecuritatem. De veritate propoſitionis cuiusdam, quae certitudo, ſi e cognita rei veritate deſumitur, interna dicitur, ſi propter teſtimonium alterius, externa. Metaphyſica dicitur, ſi ita evidens eſt, ut propter rationes metaphyſicas refragari non poſſimus; phyſica, ſi cuius ſecuritas experimentis cognita, naturae in legibus fundatur. Alia vero certitudo moralis eſt, quam auctor nominat ſecuritatem natam ex aptis teſtimoniis, ut, quoniam ſecurior nulla nobis alia via eſt rerum facti cognoſcendarum, hac contenti ſimus, quae ſane perſaepe ſatis certa eſſe poteſt. Ut autem in ea re quam tutiſſimi ſimus, duo ſunt ſpectanda: primum de teſtibus, deinde de illius rei, cui teſtimonium ſit, ſecuritate. Sed cum teſtium auctoritas ſit in eo, ut et poſſint verum dicere, et velint, videmus humanam auctoritatem ſemper fere ſuis dubitationibus ob-

noxiam eſſe, quis enim animos perſpexerit? Ita humanum teſtimonium ultra plus minusve probabilitatis non aſſurgit; ſed multitudo et gravitas teſtium ſummam rei probabilitatem conciliare poteſt, ut ridiculi eſſemus, ſi novare quid vellemus. Qua in re multa debent convenire, ut auctoritas teſtimonio alicui fiat; nam ſingula minime hoc efficiunt. Ita probitas teſtium, ſi ſola ſit, nondum facit ut aliquid ſit verum. Contra, ſi plures, ſique diverſi teſtes conſpirent, plus momenti in ea re poſitum eſt; neque enim quaſi ex pacto videntur egiſſe, qui aut ſeiuncti, aut etiam adverſi inter ſe fuerunt; et quo plus eſt inter homines diverſitatis, eo plus accedit lucis veritati. Sed ſaepe etiam unus teſtis tantum auctoritatis habet, quantum plures, ſi gravis ſit, ſi publice propoſuerit teſtimonium, neque ullus contradixerit. Plurimum vero auctoritatis eſt monumentis publicis; eſt etiam concordi traditioni: ſed in univerſum haec. Poſſunt enim exempla occurrere, ubi tamen pro re nata omnia alia ſtatuenda ſint, quod peculiaris eſt tractationis. Ut haec ſigna veritatis pariter in mendacium conveniant, aut raro fit, aut e prima ſpecie rerum ſi velis iudicare. Saepe affectus, ſaepe pravitas, ſaepe negligentia aut ignorantia, figmentis colorem veritatis addere ſolet; quo loco conſenſus non multum valebit, ſi vel maximus ſit. Contra ſi plures, nulla re coacti, poſt idoneum rei examen, diverſique illi, tamen in aliqua re conſentiant, ſi ſapientes illi, bonique praecipue, plurimum illorum conſenſus poteſt. Derogatur vero teſtibus auctoritas, ſi quid aperte falſum, ſibique aut ceteris rebus notis repugnans tradant: qua in re hoc tamen caveamus, ne, quod noſtrae opinioni repugnat, etiam repugnans ipſum ſtatuamus, quod longe alia res eſt. Univerſam hiſtoriam ſi ad has exigamus regulas, multum illa lucis accipiet; quamquam, ut verum dicamus, contenti eſſe debeamus hoc Catone, id eſt, ut cogitemus, humana eſſe atque imbecillia quae ſciamus. Verum haec hactenus. Nam et de iudiciis aliqua ſuperſunt, et cetera praeterea permulta. Quamobrem nunc quidem hic ſubſiſtimus, reliqua alio forte tempore propoſituri.

---

*NOVA*

## NOVA LITTERARIA.

Qui nuper Theologiae Syſtema, ſui ritus, multa diligentia exaedificatum, aliquot Voluminibus edidit, *Martinus Gerbertus*, Ord. S. Bened. ex Congregat. S. Blaſii in Silva nigra, Vir doctiſſimus, *de Veteri Liturgia Alemannica* novum Opus meditatur, et germanicae antiquitati in univerſum, et Chriſtianitatis in hoc Germaniae angulo originibus atque progreſſibus cognoſcendis apprime profuturum. Dabimus Lectoribus ideam totius operis, qualem, edito non ita pridem Programmate, eruditis hominibus ipſe propoſuit. Ita vero deſcribit *Gerbertus* opus ſuum:

*Diſquiſitio I. Origo ac propagatio Religionis chriſtianae in Alemannia. Cap. I.* De prima fidei chriſtianae origine in Alemannia ſub Romano imperio. 1.) De nomine ac finibus veteris Alemanniae. 2.) Lux chriſtianae religionis in Alemannia ex Italia. 3.) Ex Illyrico et Norico. 4.) Ex Gallia. 5.) Primum forte in noſtris ſaltibus. 6.) Teſtimonia Saeculi I. 7.) Saec. II. 8.) Saec. III. 9.) Saec. IV. 10.) Saec. V. 11.) Eius rei veſtigia in ſedibus epiſcopalibus. *Cap. II.* De propagatione religionis chriſtianae in Alemannia ſub regno Francico. 1.) Sub regno Francico in Alemannia religionis ſtatus. 2.) Poſt praelium ad Tolpiacum, ipſo *Clodovaeo* facto chriſtiano. 3.) Religio chriſtiana deinceps ſub ſtirpe Meroving. 4.) Sub ſtirpe Carolingica. 5.) Ex Britannicis inſulis praecones evangelii. 6.) Primus *S. Fridolinus*. 7.) *SS. Columbanus* et *Gallus*. 8.) *S. Pirminius*. 9.) *S. Bonifacius*, Germaniae apoſtolus, 10.) Eiusque adiutores. 11.) Vitae monaſticae ſectatores ac propagatores. 12.) Erectis poſtea per monaſteria praeſertim ſcholis. 13.) In conventibus procerum ac ſynodis cura adornandae eccleſiae. 14.) Conſtituta hierarchia eccleſiaſtica. *Cap. III.* Status eccleſiae Alemannicae poſt ſeparatum a regno Francico Germanicum imperium. 1.) Novo conſtituto Germanico regno. 2.) Status eccleſiae Alemannicae florens, non ſine gravibus tamen concuſſionibus. 3.) Etiam a paganis Ungaris, et variis haereticis.

*Diſ-*

*Diſquiſitio II. De Monumentis antiquis, ad illuſtrandam veterem liturgiam Alemannicam facientibus. Cap. I.* De variis variarum gentium ac etiam Alemannicis liturgiis, ſeu ſacramentariis. 1.) De Liturgiae nomine. 2.) Libri Sacramentorum, myſteriorum. 3.) An primis eccleſiae ſaeculis extiterint? 4.) Liturgiae Graecae. 5.) Liturgia Africana. 6.) Ambroſiana. 7.) Mozarabica. 8.) Miſſale Gothicum. 9.) Miſſale Francorum. 10.) Gallicanum, et Miſſa *S. Germani.* 11.) An ad ritum Gallicanum pertineat Miſſa *Illyrici?* 12.) Liturgia Britannica. 13.) Liturgiae aliarum gentium cum Romana commutatae. 14.) Liturgiae Romanae, ac primum ſacramentarium Leoninum. 15.) Gelaſianum. 16.) Gregorianum. 17.) Eius variae editiones. 18.) Additiones ab aliis factae. 19.) Alemannica ſacramentaria. 20.) Quorum aetas figitur. 21.) Notae quaedam ſingulares antiquiſſimi ſacramentarii Rhenaugienſis. 22.) Imprimis quoad praefationes. 23.) Et canonem. 24.) Notae Sacramentarii San-Blaſiani ex feſtis SS. Alemanniae. 25.) Eius inſcriptio et forma a miſſalibus plenariis diſtincta. 26.) De eo, quod habet, *Gloria in excelſis* a presbyteris nonniſi in paſchate dici. 27.) De praefationibus ſingularibus eiusdem Sacramentarii. 28.) De rubricis ad canonem: et benedictionibus epiſcopalibus ad calcem eiusdem Sacramentarii. *Cap. II.* De aliis libris ad liturgiam ſpectantibus. 1.) Varia aliorum librorum liturgicorum nomina. 2.) Antiphonarius ſeu Gradualis. 3.) Alter antiphonarius liber, ſeu reſponſalis. 4.) Liber *Comitis*, et alii lectionarii. 5.) Homiliarii libri. 6.) Obſequiale et poenitentiale. 7.) Officiales libri, breviaria etc. 8.) Pſalterium. 9.) Martyrologia. 10.) Calendaria. *Cap. III.* De aliis monumentis et auctoribus ad liturgiam Alemannicam facientibus. 1.) Libri peculiarium precum Miſſae, qualis eſt ab *Illyrico* edita. 2.) De eius antiquitate et uſu. 3.) Comparatur cum aliis ſimilibus etiam Alemannicis. 4.) Rubricae et rituales libri antiquiores. 5.) Ordo Romanus ex Codd. Alemannicis. 6.) In eum commentatores, *Amalarius* et *Bertholdus* Conſtantienſis, *Anonymus* apud *Hit-*

*Hittorpium.* 7.) De aliis eiusdem *Amalarii*, et cognominis Trevirenſis ſcriptis liturgicis, ac aliorum de ritibus baptiſmi. 8.) De Alemannicis liturgicis ſcriptoribus. 9.) Et canonum collectoribus. *Cap. IV.* Firmamenta cauſae catholicae adverſus obiecta Novatorum, ex liturgia. 1.) Vis monumentorum liturgicorum contra adverſarios. 2) Quoad formam, ac ritus exteriores. 3.) Veſtes, vaſa ſacra etc. 4.) Sacrificium. 5.) Quoad realem praeſentiam extra uſum. 6.) Reliqua Sacramenta. 7.) Myſteria *Chriſti*, et gratiae dona. 8.) Cultum Sanctorum. 9.) Preces et ſacrificia pro defunctis.

*Diſquiſitio III. De publica in eccleſia, ſacroque eum apparatu, celebratione liturgiae in Miſſa.* *Cap. I.* De ſacris aedibus, earumque ad celebrationem Miſſae apparatu. 1.) De ſacrarum aedium ſtructura apud noſtrates. 2.) Earumque forma. 3.) De navi eccleſiae. 4.) Abſida et eius partes. 5.) Altare. 6.) Miſſae, ut in locis ſacratis fierent, cautum. 7.) Ciboria antiqua, et ſacraria. 8.) Reliquiae ſub altaribus. 9.) Crux ſuper altare. 10) Luminaria. 11.) Vela ac pallia altaris. 12.) Imagines. *Cap. II.* De ſacris vaſis. 1.) Vaſa ſacra. 2.) Pretioſa ex auro, argento, gemmis. 3.) Libri etiam liturgici. 4.) Miniſteria, ornamenta, ac utenſilia diverſi generis. 5.) Ad manus lavandas. 6.) Ad thus adolendum. 7.) Ad oblationes faciendas. 8.) Corporalia ac pallae. 9.) Patena. 10.) Calix. 11.) Calices miniſteriales. 12.) Sacra ad recondendam Euchariſtiam vaſa. 13.) Calami ad ſumendum ſanguinem. 14.) Cochlearia ad intinctam communionem. 15.) Flabellum. 16.) Inſtrumenta ad pacem. *Cap. III.* De veſtibus ſacris. 1.) De tonſura 2.) Et habitu clericorum. 3) Sacrae altaris veſtes. 4.) Amictus. 5.) Alba. 6.) Cingulum. 7.) Mapula, manipulus. 8.) Fanon. 9) Orarium, ſtola. 10.) Tunica, ſubtilis. 11.) Dalmatica. 12.) Caſula, planeta. 13.) Caſularum antiqua forma. 14.) Quousque in uſu hodieque alicubi. 15.) Cappa, pluviale. 16.) Sandalia. 17.) Chirothecae. 18.) Baculus, cambuta 19.) Crux pectoralis. 20.) Mitra, infula. 21.) Pallium. 22.) Uſus ſacrarum ve-

 ſtium

ſtium pro ſuis ordinibus. 23.) Earum ornatus ac pretium. 24.) Veſtes effigiatae. 25.) Color ſacrarum veſtium.

*Diſquiſitio IV. De celebratione Sacrificii Miſſae. Cap. I.* De Miſſarum generibus, ritibus, lingua, hora. 1.) De Miſſae nomine. 2.) Miſſa ſolemnis cum Symmiſtis. 3.) Miſſa publica. 4.) Miſſa privata, aut etiam plures per diem. 5.) De Miſſae ritibus. 6.) Lingua. 7.) Hora. *Cap. II.* De ordine Miſſae usque ad Offertorium. 1.) De praeparatione ad Miſſam varia. 2.) Lotio manuum. 3.) Ante et ſub veſtitu ſacro pſalmi et preces. 4.) Pſalmus in ingreſſu ad altare. 5.) Proceſſio cum miniſtris ad altare ſub introitu. 6.) An ſacerdos olim introitum per ſe legerit? 7.) Confeſſio cum pſalmo *Iudica,* apologiae. 8.) *Kyrie eleiſon.* 9) *Gloria in excelſis.* 10.) Salutatio populi. 11.) Prima collecta, ſeu oratio. 12.) Clauſula *per Dominum etc.* 13.) Seſſio poſt collectam. 14.) Lectio. 15.) Reſponſorium graduale. 16.) Evangelium. 17.) Symbolum. 18.) Sermo, ſeu concio. *Cap. III.* De Miſſa fidelium ab Offertorio usque ad Communionem. 1.) Ad Offertorium Miſſae fidelium initium. 2.) Oblationes factae. 3.) Quales in Miſſa. 4.) Preces ad oblationes. 5.) Oblatae ſtudio confectae ac proviſae. 6.) Quomodo in altari compoſitae. 7.) Incenſum. 8.) Lotio manuum. 9.) Secreta, ſeu ſuper oblata. 10.) Praefatio ſeu conteſtatio. 11.) *Sanctus.* 12.) Canon. 13.) Eius auctores. 14.) Qua religione ſervetur. 15.) Canon ſecrete dicendus. 16.) Oſculum initio canonis. 17.) Expanſio manuum. 18.) Cruces ſub canone. 19.) Commemoratio pro Romano Pontifice. 20.) Epiſcopo. 21.) Rege. 22.) *Et omnibus orthodoxis etc.* 23.) *Memento Domine famulorum etc.* 24.) *Pro quibus tibi offerimus.* 25.) Nomina Sanctorum. 26.) *Hanc igitur oblationem etc.* 27.) Verba conſecratoria. 28.) Elevatio. 29.) *Unde et memores etc.* oratio pro ſacerdote. 30.) *Memento mortuorum,* ubi de diptychis. 31.) Secunda Sanctorum commemoratio. 32.) Benedicti o diverſarum rerum ad *per quem haec omnia etc.* 33.) Elevatio minor. 34.) Oratio dominica. 35.) Emboliſmus orationis dominicae. 36.) Benedictio epiſcopalis. 37.) Fractio hoſtiae.

hoſtiae. 38.) *Agnus Dei.* 39.) Oſculum pacis. 40.) Denunciationes olim hoc loco factae. *Cap. IV.* De Communione usque ad finem Miſſae, nec non de Eulogiis et Agapis. 1.) Ante communionem olim non communicantes dimiſſi. 2.) Communio ſacerdotis neceſſaria. 3) Miniſtrorum. 4.) Fidelium. 5.) Quomodo et quousque ſub utraque ſpecie? 6.) Preces ad communionem. 7.) Antiphona ad communionem. 8.) Ablutio. 9.) Oratio poſt communion. 10.) Oratio *ſuper populum.* 11.) *Ite, miſſa eſt.* 12.) Benedictio populi. 13.) Caetera cum receſſu ab altari. 14.) Eulogiae. 15.) Agapae.

*Diſquiſitio V. De Sacramentorum adminiſtratione. Cap. I.* De Sacramento Baptiſmi, ſimulque adminiſtrari ſolita Confirmatione et Euchariſtia. 1.) De ordine aliorum Sacramentorum, imprimis Baptiſmi. 2.) Catechumenatus. 3) Scrutinia. 4.) Quibus temporibus celebrata. 5.) Et quo ritu. 6.) Traditio ſymboli, et capitulavium dominica palmarum. 7.) Cum oratione dominica. 8.) Apertio aurium cum expoſitione evangeliorum etc. 9.) De abiurationibus et *ſponſionibus*, earumque fide ſervanda. 10.) De ſponſoribus, ſeu patrinis et matrinis. 11.) De baptiſteriis. 12.) Benedictio aquae baptiſmalis. 13.) Baptiſmi tempora Paſcha et Pentecoſte. 14.) In Epiphania iuxta capitulare ord. eccl. et aliis diebus. 15.) Quovis tempore in neceſſitatis caſu. 16.) Miniſter baptiſmi. 17.) Formula baptiſmi. 18.) Baptiſmus per immerſionem et ſuperfuſionem. 19.) Unctio. 20.) Confirmatio. 21.) Communio Neophytorum. 22.) Lac et mel infantibus datum. 23.) Cerei ſeu lampades Neophytis datae in manus. 24.) Veſtes albae. *Cap. II.* De Sacramenti Poenitentiae adminiſtratione. 1.) Libri poenitentiales. 2.) Ordo agentium poenitentiam Fer. IV. Ciner. 3.) Reconciliatio poenitentium in Coena Domini. 4.) Miniſter poenitentiae. 5.) Privata poenitentiae adminiſtratio. 6.) Publicae et ſecretae poenitentiae diſciplina. 7.) Confeſſio peccatorum. 8.) Articulatim requiſita. 9.) Abſolutio. 10.) Poenitentia iuxta canones iniuncta. 11.) Varia eccleſiae diſciplina. 12.) Ac temporis mora. 13.) Redem-

demtiones poenitentiarum. 14.) Indulgentiae. *Cap. III.* De extrema Unctione, et Viatico. 1.) De oleo infirmorum. 2.) Unctionis infirmorum varii ritus. 3.) Extrema unctio ante viaticum. 4.) Viaticum particula intincta. 5.) Sub una vel duabus ſpeciebus. 6.) Cum ablutione, ſeu vino non conſecrato. 7.) Cura, ne quis ſine viatico decedat, exceptis quibusdam caſibus. *Cap. IV.* De ſacris Ordinationibus, 1.) De ritibus ad ordinationum ſubſtantiam pertinentibus. 2) Ordinationum tempora. 3.) De ordinibus et ordinandis. 4.) Tonſura. 5.) Ordines minores. 6.) Subdiaconi, diaconi, diaconiſſae. 7.) Presbyteri. 8.) Epiſcopi. 9) Abbates epiſcopi, chorepiſcopi. *Cap. V.* De celebratione Matrimonii. 1.) Benedictio ſacerdotalis nuptiarum. 2.) Intra miſſam. 3.) Alii ritus quoad matrimonium. 4.) De annulo, velamine etc. nubentium. 5.) De paranymphis, et nuptiis publicis, nonniſi ſuis temporibus celebrandis.

*Diſquiſitio VI. De Conſecrationibus, Benedictionibus, Exſecrationibus, Exorciſmis.* *Cap. I.* De variarum rerum et perſonarum Conſecrationibus, Benedictionibus etc. 1.) Conſecrationes, benedictiones, et exorciſmi. 2.) Dedicatio eccleſiae. 3.) Cum Sanctorum reliquiis in conſecratione altaris. 4.) Benedictio vaſorum et donariorum eccleſiae. 5.) Benedictio campanarum. 6.) Aquae luſtralis benedictio, et ſalis. 7.) Ad ſpargendum in domum cum Miſſa in domo nova. 8) Benedictio cinerum. 9.) Benedictio palmarum. 10.) Benedictio ignis novi. 11.) Benedictio ſacri olei et chriſmatis. 12.) Benedictio cerei paſchalis. 13) Agnorum cereorum etc. 14.) Candelarum in feſto Purificat. *B. Mariae V.* 15.) Benedictiones imaginum crucis etc. 16.) De idolothytis etc. 17.) Exorciſmi et adiurationes. 18.) Benedictiones novarum frugum etc. etc. 19.) Variae votivae Miſſae et preces. 20.) Mulierum poſt partum in eccleſiam introductio. 21.) Conſecratio virginum, viduarum. 22.) Infantium oblatio, ac profeſſio monaſtica. 23.) Abbatum, et abbatiſſarum benedictio. 24.) Cenſurarum abſolutio, et irrogatio publica. 25.) Manumiſſionis in eccleſia

ſia caeremonia. 26.) Regum et imperatorum inauguratio. *Cap. II.* De Canonizatione ſolemni Sanctorum, primum in Alemannia, et cultu Reliquiarum. 1.) Sanctorum corpora religioſe e tumulis levata. 2.) Ac fidelium cultui expoſita. 3.) Auctoritate Rom. Pontificis. 4.) Translationes corporum Sanctorum ſolemnes. 5.) Ac reliquiarum, Roma praeſertim, ad publicum cultum.

*Cap. III.* De Purgationibus vulgaribus, ſeu Iudicio Dei. 1.) Primordia huiusmodi purgationum ad ſepulchra Sanctorum. 2.) Fata purgationum vulgarium. 3.) Ordines liturgici earundem. 4.) Probatio aquae frigidae et ferventis. 5.) Ferri candentis, ſeu ignitorum vomerum. 6.) Panis et caſei. 7.) Menſurae. 8.) Examinatio crucis. 9.) Purgatio per Miſſam ac Euchariſtiam. 10.) Probationes per duellum. 11.) Probatio per iuramentum.

*Diſquiſitio VII. De Horis canonicis. Cap. I.* De curſu nocturno et diurno Horarum canonicarum. 1.) De appellatione curſus canonici. 2.) Ac origine iuxta varium ritum, et ordinationem in breviario. 3.) Singulari etiam monaſtico. 4.) Horae canonicae diſtinctae. 5.) Nocturnae et matutinae. 6.) Pro feſtivitatum ratione. 7.) Vetus horarum diurnarum ad curſum canonicum dimenſio. 8.) Earum officium liturgicum. 9.) De Veſperis. 10.) De Completorio. *Cap. II.* De ſingulis partibus Horarum canonicarum. 1.) Pſalterii uſus continuus in curſu canonico. 2.) Singulis Pſalmis ſubnectendo *Gloria Patri.* 3.) Integri praeterea pſalterii per diem, vel pſalmorum ſelectorum frequentatio. 4.) Cantica conſuetudinaria cum pſalterio memoriter ediſcenda. 5.) Hymnus *Te Deum laudamus.* 6.) Symbolum ſub nomine *Athanaſii.* 7.) Oratio dominica, ſalutatio angelica, ſymbolum. 8.) Lectiones in officio nocturno ex ſcriptura, SS. Patribus, et geſtis Sanctorum. 9.) Benedictiones ſuper lectorem, ac clauſula lectionum. 10.) Lectiones breves, ſeu capitula. 11.) Antiphonae, reſponſoria, verſus. 12.) Hymni. 13.) Orationes. 14.) Curſus *B. V. Mariae,* Officium defunctorum, omnium Sanctorum, ac commemorationes. 15.) Antiphonae de *B. Maria V.*

*Diſquiſitio VIII. De Feſtis.* *Cap. I.* De Feſtis Domini. 1.) Dies feſti per annum. 2.) Anni eccleſiaſtici exordium in liturgiis a vigilia Natalis Domini. 3.) Natale Domini. 4.) Cum Octava. 5.) Miſſa *prohibendo ab idolis* ob ſuperſtitiones Kal. Ianuarii. 6.) Epiphania Domini cum baptiſmo ſolemni. 7.) Triduum ſacrum ante Paſcha. 8.) Feria V. in Coena Domini. 9.) Feria VI. in Paraſceve. 10.) Sabbatum ſanctum. 11.) Reſurrectio dominica. 12.) Paſcha annotinum. 13.) Feſtum inventionis et exaltationis S. Crucis. 14.) Aſcenſio Domini. 15.) Pentecoſte. 16.) Octava Pentecoſtes, cum officio ſequentium dierum de Trinitate etc. 17.) Solemne SS. Trinitatis feſtum in Octava Pentecoſtes. 18.) Feſtum Corporis *Chriſti*. *Cap. II.* De Feſtis Sanctorum. 1.) Feſta Sanctorum qua cautione ſuſcepta. 2.) *B. Mariae V.* 3.) Apoſtolorum. 4.) Martyrum, et aliorum Sanctorum. 5.) Quomodo celebrata. 6.) De *SS. Anaſtaſia* et *Eugenia*. 7.) Feſtum *S. Stephani*. 8.) *Ioan.* Evang. 9.) Innocentum, ſeu SS. Infantum. 10.) *S. Silveſtri P.* 11.) Feſta Ianuarii. 12.) Feſtum Purificationis *B. Mariae V.* 13.) Cathedra *S. Petri*. 14.) Alia feſta Februarii. 15.) Feſta Martii. 16.) Aprilis. 17.) Feſta Maii. 18.) Feſta Iunii. 19.) *S. Ioannis* Bapt. 20.) Feſtum *SS. Petri* et *Pauli*. 21.) Feſta Iulii. 22.) *S. Benedicti*. 23.) Feſta Auguſti. 24.) Aſſumtio *B. Mariae V.* 25.) Nativitas *B. Mariae V.* 26.) Alia feſta Septembris. 27.) Feſta *S. Michaelis*. 28.) Feſta Octobris. 29.) Feſtum omnium Sanctorum. 30.) Alia feſta Novembris. 31.) Feſta Decembris. 32.) Feſtum Conceptionis *B. Mariae V.*

*Diſquiſitio IX. De certis ad divinum cultum diebus et temporibus, eorumque obſervantia.* *Cap. I.* De ſtatis per Septimanam ſacris conventibus. 1.) Miſſae quotidianis diebus. 2.) De ſtationibus, ac feſtis diebus. 3.) De certis ſtationum ac ſynaxium per ſeptimanam diebus. 4.) Fer. IV. et VI. per annum in monumentis liturgicis peculiares lectiones pro Miſſa. 5.) De ſtatis conventibus die dominica. *Cap. II.* De adventu Domini usque ad Septuageſimam. 1.) Adventus Domini exordia. 2.) Quatuor aut quinque Domini Adventus in noſtris liturgiis. 3.) De officio et ritibus Adventus. 4.) De ieiunio Adventus. 5.) De officiis dominicalibus poſt Natale Domi-

Domini et Epiphaniam. *Cap. III.* A Septuageſima usque ad Paſcha per ieiunium Quadrageſimae. 1.) Septuageſimae, Sexageſimae etc. denominatio. 2.) Ubi *Alleluia* deponitur. 3.) De varia epocha auſpicandi ieiunium. 4.) Fer. IV. Cinerum. 5.) De feriarum per Quadrageſimam officiis. 6.) De abſtinentiae Quadrageſ. obſervantia. 7.) Ieiunium usque ad veſperam. 8.) De ritibus officii Quadrageſimalis. 9.) De feſtis Sanctorum in Quadrageſima. 10.) De aliis Quadrageſimalis temporis ritibus, praeſertim a Dominica mediana. 11.) De eleemoſyna et fermento Sabb. ante Dom. Palmarum. 12.) Dominica Palmarum. 13.) Et ſequentes feriae hebdomadae maioris. 14.) De tribus per annum Quadrageſimis, et aliis quibusdam ſtatis ſeu indictis ieiuniis. *Cap. IV.* De tempore Paſchali. 1.) Hebdomada in Albis ac Dominica. 2.) Tempus paſchale. 3.) Quaedam ſingularia in officio. 4.) De ſolutione ieiunii. *Cap. V.* De Dominicis poſt Pentecoſten. 1.) Numerus Dominicarum poſt Pentecoſten. 2.) Concordia officiorum. 3.) Praefatio de SS. Trinitate per has Dominicas. *Cap. VI.* De IV. Temporibus. 1.) Origo trium vel quatuor temporum. 2.) In illis celebrandis varietas. 3.) Donec Saec. XI. fixa ſunt tempora *menſis* I. et IV. 4.) Menſis VII. et X. 5.) Eorum officia. *Cap. VII.* De Litaniis, ac Proceſſionibus. 1.) Collectae, ſtationes, proceſſiones. 2.) Litaniae, ſupplicationes, rogationes. 3.) De proceſſione in feſto Purificationis, et aliis *B. Mariae V.* 4.) In die Palmarum, alicubi cum Euchariſtiae circumgeſtatione ut in feſto Corporis *Chriſti.* 5.) De Proceſſionibus paſchalibus ob baptiſmum. 6.) De proceſſionibus triduo poſt Natale Domini. 7.) De proceſſione ſingulis dominicis diebus. 8.) De litaniis menſtruis. 9.) De litaniis, ſeu proceſſionibus quibusdam extraordinariis. 10.) Litania maior. 11.) De triduo Rogationum. 12.) Litaniae cum ieiunio, etiam tempore paſchali. 13.) Cum aliis exercitiis humilitatis et pietatis.

*Diſquiſitio X. De Cura pro mortuis. Cap. I.* De Exequiis funeris. 1.) Obſequium agonizantium. 2.) Abſolutio defuncti. 3.) Campanae pulſus in agone, vel mox poſt obitum. 4.) Pſalmodia ad cadaver, ac Miſſae ante ſepulturam. 5.) Lotio cadaveris. 6.) Veſtitus. 7.) Preces ac ritus funebres. 8.) Praeeunte ſacro. 9.) Locus ſepulturae. *Cap. II.* De aliis precibus et ſacrificiis pro mortuis, ſtatutis temporibus. 1.) Officium defunctorum. 2.) Miſ-

ſae

ſae pro mortuis. 3.) Qualiter celebratae. 4.) Miſſa, pro cuius anima deſperatur, vel dubitatur. 5.) Graecorum ſententia de ſalute damnatorum. 6.) Latinorum item Patrum. 7.) An ſaltem mitigentur precibus et ſacrificiis damnatorum poenae? 8.) De I. III. VII. XXX. etc. pro mortuis. 9.) De Trentenario, vulgo *S. Gregorii.* 10.) De Anniverſariis. 11.) De ſocietatibus initis pro defunctis. 12.) De commemoratione annua omnium fidelium defunctorum.

*Monumenta veteris Liturgiae Alemannicae.*

Sacramentarium cum Martyrologio, Antiphonario, ſeu Graduali, ac Poenitentiali, ex MS. Rhenaug. 1000. ann. Add. ex Cod. San-Blaſ. collect. ex Libb. poenit. *Halitgarii, Rhabani Mauri, Theodori Cantuar.* Sacramentarium cum Kalendario ex MS. San-Blaſ. 900. ann. cum collect. Praefationum ex MS. San-Gall. 700. ann. Ordo precum Miſſae ex MSS. San-Blaſ. 800. San-Gall. 700. ann. et rec. an. 1527. Capitulare evangeliorum ex MSS. Rhenaug. 900. Friburgenſi 800. cum lect. apoſtoli etc. ex MS. San-Gall. 700. ann. Miſſale ſpeciale ex MS. San-Gall. 1000. ann. In quo etiam Litania, Orationes ad confeſſionem, ad horas canonicas etc. Item aliae pro praecipuis feſtis ex MS. San-Gall. 900. an. Lectionum deſignatio ad Officium noctur. ex MSS. San-Blaſ. 1000. Tigurino 900. et San-Gall. 800. an. Obſequiale ex MSS. San-Blaſ. 800. Auguſtano 700. an. Ordo Romanus ex MS. Tigurino 900. an. et variis Codd. Alemannicis ordines pro Off. Quadrageſimae, maioris hebdomadae, IV. temporum, ab Adventu Domini per circulum anni. De baptiſmo, SS. Ordinationibus, dedicatione eccleſiae. Capitulare, Inſtructio, et Breviarium ordinis eccleſ. ex MSS. San-Gall. 900. ann. et San-Blaſ. unde etiam prodit liber ordinis, et de inſtitutione divini officii ex Cod. 600. ann. De reconciliatione excommunicatorum, haereticorum, ſchiſmaticorum, ex MS. San-Gall. 800. ann. *Amalarii Trevirenſis* Reſp. ad *Carolum* M. de ritibus baptiſmi, cum epiſtolis hactenus ineditis ex MS. Tigurino 900. ann. Liber de officio Miſſae expreſſus ex ecloga *Amalarii Metenſis*, ex MS. San-Blaſ. 800. ann. cum ſupplemento ex MS. Tigur. 900. ann. Tres expoſitiones in canonem Miſſae, I. ex MS. Tigurino 900. II. Einſidl. 800. III. San-Blaſ. 600. an. De commemoratione defunctorum ex MS. Auguſtano 700. ann.

*Monumenta Theodiſca.*

Abrenunciationes baptizandorum Saec. VIII. Oratio dominica et Symbolum Saec. IX. Eiusdem aetatis Confeſſio, item alia cum Symbolis, altero prolixiori, altero apoſtolico. Nec non Confeſſio cum variis precibus ex MS. Saec. XI. vel XII. Alia Symbolo apoſtolorum ſubiungi ſolita Saec. XIII. Ex necrologio San-Blaſ. Saec. XIV. Oratio dom. cum Salutatione angelica etc. Ex Miſſali Teutonico Einſidl. an. 1381. Miſſae aliquot cum ordine generali et canone Miſſae.

*Nos operi, quod eſſe doctiſſimis quibusque hominibus gratum debet, faventem Lucinam adprecamur.*

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii Anno MDCCLXII.*

*Pars I.*

## *C. VELLEII PATERCULI QUAE SUPERSUNT ex Hiſtoriae Romanae voluminibus duobus, recenſuit, et commentario perpetuo illuſtravit IOANNES FRIDERICUS GRUNER.*

Coburgi 1762. apud Io. Car. Findeiſen, Alph. 2. pl. 2. octon.

Quod *Grunerus* V. Cl. intellexerat, nullam eſſe Velleii editionem bonam, quae ab omnibus modico pretio em poſſet, ideoque Velleium a tironibus fere negligi: ei ita occurrendum putavit, ut ipſe manum operi admoveret, ederetque Velleium, qualis et utilis eſſet diſcentibus, et interpretandi praeſidia doctoribus ſuppeditaret, et accommodatus eſſet eorum rationibus, qui maiores editiones emere non poſſent. Cui conſilio ex omni parte ſatisfeciſſe videtur. Nam doctiores etiam multa reperturos eſſe exiſtimamus, quae in Velleio utiliter obſervari poſſint, habeantque non contemnendam vel defendendae, vel emendandae lectionis opportunitatem, iis adeo in locis, qui ab omnibus abiecti fuerant. Itaque non tirones ſolos, aut praeceptores latinae linguae, nanciſcetur haec editio lectores; ſed viros doctos, harumque literarum peritos, qui intelligunt, quantum ad interpretandum proſit, omnium ſententias examinare, et ex omnium coniecturis optimas quasque ſeligere. Quod etſi planius perſpicient, qui totum librum legent; tamen hoc loco operam dabimus, ut, quae ſit eius ratio, enarrandis

per capita eius bonis doceamus. In ipſis Velleii verbis edendis nullam ſecutus eſt editionem, ſed vel reſtituit, quae erant ſine cauſa eiecta aut mutata; vel, ſi qua opus fuit mutatione, diverſorum criticorum ſententias amplexus eſt; vel corruptam editionum lectionem ſervavit, ut cuique liberum eſſet examen coniecturarum in notis poſitarum, quod et alii fecere, et Dukerus nominatim in praefatione ad Florum ſuaſit. Sed magis videamus, quid in animadverſionibus praeſtitum ſit. In univerſum videtur Cel. Grunerus e ſuperioribus editionibus eligere voluiſſe, quae unicuique, qui in hoc literarum genere vellet ulterius progredi, neceſſaria eſſent. Sed cum prudenti delectu opus eſſet, ne obtruderentur lectoribus obſervationes omnes, quarum parte interdum commode ſuperſedere poſſumus, neve utiliores omitterentur: primum delegit utiliſſima ex his, quae a viris ſummis ad Velleium illuſtrandum ſcripta ſunt, deinde non ipſa aliorum verba poſuit, quod quidem nimium fuiſſet quam pro conſilio et modo huius editionis, ſed ſuis verbis ſummam eorum, quae alii dixerant, expoſuit. Quidquid igitur ab Acidalio, Manutio, Lipſio, Voſſio, Heinſio, Burmanno, aliisque interpretibus dictum eſt, id Grunerus velut in compendio cognoſcendum propoſuit, nec ulli moleſtiae conquirendi pepercit, aut ſibi arrogavit, quae alios haberent auctores; ſed in omnibus ſummam fidem lectoribus probare ſtuduit. Ac fatemur quidem, magnam obſervationum partem ſententiis aliorum recenſendis occupari; ſed laudamus Grunerum, qui eas omnes in unum locum congregare ſuſtinuit, ut omnes, qui commodam interpretum adeundorum occaſionem non haberent, tamen intelligere poſſent hoc modo, quid aliis veniſſet in mentem, praeſertim cum tanta ſit locorum vel corruptorum, vel obſcurorum multitudo, quae neceſſario interprete indigent. Nonnumquam nihil niſi indicavit aliorum coniecturas aut interpretationes, plerumque diiudicavit, interdum in contextum recepit. Ponemus horum aliquot exempla. Editum eſt a plerisque poſt Lipſium (II. 10.) *quatuor ante hunc — iuvenem* etc. Sed cum Suetonius (Ner. 2. 3.),

2. 3.), quo auctore uſi erant viri docti, Neronis tantum genus et proavos recenſeat, diſerte autem (c. 1.) dicat, Aenobarbos ſeptem conſulatibus functos eſſe, quos ex ordine temporum enarravit Grunerus: recepit *Septem*, quod Manutius indicarat, et e lectione editionis Rhenani VTI optime defendi poteſt. Eumdem Manutium ſecutus eſt (II. 15.) transponendis verbis, quae erant in ed. Rhen. mutandaque praeterea, ſed ex ingenio ſuo, parentheſi, totoque loco ita conſtituendo: *Quippe L. C. P. R. C. a. a. CCXX. univerſa Italia (cum id malum ab Aſculanis — regiones) arma adverſus Romanos cepit.* Sed fatemur, parentheſi plura incluſa fuiſſe quam opus eſſet, nec vulgarem huius loci parentheſin impeditam videri. Idem fecit (II. 12.) recipiendo *conſularem* pro *conſulem* poſt Scauri Aurelii nomen, defenſa multis hac Manutii emendatione. Locum longiorem merito ſuſpectum (I. 6.) poſuit in nota, ne contextum turbaret. Sed refutavit etiam virorum doctorum coniecturas, ut cum *Corinthum clauſtra Peloponneſi continentem* (I. 3.) defendit cum Puteano ex Cicerone (Agrar. I. 32.), et contra coniecturas quorumdam tenendum putat *diſciplinae convenientiſſimae* (I. 6.), quia *Ovidius* (A. A. I. 514.) dixerat, *bene conveniens toga*, non addito dativo. Ceterum ibidem penitus abiicere malit verbum *vir* poſt *convenientiſſimae*. Tenet vulgatum *initium habuit* (I. 8.) contra Lipſium, cum ab Iphiti aetate numeratae ſint Olympiades. Eodem loco ex Livio (I. 15.) et Cicerone (ad D. I. 7. 9.) minuit veriſimilitudinem Burmannianae coniecturae, mutantis *firmare* in *formare*. Forte et hoc opponi poterat Burmanno, quod urbs manu firmatur, ut eſt apud Velleium, legibus et diſciplina formatur, certe manu ea, quae hoc loco dicitur, non videtur formari. Reiicit omnium coniecturas (II. 11.), retinetque veterem lectionem: *Metelli — clariſſimus et meritum: virtutique — inditum.* Sed videatur alicui illud additamentum *et meritum* frigidiusculum, cum Velleius de praemiis loquatur, quae populus Metello, ſpreta Marii calumnia, tribuit, non vero dicat, eius meritum fuiſſe clarum. Neque porro placet, quod *creare ſeditionem*

rectum eſſe defendit contra interpretes (II. 20.), quia dicatur ira, taedium, et alia creari. Nam in his vix ſufficit analogia ſine diſerto exemplo loci, in quo occurrit *creare ſeditionem.* Quid dici poſſit, non quaeritur; ſed quid dictum ſit a veteribus; nec, quia creare ſignificat eſſe auctorem vel cauſam, ideo omnibus ſubſtantivis addi poteſt. Cum auctoritate Voſſii (II. 30.) probavit, *imaginem ſine iure reliquerat*, non cogitavit, poteſtatem ſine iure bene dici, nec defendi debere iuris verbum in ſe; ſed imaginem ſine iure non dici poſſe. Non opponuntur imago et ius, ſed imago et res, aut vis, quod Heinſius multis locis demonſtravit. Ergo recte dicitur imago ſine re, non, imago ſine iure. Ex his exemplis locorum, quibus aliorum coniecturae defenduntur aut repudiantur, putamus Cel. Gruneri diligentiam intelligi poſſe, qui nihil intactum reliquit. Iam oſtendendum eſt, quid ipſe poſt alios tentarit, quid detexerit ſuo ſenſu, quid mutarit aut mutari voluerit. Dicimus igitur, pauca eſſe loca, quae quidem emendatione indigeant, quae non ipſe quoque ſuo modo emendarit, ac interdum verius feliciusque ceteris. Multorum autem mutandorum occaſionem dedit editio Rhenani, Baſileae 1520. impreſſa, quae prima eſt, et ducta ex codice Velleii. Haec etſi a ſuperioribus diligenter inſpecta eſt, tamen Grunerus quoque plura reperit, quae revocanda viderentur. Non ultra modum ei ſe addixit, ſed quod bonum erat, indicandum aut ſervandum putavit, etſi leviores ſunt mutationes et minutiores, in quo tamen diligentia eius omnibus probabitur. Reduxit ergo ex edit. Rhen. *armis eam occupaverat*, e quo fecerant alii *occupat* (II. 4.): addidit *gladiorum* poſt verbum *licentiae* (II. 22.) probante etiam Burmanno: item edidit *qui — fabricati — fuerunt*, cum legeretur in aliis *ferunt* (II. 27.). Admodum veriſimilis eſt coniectura de verbo *Aenariam* (II. 19.), pro quo ed. Rhen. habet *Taenariam.* Hoc Grunerus putat e compendio ſcribendi ortum *IAenariam*, h. e. Inſulam Aenariam. Reſtituit *ecquandone* pro *ecquando* (II. 14.), cum Apuleius habeat hoc ipſum verbum, et Cicero *ecquodnam.* Quem locum editionis

nis Rhen. corrupte potius, quam ex aliorum incertis conie-ćturis mutatum, edendum putavit, *reipublicae omnium* principem (II. 30.), eum ſuſpicatur ita mutandum, *reip. Romanorum principem.* Sed nonne Velleius dixiſſet, reip. Romanae principem? Non multo poſt (II. 31.) *maiore vi habebatur* eſt corrupta ed. Rhen. lectio. Eam certatim emendarunt viri docti. Grunerus: *maior eius ratio habebatur,* quod longius recedit a ſcripto. Quid ſi cum Voſſio ſcribamus, *maior voto habebatur.* Nam etſi Voſſius non probavit, tamen Velleius ipſe (II. 40.) Pompeium appellavit *ſuo et civium voto maiorem.* Item, *ſunt, qui hoc carpant,* (II. 32.) alii legerant *hunc.* Ita ergo profuit Cl. Grunero Rhenani editio. Videamus ipſius ingenium e locis corruptis, vel ſuſpectis, quae ſuo modo emendare tentavit. Nos autem, ſi non optimos quosque et maxime notandos ſelegimus, non fecimus quo ceteros parum probandos putaremus; ſed quod nimia eſt in Velleio eiusmodi locorum multitudo, e quibus huc transſcripſimus eos, in quos incidimus. Primo ponemus locum multis modis tentatum (I. 16.), in quo exiſtimat Grunerus, recepta ex editione prima particula *quod* poſt *mirari poteſt,* legendum eſſe *congregarunt ſe* pro *congruens*, quod eſt corruptum, cum ita bene reſpondeat quod ſequitur, *ſeparaverunt ſe.* An lenius cum aliis, *congruerunt,* i. e. convenerunt? Eodem capite Velleium bis emendat, mutando *comicam* in *comoediam*; nam eiusdem verbi repetitione non putat aliquem in hoc ſcriptore offendi debere. Sed ſi recte poſuit Grunerus punctum ante haec, *ac novam comoediam,* mutare debebit *imitanda* in *imitandam.* Voſſius enim et Burmannus neutrum defenderant, quod ad plura ſubſtantiva referretur: iam hoc locum non habet, ſi haec eſt peculiaris periodus. Paulo poſt ita ſcribendum putat: *Quidquid ante Iſocratem, quidquid poſt eius — fuit, adeo quidem* etc. ſublata interrogandi nota. Nec poenitebit legiſſe coniecturam de loco ſuſpecto (I. 18), quem ita immutat: *Una urbs Attica plus ſtudiis eloquentiae, quam univerſa Graecia, oratoribusque floruit.* Nam verba *pluribus annis* concoquere non potuit,

 cum

cum parum recte dicatur, floruit pluribus eloquentiae anni.. Sed editum erat, *eloquentia*, nec Rhenani liber neceſſario ſequendus fuit. Hinc bene videtur ſe habere, quod vulgata lectio indicat, diutius Athenas floruiſſe eloquentia uno tenore, quam ceteras civitates Graeciae, quae vix unum aut alterum oratorem eodem tempore habuiſſent. Ibidem uncis incluſit *et multae aliae*, ſeu, ut volunt nonnulli e codice Burerii, *et in Italia*, quia aliquis in margine notaſſe videatur, *et in Italia* accidiſſe, quod hic de Graecis narretur. Pro vulgato *ita eodem tempore* (I. 12.) malit reſcribere, *itaque in tempore*, i. e. opportune. Nam *eodem tempore* vix putat defendi poſſe, nulla tamen addita cauſa. Quod autem (I. 14.) legendum putat: *huic rei per idem tempus per civitates propagatum auctumque* etc. id et ſimillimum eſt Liviano (VIII. 13.), et linguae uſui conveniens. Suſpectum ei videtur verbum *ſenatus* poſt *optimates* (II. 3.), quia pro ſenatu poſuit Velleius (II. 47.) optimates. Et tamen ad illum locum dicit, potiſſimum ſenatores intelligi: unde locus non ſatis aptus videtur. Si dicamus, Velleium indicaſſe primum genus optimates, h. e. bonos cives (Cic. pro Sext. c. 45. 66.), deinde tres formas, ſenatum, equites, plebem, poterit verbum retineri. Poſt multorum coniecturas (II. 26.) ipſe ſic tentavit locum expedire: *Quantum tum huius gloriae famaeque acceſſit! Nunc virtus eminens et patriam latet.* *Contracto exercitu* (II. 19.) mutat in *circumacto exercitu*, quod nemo facile improbabit, qui cogitaverit, Sullam tum habuiſſe iam exercitum, et locum Flori (III. 21. 6.) comparaverit. Sed cum ibidem tenet, *eiulatu expromente indignationem*, non diſputabimus utrum melius ſit. Neque enim alterum, exprimente, facile reiiciendum eſt. Non multo poſt (II. 24.) in his, *repulſoque metu — ſuperaret*, ſtare non poteſt *ſuperaret*. Grunerus ergo coniecit, *ſuperavit*, quo modo et loco conſulitur, et durior ſyntaxis, quae eſt in aliorum emendatione, vitatur. Locum corruptum (II. 35.) *homo virtuti ſimillimus* non putat emendandum in verbo *virtuti;* ſed in particula *non*, quam Burerius invenit

ante

ante verbum *ſimillimus*, ideoque ita mutat, *homo virtuti animo ſimillimus*, *ut* etc. Sed hoc videtur duriſſimum, neque locus ab ullo ſanatus. Eodem capite dicitur Catilina *vota* non ſegnius obiiſſe, quam ſceleris conſilia iniiſſe. Cel. Grunerus *vota* mutat in *auſa*, quod non improbamus; ſed ſi, quae ſequuntur, conſideremus, putamus Boxhornium vidiſſe verum, qui *fata* reponi voluit. Nam, hoc enim addit Velleius, fortiſſime dimicans, h. e. non ſegniter, ſpiritum reddidit. Libenter autem ſequimur Grunerum (II. 48.), qui bene emendat locum, *cuius animo* — *ſufficere poſſent.* Legendum enim putat: *cuius animo* — *neque opes ullae neque copiae ſatis ſufficere poſſent.* Cum Antonius (II. 60.) acta Caeſaris corrupiſſe dicitur, adeo ſunt obſcurata et impedita verba, ut unusquisque aliquid conandum putarit. Accedat his Gruneri coniectura: *Actorum eiusdem*, *inſertis falſis nominibus civitatibusque, corrupti commentarii.* Putat enim, Antonium inſeruiſſe nomina eorum, quos, tamquam Caeſar decreviſſet, in ſenatum allegit. Ceterum addidit hiſtoricorum loca, quibus haec emendatio firmari poteſt. Praeclare tractavit alium locum corruptum (II. 73.), qui non praetereundus eſt: *poſt Antonii Amutinam fugam*, pro quo reponendum putat *poſt Amatianorum fugam*, ex Appiano (B. C. III. p. 855.). Nam Amatius, tenuiſſimae ſortis homo, diruta ab Antonio ara, quae Caeſari poſita erat, ſollicitavit plebem. Antonius, disiecta turba, h. e. poſt fugam Amatianorum, de revocando Pompeio retulit. Ceterum, cum verbum Antonii ſit ſupervacuum, delendum putat, quia aliquis adſcripſiſſe videri poteſt per Antoni, id eſt, per Antonium. Haec omnia proxime ad verum accedunt. Vehementer torſit interpretes alius locus (II. 81.), multis modis mutatus et expoſitus. Grunerus Cel. cum Weſſelingium (Obſ. II. 20.) vidiſſet vulgatam lectionem defendere, *eius relicti erant publici*, ei duabus de cauſis aſſentiendum eſſe negat: partim quod maſculino genere *relicti* veteres hic non facile utuntur; partim quod omnia relicta fuerunt publica. Praeterea ſi vulgatum ſequimur, intelligendum eſt, Caeſarem

rem relicta illa emiſſe, quod dubitamus an Velleius recte potuerit intelligendum relinquere: Dio quidem diſerte addidit. Ideo Grunerus putat reſcribendum: *eius relicta emta publice*, quomodo indicatur, quod alias debuiſſet intelligi. Unum viſum eſt nobis obſcurum, quare publice emta dicantur. Utrum ſumtibus aerarii, an auctoritate Senatus? An, quod Caeſar ea emerat, publice emta dicentur? Timide audemus adſcribere, quid nobis viſum ſit. Nempe coniecimus: eius relicta emta, publico (i. e. aerario Campanorum,) pro his reditus — redditi etc. Sed, ut diximus, haec timidi ſcripſimus, cum tot viri docti ante nos hunc locum tentarent, quos fatemur nobis multo acutius vidiſſe. Corrupta ſunt verba (II. 90.) *et coram aliero*, quod ed. Rhen. habet. Quid ceteri dixerint, notum eſt. Grunerus: coaleſcentibusque reip. membris *in corpus antiquum*. Quamquam quis facile dixerit, quae fuerint Velleii verba? Similem locum (II. 101.) ſuſpicatur ita edendum eſſe: *Cum rege Parthorum in ripa excelſiſſima inſulae, quam amnis Euphrates ambiebat.* Nam Caium putat, ut eſſet tutus, in ripa inſulae Parthum conveniſſe, non inſulam interiorem adiiſſe, in excelſa autem ripa, ut procul ſtans exercitus animadverteret, ſi quid inſidiarum ſtrueretur. Satis diximus de hoc genere animadverſionum, quae ad criticen pertinent: voluimus autem lectoribus perſpicue indicare, qualis fuiſſet Grunerus Cel. in hoc libro, quem iam ex Eutropio et Aurelio Victore cognoviſſent. Nempe intelligent, eſſe eum diligentem, perſpicacem, peritum rei criticae, et linguae, non temerarium, cum alios ſequitur, modeſtum vero cum refutat. De ſuis etiam vidimus eum modeſtiſſime iudicare, qui ſemper dicat, ſe nolle alicui ſua obtrudere, ſe propoſuiſſe coniecturam, ſe velle, modo meliora doceatur, ſententiam mutare. Multa praeterea deprehendimus, quae ad interpretationem pertinerent, praeſertim eorum, quae ſunt Velleio propria, quae quidem niſi animadvertantur, videri poſſunt emendatione indigere, cum tentanda non ſint. Ita cum *ſtatum* concupiſcere et habere dixit Velleius (II. 2. et 12.), intellexit

xit Grunerus Cel. opes et dignitatem, quod quidem ita dictum putavit, ut Velleio ſit proprium, nec conſuetudini eleganter loquentium ſatis conveniens. Scipionem *auctorem* doctrinae (I. 13.) putat eſſe exemplar doctrinae. Attigit etiam *conſcientia merſum* (II. 91.), quod explicat, *oppreſſum conſcientia ſcelerum*. Atqui exemplis docendum erat, τὸ merſus hic recte dici. Praeclaram porro operam impendit animadverſionibus hiſtoricis et chronologicis, quibus poſſet Velleii narratio firmari, vel illuſtrari, ut de Viriatho (II. 1.), de morte C. Gracchi (II. 6.), de Cimbris (II. 8.); aut eius error deprehendi et coargui, praeſertim quibus locis egiſſet adulatorem Tiberii. Huius rei exempla multa reperient lectores in hiſtoria Caeſaris, Auguſti, et Tiberii. Adſperſit etiam ſuis locis, quae Chriſtius olim noſter in Noctibus Academicis de Velleio diſputaverat. Quos Scriptores paſſim emendavit, vel illuſtravit, eorum nomina ad calcem libri indicavit. Adiuncti ſunt Dodwelli Annales Velleiani, cum indice in Velleium et notas.

## *G. F. BERMANNI SOLUTIO PROBLEMATIS Dynamici.*

Cum legerem Schediaſma menſi Decembri anni ſuperioris horum Actorum p. 565. inſertum, vidi in eo provocari *Leibnitianos*, ut principium virium vivarum ad inveniendas regulas motus in percuſſione corporum imperfecti elateris applicent. Iam quanquam ab illa de viribus vivis et legibus motus contentione animum meum plures eaeque graviſſimae rationes retrahunt: tamen ipſum illud propoſitum problema in ſe tam dignum mihi viſum eſt ſolutu, ut ab eius contemplatione me abſtinere non poſſem. Aggreſſus illud, haud acri meditatione ſolutionem eius non ſolum non impoſſibilem, ſed ne quidem adeo difficilem expertus ſum. Quam autem inveni ſolutionem, eam hic exponere, non inutile fore exiſtimo.

M PRO-

## PROBLEMA.

*Ex theoria virium vivarum Leibnitiana deducere regulas communicationis motus inter duo corpora non perfecte elaſtica, directe inter ſe colliſa.*

## ANALYSIS.

1. Problema tres habet caſus. Namque alterum corpus ante colliſionem aut in easdem partes fertur cum altero, aut in oppoſitas, aut quieſcit.

CAS. I. Sint duorum corporum, neque mollium, neque perfecte elaſticorum, maſſae $A$, $B$, et corpus $A$ incurrat cum velocitate $a$ in corpus $B$ praecedens, cuius velocitas ſit $b$. Sit poſt conflictum corporis $A$ velocitas $= \alpha$, et corporis $B$ velocitas $= \beta$, et velocitas reſpectiva poſt conflictum $= \beta - \alpha$, ſicut velocitas reſpectiva ante conflictum eſt $a - b$. Quaeruntur $\alpha$ et $\beta$.

2. Ex *Leibnitii*, viri ſummi, ſententia, eadem ſumma virium vivarum in mundo conſervatur, et vis viva corporis eſt ut maſſa eius et quadratum velocitatis coniunctim. Ergo in praeſenti hypotheſi ſumma virium vivarum ante colliſionem erit $Aa^2 + Bb^2$, poſt colliſionem autem $A\alpha^2 + B\beta^2$. Illius ſummae $Aa^2 + Bb^2$ aliquid conſumatur neceſſe eſt in comprimendis partibus corporum, quibus ſe invicem in ictu tangunt. Si corpora $A$, $B$ perfecte eſſent elaſtica, harum partium elaſticitas, reſtituendo ipſarum figuram, redderet corporibus vires easdem vivas, quas compreſſio illarum partium abſumſerat; ideoque foret $A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2 + Bb^2$. Nunc autem, cum corpora haec imperfecte elaſtica ponantur, et partium compreſſarum figurae non perfecte reſtituantur, poſt conflictum erit $A\alpha^2 + B\beta^2$ minor quam $Aa^2 + Bb^2$; hoc eſt peribit ipſis quidem totis corporibus in colliſione aliqua vis viva, quae tamen mundo non peribit, ſed in minimis eorum partibus, aut materia, ſub ſenſus noſtros non cadente, conſervabitur. Hanc vim vocabimus interim $Zx^2$, intelligendo per $Z$ maſſam, per $x$ velocitatem aliquam. Erit ergo, vi principii *Leibnitiani*, $Zx^2 + A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2 + Bb^2$.

 3. Iam

3. Iam primum operam dare debemus, ut determinetur relatio inter hanc vim $Zx^2$ et quantitates datas vel ſumtas. Patet autem ex dictis (§. 2.) hanc vim eſſe exceſſum vis vivae, comprimendis corporibus *A*, *B* in ictu impenſae, ſupra vim vivam, reſtitutione partium compreſſarum iisdem corporibus redditam. Ergo inquirere debemus primo, quanta vis viva in compreſſionem impendatur, deinde quanta vis huius pars reſtitutione figurae corporibus reddatur. Quod ut facilius fieri queat, conſideremus corpora *A*, *B* ipſa tanquam perfecte dura, ſed inter quae poſitum ſit elaſtrum, corpori praecedenti *B* annexum, quod, in conflictu, primo flectatur ſeu comprimatur, et mox iterum reſtituatur, ſed non perfecte, ſubito nempe deſtructa aliqua elaſticitatis parte, ſimulac reſtitui incipiat. Hac fictione hevriſtica nihil in ipſa re variari, evidens eſt. Si ſeſe hoc elaſtrum perfecte reſtitueret, redderet corporibus *A*, *B* easdem vires vivas, quae illius compreſſione abſumtae ſunt. Ergo cum nunc illud elaſtrum ſe reſtituit, non totam vim vivam, compreſſioni eius impenſam, corporibus *A* et *B* reddit, ſed partem duntaxat, quam ponamus ſe habere ad totam, ut 1. ad *pp*.

4. Quaerenda iam nobis eſt vis viva, in flexionem elaſtri impenſa. Cum corpus *A*, in elaſtrum incurrens, flectere illud incipit; non ſolum impreſſio, in elaſtrum ſic facta, propagatur per totum elaſtrum, ceu corpus continuum, ad alteram usque eius extremitatem, ibique impertitur corpori *B*, huic extremitati annexo, ſed etiam corpus *A* ſimul tantam quantitatem motus elementarem perdit, elaſtri reactione, quanta illi impreſſioni, quam in elaſtrum facit, aequalis eſt. Patet ergo, primo compreſſionis tempuſculo fieri in corpore *B* incrementum motus, et ſimul huic aequale decrementum motus in corpore *A*. Sed haec eadem in ſingulis ſequentibus elementis temporis, per quod compreſſio elaſtri continuatur, ſic contingant neceſſe eſt. Ergo, finita elaſtri compreſſione, corpus *B* tantam motus quantitatem lucratum eſt, quantam amiſit corpus *A*; et proin ſumma

 quan-

quantitatum motus corporum $A$, $B$ tunc eadem adhuc erit, quae fuit ante percuſſionem, nempe $= Aa + Bb$. Iam quia compresſio elaſtri non prius abſolvitur, quam velocitas reſpectiva, quacum corpus $A$ ad corpus $B$ accedit, deſtructa eſt: manifeſtum eſt, finita elaſtri compresſione, corpori utrique $A$ et $B$ eandem fore velocitatem. Ergo haec communis velocitas erit $= \frac{Aa+Bb}{A+B}$. Idcirco erit ſumma virium vivarum, compresſione elaſtri finita, in corporibus $A$, $B$ reſiduarum $= \frac{(Aa+Bb)^2}{A+B}$; et igitur ſumma virium vivarum elaſtri flexione conſumtarum $= Aa^2 + Bb^2 - \frac{(Aa+Bb)^2}{A+B} = \frac{AB}{A+B}(a-b)^2$.

5. Quare, ſi hanc quantitatem dividamus per $pp$, habebimus ſummam virium vivarum, corporibus $A$, $B$ reſtitutione elaſtri redditam $= \frac{AB(a-b)^2}{pp(A+B)}$. Et ergo hac quantitate ſubtracta ſummae virium vivarum, in compresſionem elaſtri impenſae, inveniemus vim vivam, quae corporibus $A$, $B$ in conflictu periit $= \frac{pp-1}{pp} \cdot \frac{AB}{A+B}(a-b)^2 = Zx^2$. Itaque pervenimus ad hanc aequationem $\frac{pp-1}{pp} \cdot \frac{AB}{A+B}(a-b)^2 + A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2 + Bb^2$.

6. Alia autem adhuc egemus aequatione, quam nanciſcemur advertendo animum ad velocitatem reſpectivam poſt colliſum. Quia, incipiente elaſtri reſtitutione, ambo corpora, tanquam unum, communi moventur velocitate: velocitas eorum reſpectiva poſt elaſtri reſtitutionem, ſeu conflictu finito, nequit alia eſſe, quam ſumma velocitatum, utrique corpori $A$, $B$ reſtitutione elaſtri impreſſarum. Sit ea, quae corpori $A$ ſic impreſſa eſt $= \upsilon$, et ea quae impreſſa eſt corpori $B = \varphi$. Erit ergo $\varphi + \upsilon$ velocitas reſpectiva

poſt

poſt colliſum; et ſumma virium vivarum in corporibus $A$, $B$ ſola elaſtri reſtitutione genitarum $= Av^2 + B\phi^2$. Quae ſumma cum antea (§. 5.) inventa fuerit $= \frac{AB(a-b)^2}{pp(A+B)}$: erit $Av^2 + B\phi^2 = \frac{AB(a-b)^2}{pp(A+B)}$. Atqui per nota principia mechanica eſt $B\phi = Av$. Ergo $(A + \frac{A \cdot A}{B})v^2 = \frac{AB(a-b)^2}{pp(A+B)}$; et hinc $v = \frac{B(a-b)}{p(A+B)}$ ideoque $\phi = \frac{A(a-b)}{p(A+B)}$, et proin $\phi + v = \frac{a-b}{p}$. Eſt vero (§. 1.) velocitas reſpectiva poſt conflictum etiam $= \beta - \alpha$. Ergo hanc alteram aequationem nacti ſumus, $\beta - \alpha = \frac{a-b}{p}$.

7. Subſtituendo nunc ex hac aequatione valorem ipſius $\alpha = \beta - \frac{a-b}{p}$, in altera aequatione $\frac{pp-1}{pp} \cdot \frac{AB(a-b)^2}{A+B} + A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2 + Bb^2$, et ex aequatione reſultante extrahendo radicem $\beta$, invenietur $\beta = \frac{Aa + Bb + A\frac{a-b}{p}}{A+B}$ unde ſequitur, eſſe $\alpha = \frac{Aa + Bb - B\frac{a-b}{p}}{A+B}$.

8. CAS. II. Si corpora $A$, $B$ ſibi mutuo obviam fiant cum velocitatibus $a$, $b$, ut ergo velocitas reſpectiva ante ictum ſit $a+b$: ponamus $Bb$ non eſſe maiorem quam $Aa$; et hunc conflictum iterum conſiderando, ut in §. 3. 4. patebit, initio quidem compreſſionis elaſtri impreſſiones, quas corpus $A$ facit in elaſtrum, non addi, ſed demi, motui ipſius $B$, et idcirco utrumque corpus $A$, $B$ pati aequalia decrementa motus elementaria, quoad deſtructus ſit omnis motus ipſius $B$; et poſthaec (niſi fuerit $Bb = Aa$) continuata elaſtri compreſſione motum in corpore $B$ gigni verſus

eas partes, verſus quas tendit $A$, interea ſemper adhuc patiente hoc corpore $A$ decrementa motus ſui, aequalia quantitatibus motus elementaribus, quas acquirit $B$, usque dum velocitas nova ſic impreſſa corpori $B$ aequalis fiat reſiduae in corpore $A$ velocitati. Ubi enim hoc contingit, deſtructa eſt velocitas reſpectiva $a+b$, et ceſſat elaſtri compreſſio. Evidens ergo eſt, ſummam motuum, qui nunc erunt corporibus $A, B$, aequalem fore differentiae motuum ante ictum $Aa - Bb$, et ceſſante elaſtri compreſſione, velocitatem communem fore $= \frac{Aa-Bb}{A+B}$. Hinc erit ſumma virium vivarum flexioni elaſtri impenſarum $= \frac{AB}{A+B}(a+b)^2$, et aequatio prima, ut antea, invenietur $\frac{pp-1}{pp} \cdot \frac{AB}{A+B} \cdot (a+b)^2 + A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2 + Bb^2$. Secunda aequatio iisdem ratiociniis, quibus in §. 6. uſi ſumus, invenietur $\beta - \alpha = \frac{a+b}{p}$. Ex quibus aequationibus prodit $\beta = \frac{Aa - Bb + A\frac{a+b}{p}}{A+B}$, et $\alpha = \frac{Aa - Bb - B\frac{a+b}{p}}{A+B}$. In caſu particulari, quo $Aa = Bb$; vis viva in flexionem elaſtri impenſa $\frac{AB}{A+B}(a+b)^2$ eſt ipſa ſumma virium vivarum ante conflictum $Aa^2 + Bb^2$; ideoque aequatio prior fit $A\alpha^2 + B\beta^2 = \frac{Aa^2 + Bb^2}{pp}$. Ex qua aequatione, cum altera $\beta - \alpha = \frac{a+b}{p}$ coniuncta, invenitur $\beta = \frac{A(a+b)}{p(A+B)}$, et $\alpha = -\frac{B(a+b)}{p(A+B)}$.

7. CAS.

9. CAS. III. Si corpus $A$ cum velocitate $a$ in corpus $B$ quieſcens incurrat: erit in ratiociniis caſus I. ubique $b = o$, et manentibus ceteroquin his ratiociniis, invenietur vis viva compresſioni elaſtri impenſa $= Aa^2 - \frac{AAaa}{A+B} = \frac{AB}{A+B}a^2$, et aequatio prior $\frac{(pp-1)AB}{pp(A+B)}a^2 + A\alpha^2 + B\beta^2 = Aa^2$, poſterior $\beta - \alpha = \frac{a}{p}$. Quae duae aequationes dabunt $\beta = \frac{Aa + \frac{Aa}{p}}{A+B}$, et $\alpha = \frac{Aa - \frac{Ba}{p}}{A+B}$. Q. E. I.

## SCHOLIUM.

Si in his inventis valoribus velocitatum $\alpha$ et $\beta$ poſt conflictum ponatur $p$ aequalis numero infinito: prodeunt velocitates aequales duorum corporum mollium, omni elatere deſtitutorum, poſt colliſionem. Et ſi ponatur $p = 1$: habebuntur velocitates poſt conflictum duorum corporum *perfecte elaſticorum*. Atque haec conſentanea eſſe methodo noſtrae Solutionis, facile perſpicitur. Praeterea autem eſt et hoc nobis adhuc obſervandum: Cum vim elaſticam metiri etiam liceat quantitate motus, quam elaſtrum utrivis duorum, inter quae compreſſum ſeſe reſtituit, corporum imprimit; numerus $p$ dici poterit exponens rationis elaſticitatis perfectae ad imperfectam. Nam (per §. 6.) quantitas motus genita in corpore $A$ elaſtri imperfecta reſtitutione erat $= Av = \frac{AB(a-b)}{p(A+B)}$. Et eodem modo colligemus, ſi elaſtrum ſeſe perfecte reſtitueret, quantitatem motus in corpore $A$ ſic genitam, fore $= \frac{AB(a-b)}{A+B}$. Erit itaque vis elaſtica perfecta ad imperfectam $= 1 : \frac{1}{p} = p : 1$. Eosdem ergo valores velocitatum poſt colliſionem noſtra methodo nacti ſumus, quos alii aliis methodis invenerunt.

D. Cyr

D. Chriſtoph Conrad Wilhelm Friderici gründliche Abhandlung von dem Münzweſen im H. R. Reiche, ꝛc.

i. e.

*CHRISTOPHORI CONRADI GVILIELMI FRIDERICI ſolida diſquiſitio de re monetaria in Sacro Imperio Romano, in qua monetarii iuris origo et valor demonſtratur et documentis illuſtratur.*

Vratislaviae, Thorunii, et Lipſiae, impenſis Georgii Theophili Hornii, 15. plag. octonis.

Si cuiquam, ſane ſcriptori, in eorum, quibus divino munere integrorum populorum ſalus et cuſtodia conceſſa eſt, iuribus inquirendis et cognoſcendis reverentiae pietas debet eſſe commendatisſima. Quae res, ſi a primis originibus repetenda eſt, nulli alii rei, niſi auctoritati et maieſtati principibus propriae, atque arctisſimo et quaſi ſororio vinculo cum his iuribus coniunctae, deleganda videtur. Haec principum iura, ratione civium habita, ex rerum publicarum ſcopo ſunt diiudicanda. Nulla, neque ſuavior, neque felicior unquam hiſtoriae lux affulſit, quam quae hanc rationem normam iurium ſummorum utendorum fecit accuratisſimam. Atque etiam in excutiendis iuribus politicis natura et indoles Imperii Germanici, et cum ſummi principis, tum reliquorum Imperii conſortium, quas ferunt, primae conſiderandae ſunt, et hiſtoria politica hac in re deficiente, (Auctor de inquirenda iurium politicorum origine loquitur,) iura per ſe exigunt, ut colluſtrationis luce ita affundantur, uti legum et ſtatutorum Imperii praeceptis eſt conſentaneum: his autem nonnumquam deficientibus, hiſtoriam et maiorum inſtituta duces ſecuti, portum attingemus eum, in quo ſecuri quieſcere, et tuti, poſſimus. His Auctor innixus rebus, totum opus pertractat ſuum, diſtributum in duas partes, quarum una agit de iuris monetarii in Sacro Imperio Romano origine, eiusque, ex ſententia Imperii legum, natura recentioribus temporibus.

Nobis

Nobis ſatis erit ſummam indicaſſe, ne, quod operis huius lectioni tribuendum cenſemus, tempus intercepiſſe videamur. Conſilium Auctoris hoc eſt, ut varias variorum ſententias, de origine iuris monetarii, in utramque partem agitatas, recenſendo adducat. Quidam hoc ius Imperatorum Romanorum principatui, ceteris Imperii conſortibus excluſis, vendicant. Alii illud Imperii conſortibus, in ſumma atque imperatoria dignitate conſtitutis, non ut donum ſoli arbitrio ſummi principis, ſed potius ut neceſſarium ſummi imperii conſequens, tribuendum contendunt. Igitur varios variarum ſententiarum defenſores, rei natura ſedulo diligenterque inveſtigata, affert. Antiquioribus temporibus ius monetarium in Romano Imperio a ſolis Imperatoribus uſurpatum eſt; quod Regum Francorum Capitularia, ita, ut dubitationi omnis locus ſit praecluſus, demonſtrant. Poſtea Principibus atque Ordinibus Imperii, atque in his primum eccleſiaſticis, conceſſum eſt. In quo tamen, utrum iam a Carolo M. quibusdam Germaniae Eccleſiis tributum ſit, nec ne, dubii ancipitesque fluctuamus; maiori certe cum fiducia illud Imperatoribus poſterioribus relinquimus. Nam Imperatorum indultu in poſſeſſionem iuris monetarii principes ſeculares venerunt. Cuius rei ſignificandae cauſſa, Imperatorum inſigniis monetae erant iis procudendae. Vocabulum Numi originem debet Graecorum νόμω, aut Numae. Hoc ius, poſt interitum Domus Carolingicae, obtinuit apud Imperatores Romanos, et temporibus ſecutis Imperii principibus, reliquisque Imperii Ordinibus concedebatur. Hac occaſione refelluntur, qui, cum his iam temporibus auctoritas Ducum et Comitum in dies altiora caperet incrementa, et Ducibus ſaepenumero iura Regum fato neſcimus quo contingerent, illud ius ſine Imperatorum conſilio et iuſſu, ante auream Bullam inductam, principibus vendicatum eunt. Hiſtoria Imperii ſuffultus, et rerumpublicarum viciſſitudinibus adiutus Auctor, oſtendit fontem, ex quo derivatum hoc ius in reliquos etiam Imperii Ordines fluxerit. Scilicet, Imperatorum liberalitate, cum omnes fere eius tem-

poris Ordines Imperii iure monetarum regio uterentur, res monetaria valde attrita iacebat. Hinc illae iis iam temporibus uſitatae querelae, quibus interregno demum exacto mederi fas erat. Iisdem temporibus, pro iure monetario ſoli Romano Imperatori tribuendo, viris et equis pugnabant Iureconſulti, legum Romanarum auctoritati innixi. Carolus IV. hoc conceſſum ius confirmabat Electoribus, vi atque auctoritate Bullae, uti dicunt, aureae: unde conſequens eſt, Electores agnoviſſe, Imperatori huius iuris aliis concedendi poteſtatem tribuendam eſſe. Multi etiam Electorum, etſi per hanc Imperii legem monetarum aurearum cudendarum libertatem nacti erant, tamen facultatem huius iuris conſequendi Imperatoris potentia ſibi comparare ambierunt. Quo facto Imperator, variis de re monetaria mandatis publicatis, medelam afferre, huiusque rei imminentem ruinam averruncare ſuſcepit. Hinc variis documentis adductis, varia Imperii decreta Auctor profert. Iam rei monetariae adiuvandae urbes peculiares in circulis conſtitutae, loca ſignandis monetis idonea delecta, iisque monetarii, exploratores, et cuſtodes dati ſunt, quorum partes ſuſceptae una cum monetarum conſtitutione explicantur. Verum urbium metalliferarum iuribus, qui aurifodinas habent ſuas Principes exemti ſunt. Non enim aurum argentumque ſuum excudi iubere in urbibus metalliferis tenentur. In conſtitutione monetaria anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi noni anquiritur, qua ratione excreſcenti monetarum numero poſſit occurri? Vocabulum iuris monetarii eſt variae ſignificationis, unde accurata adiunctione addita veram eius ſignificationem exhibet Auctor. Vivo Imperatore, Rex Romanus, niſi forte iuſſus ſit, hoc ius nemini poteſt concedere, quamquam Imperii Curatores eam facultatem habeant. Diſtinguenda eſt ab imperiali moneta provincialis, ſi de moneta tali ſumitur, qualem princeps in ſua quisque regione cudendi facultatem habet. Atque hinc oritur ius monetarium cuique principi in ſua regione proprium, et Imperatorum Romanorum ius in ſacro Romano Im-

Imperio rei monetariae conſtitutionem curandi, ita tamen, ut uniuscuiusque Imperii Ordinis iuribus conſulatur. Leges monetariae in S. Rom. Imperio, uti reliquae Imperii res, ab Imperatore atque Ordinibus in Comitiis conceptae, edendae ſunt.

Altera Libri pars de monetarum valore, et cauſſis, cur earum uſus ſit ambiguus in Imperio Germanico, exponit. Monetarum valor metiendus eſt ex rebus iis, quibus ſunt deſtinatae; quarum vi, monetae proprium eſt hoc, ut viam nobis ſternat ad vitae neceſſitates quascunque, iuſto pretio ſoluto, nobis comparandas. Ex quo apparet, neceſſarium fuiſſe, ut deligeretur talis res, quae perpetuitate quadam ſe commendaret, ne valor eius, fragilitatis labe attenuatus, opinione citius periret, utque ex materia eſſet conflata ea, quam in magno pretio poſitam, facili negotio ſecum ferre unusquisque poſſet. Quae dos cum metallorum eſſe animadverteretur, ea communi huic commodo deſtinata ſunt. Ex quo facile patet, aurum argentumque tali conſilio exſequendo non temere aut inconſiderate eſſe lecta. Non enim omnium *metallorum* hoc eſt proprium. Quare contrarium foret monetarum conſilio, ſuperflua acceſſione facta pretioſo huic metallo valorem adſtruere. Verum enim vero, incommodum aliquod erat in eo, quod in ſuo quisque vitae genere aurum argentumque trutina examinare teneretur. Qua in re etiam multae multorum fraudes, artesque callidae, ſunt detectae. Nam, etſi quoddam auri argentique pondus notis quibusdam eſſet conſpicuum, tamen, cum non niſi privatorum auctoritate niterentur, eaedem etiam notae decipiendi periculo nos non liberabant. Sed et hoc tandem inventis numis ſublatum eſt. Tota igitur via aberrant, qui ſibi perſuadent, aliisque perſuaſum cupiunt, auri argentique rationem, qua trutina examinetur, magis e re eſſe atque utilitate rerumpublicarum. Numorum indoles metienda eſt ex eo, quod ad monetam per ſe, eiusque valorem, ſpectat. Ante detectas metallifodinas, Romanorum monetis utebatur Germania, quas Auctor, ratione valoris habita, cum antiquis illis

cupreis atque aureis, nec non denariis et obolis, deſcribit. Poſtea vero quam inventae ſunt metallifodinae, per beſſes plerumque computatum eſt, ex varia argenti natura, quod aut purum, aut mixtum cudebatur. Hinc diſcrimen ortum eſt inter marcas puras, et mixtas: quod diſcrimen, ubi mutuum contractum, erat exprimendum. Veruntamen illa ipſa per libras et beſſes inſtituta ratio ſuis laborabat incommodis, inducto, maritimis exceptis urbibus, per denarios, obolos, et florenos computandi more. Seculis ſecutis originem debent ſuam Bracteati, qui, cavendae fraudis cauſſa, per occaſionem monetarum craſſiorum ortae, ſignati leguntur. Vocem denarii, *Schilling*, nomen habere exiſtimant a *ſchellen, klingen*. Talentorum valorem, etſi pondus Romanorum ſecuti libris noſtris aequarunt, quorum adeo unum, ſive libram unam, ſive 24. ſemuncias, ſive 12. uncias caperet: tamen poſtea minus iis pretium ſtatuerunt. Florenos ſignatos eſſe Florentiae ferunt, eorumque octo unciam conſtituiſſe. Seculo duodecimo civitate tanquam donati ſunt Groſſi, et Tournaceni, quorum undecim dimidium denarii, vel 15. ſemunc. et 6 gr. efficiebant. Nec Wenceslao inventionis honor recte adſcribitur. Verum Fridericus admorſus, primus horum exemplum imitatus, excudi iuſſit groſſum Miſnicum. Poſtea argentum non amplius purum, ſed ſemunciale cuſum eſt. Quare ipſarum monetarum pretium admodum minutum fuit. Quo facto ſeculo decimo quinto monetis etiam aureis adulteratis, Rupertus Imperator cum Electore Rhenano pactus eſt. Miſnici etiam et Thuringici groſſi adulterati exoleverunt, quorum valor atque indoles, et leges de cudendis numis, anno milleſimo tercenteſimo decimo quarto latae, in Conſtitutionibus Saxoniae monetariis reperiundae laudantur. Antiqui groſſi Bohemici et Pragenſes, a Wenceslao, Ioanne I, excuſi ſunt. Hoc facto computatum eſt per partes ſexagenas. Quae ratio computandi in vectigalibus ſervata fuit. De harum computatione, conſtitutione, et variis generibus, exponitur accurate. In Belgio, Lubecenſis valoris exploratione nixi, plerumque denarios, obolos, et

quos

quos dicunt *Witten*, aut *Weiſspfennige*, excudebant, quorum valor, addita Conſtitutione Imperiali anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi primi, demonſtratur. Paullo poſt, anno quinquageſimo nono, alia Conſtitutio Imperialis de eadem re data eſt, quae exterarum monetarum valorem cum noſtris comparatum, nec non peculiarem de monetarum exploratione Conſtitutionem, continet. Contra quam cum varii ordines Imperii intercederent, decretum eſt, ut, qui una ſtarent Circuli, omnem in eo navarent operam, uti Imperio monetarum aequalitas reſtitueretur. Huius rei conſilium occupatum erat in inquirendo numorum in Imperio Germanico excuſorum valore interno et externo, atque in conſtituenda quadam norma, quae viam muniret ad pretium numis ſtatuendum. Nec minus termini technici hac in re uſitati, de Zinnenſi et Lipſienſi pede, de generalis probationis monetarum die, et de decreto Imperiali de anno milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo octavo, agitur, cuius auctoritate praeceptum erat, ut pes Lipſienſis Imperiali ex aſſe reſponderet. Additum denique eſt Imperii decretum eiusdem anni, de re monetaria exoleta, in primis de monetis quarum uſus in vita ſolet eſſe frequentiſſimus, et de figura earum imposterum conformanda.

## *WENCESLAI HAGECK A LIBOCZAN ANNALES Bohemorum, etc.*

*v. Act. Erud. h. a. Menſ. Ian. p. 25. ſeqq.*

De nomine Hermundurorum regis, quem Iubillium Hagecius ex vulgari ſcriptura nominarat, bene animadvertit Gelaſius, fide codicum eſſe ſcribendum Vibillium, in quo auctoritas membranarum Medicearum, teſte *Iac. Gronovio*, accedit. Idem iuſte notat Scriptores Moravicos, qui ex vitio ſcripturae duos reges pro uno fecerant, et, quod ab omni ratione abhorret, Slavum utrumque, indicio nominum, fuiſſe ſtatuerant; quum nemo Slavos iſta iam aetate potitos his regionibus, aut ex ipſis reges Hermunduros habuiſſe, probare poſſit. *Sommeri* etiam argutiae, de nomine

*Iubel*, aut *Gabel*, apud Danos ſuperſtite, facile arguuntur. Schöttgenii fuit opinio, Vibillium eſſe *Waibel*. Ceterum, quod doctiſſimus Vir ſcribit, regem hunc a fide et amicitia erga Romanos a Tacito multum commendari, et propterea Hermunduris in caſtra Romanorum etiam ſine cuſtode patuiſſe aditum, memoriae non ſatis caute confidit. Nam in Vangione et Sidone tantum, qui opibus Vibillii Vannium regno exuerant, idque invicem partiti erant, egregiam inter primordia, dum dominationes adipiſcerentur, fidem hiſtoricus laudavit. Vibillius vero, qui iam ſub Claudio ad minimum XX. annos regnaverat, ſub altero Traiani conſulatu, quo Tacitus Germaniam ſcripſit, et tam liberos commeatus civitas Hermundurorum, fida Romanis, habebat, mereri amplius id haud poterat. Praeterea iſti tranſitus non in caſtra, ſed in Raetiae coloniam, h. e. Auguſtam Vindelicorum, inque domos et villas, commerciorum cauſſa, fieri ſolebant. Nam Romanos in provinciis transrhenanis, Raetia et Vindelicia, fundos et praedia poſſediſſe, *Paullus* Dig. lib. XXI. tit. II. leg. XI. indicat; quod amplius illuſtrabimus, quum antiquitates limitis agrorum decumatium, nuper inceptas, perſequemur. Optime de Cattis, quos Sileſios interpretatus eſt Hagecius, monemur a Gelaſio, ab occidente potius, quam ab oriente, Hermundurorum fuiſſe finitimos. Sed in aliis praeterea erravit Hagecius, qui bellum cum Cattis ob Salinas Vibillio tribuit, geſtum anno Neronis IV. et XXXVII. poſtquam is Catualdam e Germania pepulerat. Quis tam diuturnum Vibillii regnum crediderit? cur Tacitus nomen eius, antea bis memoratum, in his, ſuae aetati propioribus, non prodidiſſet? Eruditiſſima eſt obſervatio Gelaſiana de ſilva Hercynia, niſi quis deam illam, Proſerpinae comitem, poetis, quam hiſtoricis, digniorem duxerit. In eo vero facile adſentimur, nondum percognita interiore Germania, ob viciniam ſilvarum, continuarum fere, niſi flumina aut paludes ſcinderent, unum hoc nomen tributum omnibus fuiſſe, quae deinde ſingularia acceperunt. In viam etiam a Gelaſio auctor revocatur, ubi ſalſum rivum Cattam commen-

mentus, Salae oblitus eſt. Ceterum ſupereſt illa difficultas, fontes iſti ſalini Halenſesne, an Francohuſani, vel alii ad Salam Franconicam, fuerint? Nobis ea mens, quam alibi declarabimus, ob ſimilia diu poſt Burgundionum et Alamannorum certamina, quae *Ammianus* refert, locum proelii hodierna in Franconia fuiſſe; quum praeſertim ſaltus Hercynius, aevo Taciti anguſtius definiri ſolitus, neque ad planities circa Salam Saxonicam pertingens, Cattos tamen proſequens et deponens, vix alibi confinia horum populorum facere potuerit. Nam ſi quis obiiceret, quomodo Alamanni ad Salam Franconiae pertinuiſſe cenſeri poſſint, parum certe is perpendiſſet, ipſo ex Ammiano, illo tempore Alamannorum regnum, ſeu rem publicam, ex ingente gentium iam confoederatione idem, quod poſtea Franci fecere, auſam; unde certe novos advenas Burgundios, ad ſocietatem non receptos, communione rei, ne tunc quidem lucro carentis, quum a Romanis iam vectigalium rationes uſumque didiciſſent, arcere voluerunt. Ubi iuſte Hagecium Gelaſius arguit, Boios eodem tempore in Slanenſem et Curimenſem agrum, tanquam Tacito auctore, inducentem, nollemus ipſi excidiſſet, nonnullos adfirmare, multis a codicibus Taciti ipſum vocabulum *Boiemi* abeſſe. Nam libelli certe de Germania nunquam multi codices exſtitere, ex quo in lucem revocatus eſt. Solus *Lipſius*, Gronovii in editione, ad c. XXVIII. p. 411. teſtatur, in ſcriptura Bambergenſi fuiſſe pro his, quae eduntur, *manet adhuc Boiemi nomen*, corruptum aliquid: *manet adhuc Boiis e munere nomen.* Inde is corrigit: *manet adhuc Boiiaſmi e re nomen.* Nos, qui Βουιασμον apud *Strabonem* depravatum ex illo ducimus, quod in *Velleio* integrum legitur *Boiohemum*, mollius et probabilius reſcribi poſſe putamus: *manet adhuc Boiohemi ea re nomen*, aut *ex re.* Poſſes etiam, ſi excidiſſe litteras primum, et poſtea ſuperſtites in continens ſpatium, quod ſaepe factum, contractas ſtatuas: *manet adhuc Boiohemi ea regione nomen.* Ratione tamen optima utitur vir egregius, quod Slanenſis et Curimenſis tractus nullum in Tacito veſtigium adparere pronun-

nuntiat. Praeclara rurſus attulit Gelaſius, et gravitate plane hiſtorica digniſſima, ubi temeritatem Hagecii, ſine veterum teſtimoniis Maroboduo Moraviam adſignantis, modeſte et ſobrie caſtigat. Utinam vero *Koelerus*, cuius excellentiſſimi hiſtorici iudicio in rebus aevi barbari atque recentioris nihil eſſe poteſt acrius, in commentatione acad. de Maroboduo, non eidem errori, cui Hagecius, ſe feciſſet obnoxium, ex verbis *Arriani*, ſitus locorum vocabulis ſui temporis qui deſcripſit. Nos de his rebus, et ſede Marcomannorum vetuſtiſſima, opportuna iam quaedam in ſpecimine *noſtrarum Antiquitatum Germaniae* I. attulimus; plura etiam porro dabimus, ſi Deus vitam et otia conceſſerit; unde hic nihil adiicimus. Sed ſingula ſi perſequeremur, quis foret finis? quum Gelaſius qualibet in adnotatione, etiam ſi totam haud ex omni parte probes, mire erudita plura, et rationibus temporum locorumque congruentia, promere ſoleat; ut hic de gentibus, Maroboduo ſubiectis, et regno, poſtea potius, quam tunc iam, celebri Moravico, Lectores multa utilia et iucunda reperient. Nos alii occaſioni reſervamus, quae de his amplius dici poterunt, *Conſtantino* praeſertim *Porph.* adhibito, cuius in his ſumma eſt auctoritas. De clade Variana, et loco exitialis Romanis proelii, ipſum nondum vidiſſe credimus *ſcripta*, praemio Academiae Berolinenſis provocata, et *Lodtmanni* in monum. Oſnabr. cogitata; quamvis hic de Germanici tantum rebus agat, e quibus tamen illae quoque illuſtrantur. Nos alibi, licet tenebris adhuc prematur labor, haec conſideravimus, et forte non intempeſtiva, ſi copia dabitur, in progreſſu noſtrarum antiquitatum Germaniae exponere poterimus. In univerſum hoc operae pretium iis pollicemur, qui hoc opus, Gelaſii induſtria perpolitum, ſibi comparaverint, ſomnia tot iſta Hageciana de tot nationibus locisque, diu poſt nomen nactis, et ſine ulla veri ſimilitudine ad narrationes veterum interpretandas adhibita, pulcherrimis carminibus feliciſſime a tam auſpicato editore expiari, et non opibus tantum hiſtoriae, verum et luci ſaeculi profore, ſi plures ad ſimiles conatus

natus tam ſalubri exemplo incitabuntur, haud vane promit-tere habeamus. Vel illa bene longa et copioſa, e monumentis veterum, de Marcomannis et Quadis digreſſio, quum fabulam de continuata a Marobоduo ad Suentopulcum regum in Moravia ſucceſſionem, Gelaſius, fidei et Charitum propitiis numinibus, redarguit, quam eſt eximia et bonae frugis uberrima? Nobis eam particulatim, ob copiam, expendere per inſtituti rationes non licet. De victoria Marci Marcomannica, litterisque ob eam ad Senatum ſcriptis, quales exſtant, aliquot ante annos ſingularis quaedam in programmate, nomine Rectoris Academiae Witteberg. ut mos habet, expoſuimus; quod cum aliis nonnullis, argumenti hiſtorici, iam bibliopolam, qui ad huius ſylloges editionem ſumtus faciat, exſpectat. Optaſſemus tamen, ne Gelaſius a Seutmanno chalcographo ſibi fucum fieri paſſus eſſet in figuris Marcomanni et Quadi, quarum nihil ſimile inter totius vetuſtatis reliquias deprehenſum unquam fuiſſe, nobis eſt compertiſſimum. *Lazii*, haud ſemper, vel *Grotio* iudice, *Latii*, iſta fuit audacia, ut in opere de gentium migratione, pleno illo nugarum et ludibriorum, talia monſtra confingenda, contra omnis hiſtoriae teſtimonia, curaret. Vel iſte ipſe Quadus in nummo, probo et genuino, ſubiectus, quantum ſpecie habituque a ſpectro Laziano abhorret? Phantaſmata talia ad pictores, et ſi quid his imaginoſius, relegemus, licebit, qui hiſtoriae caſto innutriti ſumus. Altera Gelaſii de Slavis diſquiſitio, quae ibidem ſequitur, egregiis eruditionis et doctrinae luminibus diſtinguitur. Eſſent, quae ex *Conſtantino Porphyr.* et notitiis Ruſſicis incorruptioribus, adiicere omnino cuperemus: quia tamen hic locus ea non capit, adſenſum noſtrum in eo ſaltem teſtamur, quod nemo aliquid acutiſſimo Gelaſio temere perſuadeat, niſi aequalium Scriptorum teſtimoniis fidem dictis faciat, et quod longe aliam viam ingrediendam putat, quam *Iordanus*, V. Ill., qui tot anfractibus emenſis labyrintho ſe commiſit, e quo neque ſeſe ipſum, tantum abeſt ut alios, emergendi ſpe ſolari poſſit, et clara nihilominus, et cuilibet ſtudioſorum obvia tot loca

veterum ſcriptorum omiſit. Sed in uno liceat rurſus in diſſentientium a Gelaſio ſententiam pedibus tranſire. Multum confidit ſua opinione, de Henetis, ex Homero iam notis, Slavorum maioribus. Nos Daci et Daeni, Norici et Nortmanni, Troia et Priamus Francorum origo, Getae et Gothi, Hunni et Hungari, Rutheni et Ruſſi, Suevi et Sueci, Sacae et Saxones, Myſi et Miſnii, Phrygii et Friſii, Polazi, an Polainzi? et Lazi, Bruti et Poruſſi, ne de aliis dicamus, vellicatis auriculis conſiſtere iubent, et, quid ab diae *ἀληθειας ἱερευσιν* olim anteſtatis inſuſurratum fuerit, meminiſſe. Non a Troia inde repetendi ſunt Slavi, neque certe ex Aſia meridionali, ubi nullum vel tenuiſſimum linguae veſtigium ſupereſt, quidquid *Frencelio*, de Hebraicis originibus, per portam eburneam emiſſo, et omnes figuras grammaticas in lepidis etymis inter mille anicularum fabellas conſumenti, in ſomniis oblatum fuerit; ſed ipſum Iazygum nomen, praeter tot alia, oſtendere poterit, quis ſermo gentis vetuſtiſſimus, et in quas terras paullatim effuſi ſint. Nihil movet nos *Beyeri* quondam longe alia opinio; et ne illud quidem, quod nemo in hunc diem Slavorum omnes tribus, aut tot novas inſtitutas civitates, ſeu a reliquo corpore avulſorum reſp., perite ſatis e Sarmatia Europaea, ſeu ut habent verae particulae nominis, a Thracibus, Armeniorum progenie, inditi, *Sha-our-math*, deduxerit. De his, qui dubitaverit, oſtendat, quo populus tam celebris potensque, neque excidio unquam, quantum conſtat, datus, commigraverit? Nec obſtat militiae equeſtris ratio, aut de epotis equis elogium. Quo hodie Alamannorum ex equis pugnandi gloria, quo Tencterorum ob equitem laus, quo Thuringorum praeſtantiſſimi equi? Mutantur talia ex eo, quod interdum accidit; ut profecto lac et ſanguinem equorum, nactos meliorem pecorum cultioribus in terris copiam, et poſtea etiam noſtris ſacris ſuſceptis, facile adſpernatos credas. Obeſſent haec longe magis Beyero, qui Poruſſos, et Lithuanos, et Livonos, a Sarmatis ortos crediderat. Nam Lithuani quidem hodieque valde equeſtres; ſed Poruſſis at-

que

que Livonis nihil-pedeſtrius. At quis tamen lingua quum maneat eadem, (niſi quod de Poruſſica excipi poſſe videmus; ſed hic ex eo, quod Bayerus ſumſit, agimus), communem horum originem negare ſuſtinuit? Si cogitemus, Mithridati, paullo poſt Alanis, vel *Ammiano Marcellino* (l. XXXI. c. II. p. 670. ed. Gron.) teſte, Gothis hinc ſub Ermanarici Athanaricique vaſtis imperiis, Attilae denique ſubiectos fuiſſe Sarmatas pleroſque, num multas mutationes ſubiiſſe illos, et ad varia inſtituta traductos ſubinde, prouti domini contigerant, fuiſſe, negabimus? Una ſupereſt, eaque maxima difficultas. Cur ergo Graeci et Romani, ubi primum memorare Slavos incipiunt, ignorant originem Sarmaticam? Qui vero id valde mirum? Gens antea inter tot dominos diviſa, ut, amotis his, paullatim vires et libertatem regionatim recepit, quo ſe nomine ipſi compellarent univerſi, niſi illo, quo communis linguae indicio avitam conſanguinitatem indicarent? Itaque *Slavenski, Slavoci*, h. e. unius linguae participes. Neque alienigenarum erat, vocabulum ab ipſis adſumtum ex inveſtigata origine immutare; ſicuti nec Alanorum in Maſſagetas, aut Batavorum in Cattos, vel Raetorum in Tuſcos. Et alioquin eruditioribus haec ſolum erant cognita. Et quoties Graeci et Romani Scythas ſolum crepant, antequam Slavorum nomen uſurpare audeant? Sed, quod profeſſi ſumus, laudabimus, ſi quis clare et dilucide, aliaque ratione, oſtendere potuerit, quo excidio, veluti uno tempore, ut vix nomen amplius audiatur, perierint Sarmatae et Iazyges? (nam qui eruditionis adfectatione, vetuſta nomina, et ſaepius perverſe, revocarunt, ut *Nicetes Acominatus* ſemper Paeones vocat, quos dicere Pannones oportebat, eos hic non moramur), niſi in aliter nominatis ſuperfuerint. Poſſemus haec illuſtrare Cheruſcorum et Hermundurorum exemplis, niſi urgeremur haec ut in aliam occaſionem differamus. Hoc certe fatebuntur omnes, ſi iam Heneti iſti Homerici Venetiis, toti Ruſſiae, toti Poloniae, toti Bohemiae, toti Croatiae, Serviae, Boſniae, Bulgariae, Dalmatiae, et bonae Hungariae parti, toti

O 2 Pome-

Pomeraniae, Marchiae, et Mecklenburgicis terris; quid? quod regioni quoque Galliae, prope Curioſolitas, cultores dederunt, et per bis mille annos, et quod excurrit, nomen non mutarunt, praeterquam quod vocabulum αἰνετοῦ, h. e. laudati viri, ex ſuo ſermone converterent, et Slaunik redderent, res prorſus admiranda fuerit. De re ipſa autem, quamvis cauſſis graviſſimis adhuc ab adſenſu prohibemur, tot tamen alia docte et acute a Gelaſio animadverſa legimus, ut id, quod incerti et ingrati, in rebus, ob perdita melioris notitiae documenta, abſtruſiſſimis ineſt, amoenitate doctrinae, et diffuſae lectionis ubertate abundantiſſime compenſet, benevolentiamque, ab elegantia et modeſtia omnium, qui humanitatem colunt, mereatur. Aeſtimatores certe tam fauſtae et litteris ſalutaris diligentiae idoneos nunquam defuturos auguramur. Partis huius in extremo notitiam ſcriptorum de rebus Bohemicis, quam Hagecius dederat, editor litteratiſſimus, Gelaſius, et huic inſtituto unice par, longe pulcherrimis adparatisſimisque copiis ornavit auxitque, et multa nos, rerum talium inde a teneris nunquam incurioſos, docuit, ob quae gratias communi ſtudioſorum nomine ipſi agimus. Non poſſunt illa commendari lectoribus per excerpta, ſed attentione et cura omnium, hiſtorias qui magnifaciunt, dignisſima, ab ipſo incontaminata petenda ſunt. Vovemus ergo omnia fauſta, felicia, candida, et optata, Gelaſio ut procedant, vel a Procerum etiam illuſtrisſimorum auxiliis et favore, ut quidquid ſupereſt tam exoptati operis, in communes hominum doctorum uſus, quam celerrime id fieri poterit, ſuis curis limatum atque comtum profliget; et, ut tempora aevi, quod medium vocant, multa offerent, in quibus maxima cum laude ingenium exerceat, et Hagecii, quoties ab auctoribus idoneis diſcedit, et pro fide monumentorum argutulas coniecturas, ut ſolet, amplectitur, temeritatem, eodem exemplo, quod in hac prima parte laudabiliter ſecutus eſt, incorruptis teſtimoniis libere atque candide coarguat, hortamur. In hiſtoria enim, non quod aliquis ſuo ex adfectu optet, ſed quod accidiſſe conſtat,

ſtat, peritis arbitris probari ſolet; nec eſt artibus declamatorum quidquam putidius in his, quae, ut evenirent, non voluntates hominum, ſed decreta providentiae, dare cauſſam potuerant. Atque ut etiam eo melius Gelaſium hunc, bonarum litterarum copiis circumfluentisſimum, aeſtimare posſint, qui hiſtoriam, vitae et reipublicae magiſtram unicam, et, vel mille Sophiſtis ringentibus, diſciplinarum reginam, amant, ex epiſtola eius ad amicum data adnuntiamus, quod laetitiae omnibus bonis, et gloriae noſtris temporibus, futurum ſit. Conſtituit enim, interea, dum abſolvitur opus Hageciamum, Scriptores ſimul hiſtoriae Bohemicae edere, ſervata ea Tomorum forma, quae Ludewigio in reliquiis ſuis placuit. Ipſa eius verba hic legi merentur: *Comparebunt iſtic MSS. quaeque rariſſima ex ipſo Saeculo XII., adhuc vix ulli cognita, et unde non modo noſtra, ſed et ueſtra regio, atque aliarum hiſtoria plurimum illuſtratur, ob vel unum certe proferendum Vincentium, qui Imp. Friderico Ahenobarbo et R. Boh. Vladislao ubique praeſens in expeditionibus Germanicis Italicisque adfuit, resque huius temporis accuratiſſime deſcripſit.* Nos bonis ominibus votisque tam ſalutare et frugiferum inſtitutum Viri eruditisſimi proſequimur, Deumque ex animo precamur, ut egregii publici cauſſa huic conſilio ſucceſſus proſperos, et ſaeculo plures Gelaſii huius ſimiles, det.

## D. Friedrich Haſſelquiſts Reiſe nach Paläſtina.

i. e.

*D. FRIDERICI HASSELQVISTII, ACAD. HOLmienſis et Upſalienſis Socii, Iter in Palaeſtinam, ab anno 1749-1752. iuſſu Sereniſſimae Reginae Sueciae editum a CAROLO LINNAEO. Verſum ex idiomate Suecico.*

Roſtockii 1762. ap. Io. Chriſt. Koppium, 1. Alph. 15. plagg. in 8.

Quod vere dicitur, paupertatem magnorum virorum nutricem

tricem eſſe, id etiam nunc in mentem nobis venit, cum elegantisſimi huius libelli facies Vobis, Lectores, ante oculos quaſi ponenda eſt. Continet enim literas ab Haſſelquiſtio ex oriente ad amicos miſſas, quae uti iucundisſimae ſunt legentibus, ita utilisſimae multis omnino modis. Pauperibus ille natus parentibus, et duriore uſus iuventa, ſibi paravit induſtria et labore, quo emergere poſſet. Qui cum ſummo ſtudio amplexus eſſet Botanicam ſcientiam, quamquam eſſet tenuioris corpuſculi, tamen ſemper cupiit rationem herbarum, quae in Palaeſtina naſcerentur, cognoſcere, quam rem putabat ad literas ſacras plurimum profuturam. Ingreſſus itaque eſt illud iter, adiutus liberalitate eorum, qui optimo foenore pecunias collocari putant, cum literis proſunt. Smyrnam petiit, atque Aegyptum deinde. Quo facto in Palaeſtinam ſe contulit, atque deinde Smyrnam regreſſus eſt eo conſilio, ut quamplurima colligeret, quae ad illuſtrandam naturam poſſent prodeſſe. Verum reduci ex itineris moleſtiis Hectica adhaeſit, quae eum anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo extinxit. Reliquerat autem egregiam optimarum rerum collectionem, quae redemta a Sereniſsſima Regina Sueciae, nunc ex Oriente in Sueciam eſt delata, atque a Linnaeo V. Cl. in ordinem digeſta. Habet vero hic libellus duas partes: prima hiſtoriam itineris enarrat; altera catalogum recenſet earum rerum, quae ad hiſtoriam naturalem pertinent, et ab Haſſelquiſtio ſunt deſcriptae, quarum utraque ab eo nobis relicta eſt. Plenus eſt liber egregiarum obſervationum, praecipue ex hiſtoria naturali, quamquam neque aliae deſunt. Itaque de omnibus fere locis, quae navigando legit, quaedam adnotat, quod, quamquam huc transſcribi univerſum non queat, tamen id poſſumus affirmare, nihil cognitu ſuavius nobis fuiſſe. Sed maxime copioſus eſt in herbis enarrandis, quarum ſtudioſi operam non facile melius poterunt collocare, quam his legendis, et natura telluris huius vel illius regionis enarranda. De ratione Graecorum in feſtis nonnullis Smyrnae celebrandis aliqua cognovimus, quae hoc iucundiora ſunt,

quo-

quoniam genus ſcripturae perquam floridum, ſive ab Auctore, ſive ab interprete, ſive ab utroque potius, adhibitum eſt. Porro in natura Aegypti deſcribenda ſumma ſollertia uſus eſt Auctor, quae facit, ut neque mores incolarum uniuscuiusque regionis omittat. De Pyramidibus, de peregrinatione ſacra Meccam quae ſuſcipitur, de ſepulturis antiquis, ubi Mumiae, et tot urnae aſſervantur, varia enarrantur. Sed de Palaeſtina, quo ſe deinde Haſſelquiſtius contulit, haec potisſimum iudicavimus digna, quae adnotarentur. Loca ſacra, quae ibi ſunt, partim a Graecis, partim vero Latinis, poſſesſione tenentur, atque magna in veneratione ſunt, maiore etiam quam ipſa pietas, quae intus eſſe debet. Herbas, quas invenerit Auctor, ipſius Lectoris diligentiae relinquemus. Hieroſolymorum loca ſacra, cerimoniasque feſtorum dierum nonnullorum, egregie deſcripta ſunt; qua in re cognoſci poteſt, quam ſollers ſit ingenium humanum, ut omiſſa pietate ipſa, res externas potisſimum ſectetur. Itaque permulta ibi loca viſuntur, his vel illis rebus geſtis inſignia; ſed an etiam revera ſint ea loca, in quibus res in S. Scriptura narratae acciderint, id, quoniam ſola traditione nititur, re incertisſima nititur. Id negari non poteſt, terram Iudaicam nunc ſterilem, incolas miſeros, urbes et pagos incultos, plerumque eſſe. Plerumque dicimus, ſunt enim etiam laetiora loca. Tota vero deſcriptio interpretibus ſacris plurimum poterit utilitatis afferre; multa enim ſunt, quae aut illuſtrent, aut confirment ea, quae in ſacris libris narrantur. In itinere Cyprio illud obſervatum legimus, quod per omnes terras Turcici imperii recte auctor annotavit, nihil fere curae in conſervando flore urbium et locorum impendi, quin labefactari potius omnia vetuſtate ac negligentia, nihilque minus Turcas, quam noſſe ſua commoda, iisque uti. Iacent enim ibi omnia; quod non poteſt non fieri, ubi regnat barbaries. Itaque pulcherrima antiquitatis monumenta, omni e genere, niſi quae ſua quadam bonitate ſervantur, plane obſoleſcunt. Invenimus etiam praeclaram obſervationem de Opio, cui ita ſolent orientales

tales populi adſueſcere, ut mortis periculum incurrant, ſi quando defecerit. Hactenus commentarii. Sequuntur epiſtolae nonnullae ad Linnaeum ſcriptae. Hae animalia, herbas, arboresque multas commemorant, praeterea alia pauca, veruntamen id ſic, ut multum lucis inde in cognoſcenda rerum natura accendatur. Locuſtas proprie ſic dictas comedi ſolere, notamus contra eos, qui Ioannem aliud quid comediſſe aiunt; ſed id genus cibi ibi conſuetum eſſe ſcimus. Per Leviathanem crocodilum putat intelligi; de qua beſtia varia monet. In locuſtis multa adnotavit, quae nobis valde placuerunt, fovetque auctor fere hanc ſententiam, שלוים Iſraelitarum locuſtas fuiſſe, quod iam *Ludolfo* et aliis placuit. Obſervat hoc etiam, nubibus plenum aerem Aegyptiacum eſſe, ſtatis temporibus minutulas quoque guttas interdum quasdam decidere, nullam tamen pluviam, ne quis ibi ſemper ſerenitatem eſſe putet, quo in errore noſtri homines verſantur. In altera parte deſcriptiones extant variorum animalium ſatis amplae. Prima eſt claſſis quadrupedum nonnullorum; ſimiae ſcilicet Aegyptiacae, Aethiopicae, canum nonnullorum generum, ichneumonis, cui falſo tribuitur introitus in fauces Crocodili, Veſpertilionis Aegyptiaci, muris qui Iaculus appellatur, Hippopotami, Cameli, Cervi Camelopardalis, Caprae quae Gazella Africana dicitur, Caprae Angolenſis, Secunda eſt avium: Vulturis percnopteri, Strigis, Otus quae dicitur, et Strigis Orientalis, Pſittacorum, cubicularis et obſcuri, Monedulae Pyrrhocoracis, Corvi Aegyptii, Pici minoris, Alcedonis eius quae rudis appellatur, et Aegyptiae, Meropis, Ardeae Ibis; Tringae Aegyptiacae, autumnalis, ſubtridactylae; Charadrii Auctumnalis, Alexandrini, Aegyptii, eius etiam qui Kerran appellatur, et Spinoſi; Fulicae atrae, Anatum, Damiaticae, Niloticae; Mergi qui Tinus dicitur, Lari Smyrnenſis, et Caneſcentis; Sternarum, nigricantis et Niloticae; Gallinae Meleagridis; Tetraonis orientalis, cum maris, tum feminae; Tetraonis Iſraelitarum; Columbae alicuius, Alaudae Hiſpanicae, Sturni vulgaris, Emberizae Melitenſis, Africanaeque, et nonnullarum Motacillarum. Sequitur catalogus

logus avium, quo veniant in Aegyptum anni tempore. Recenſentur deinde, ſed breviter, quadrupedia, et aves viſae in Palaeſtina. Tertia claſſis eſt Amphibiorum, larga deſcriptione Lacertae, quae nomen Crocodili gerit; Lacertae Chamaeleontis, quae, quantum Auctori licuit obſervare, neque tot colores exprimit, neque ſine cibo vivit, quamquam integrum menſem ita vivere poſſit; Lacertarum, Stellionis Aegyptiae, Geckonis, Stinci, (quem male piſcem crediderunt plerique,) Niloticae; Colubrorum, Viperae, Cornuti, Haie, et duorum aliorum Cypriorum: Anguium, Iaculi, Colubrinae, Ceraſtis. Quarta claſſe piſces deſcribuntur: Murena, Echeneis, Gobius, Scorpoena, Chaetodon, Sparus (Mormyrus,) item Sparus Aurata, Orientalis, Niloticus, et Galilaeus: Labri, Pavo Niloticus, Orientalis, Sciaena Umbra, Perca Aegyptiaca, Perca Luth, et Nilotica, Scomber Gracharus, et Ductor, Silurus (Clarias,) Anguillaris, Myſtus, Salmo Niloticus, Atherina Hepſetus, Mugil Cephalus, Clupea Aloſa, Cyprinus Orientalis, et Rufeſcens, Salmo Dentex, Mormyrus Caſchive, *Tetraodon*, Syngnatus marinus. Claſſis quinta Inſecta complectitur: Scarabaeum Ceratoniae, Curculionem, Chryſomelam, Cerambycem Smyrnenſem, Gryllum Arabicum, qui comedi ſolet ab Arabibus. Qua in re confirmanda late verſatur Auctor. Sphingem, Sphingis Larvam: Phalaenae quatuor ſpecies: Ephemeram: Cynips ficus, Cynips Caricae, Cynips Sycomori, Cynips Aegypti, Tenthredo Sodomitica, Tenthredo Dactyli, Ichneumon Natoliae, Ichneumon vitis, Apis mellifera, Culex Cypri, Culex Aegypti, Muſca Buphthalmi, Acarus Citri, Acarus Teſtudinis, Araneus Galilaeus, Aranea vitis, Aranea Coa, Cancer anomalus, Scutellata, et Indeterminata pariter, eadem in claſſe deſcribuntur. Sexta claſſis eſt vermium: Sepiae, Cochleae Pomatiae, et Syriacae: Concharum, Graecae, Aegyptiacae, Conchae quam Pecten Dytine dicunt, et Pinnae. Haec de Animalibus. Iam plantas videamus. Deſcribuntur vero hae: Iris tuberoſa, Cornucopiae cucullatum, Hypecoum procumbens, Anagallis Monelli, Mirabilis Ialapa, Solanum incanum, Cordia

P Myxa,

Myxa, Lycium Europaeum, Chenopodium Aegyptiacum, Cicuta viroſa, Linum ſativum, Ornithogalum umbellatum, Aloe perfoliata vera, Lawſonia ſpinoſa, Antonyma dubia, Anagyris foetida, Caſſia Sopher, Caſſia Hiarſciamber, Caſſia Ketſchta, Punica Granatum, Roſae variae, Nymphaea Lotus, Dubia planta (Schihe,) Mimoſa Lebbek, Mimoſa Nilotica, Anemone coronaria, Clematis Orientalis, Origanum Aegyptiacum, Nepeta Syriaca, Orobanche laevis, Draba verna, Lathyrus Aegyptiacus, Dolichos Lablab, Carthamus tinctorius, Artemiſia Dracunculus, Viola odorata, Arum Colocaſia, Urtica maxima, Platanus Orientalis, Momordica Luffa, Momordica Balſamina. Sequuntur plantae Cucurbitinae Aegypti, quae pariter latius deſcribuntur, ut: Cucurbita Lagenaria, Cucurbita Citrullus, Cucumis ſativus, Cucumis Melo, Cucumis Chate, Ceratonia, Ruſcus aculeatus, Muſa paradiſiaca, Ficus Sycomorus, Phoenix Dactylifera, Bryum Aegypti. *Sequuntur plantae, quas florentes locis, quae peragravit, Haſſelquiſtius vidit, cuius rei uber catalogus pro loco ac tempore floris recenſetur.* Annexus eſt libellus, quem hiſtoriam naturalem Palaeſtinae nominavit, qui plantas complectitur, quas prope Iaffam, Acrin, Hieroſolymas, Sionem, Ierichuntem, in via Sti Ieremiae prope Bethlehemum, Montem Thabor, Montem tentationis Chriſti prope Tyrum, ad mare mortuum, deprehenderat Auctor. Aliud caput Philologica ſacra inſcribitur, ubi varia ex hiſtoria naturali, quae in libris ſacris occurrunt, pertractantur. Tandem nonnulla, quae ad materiam medicam pertinent, de Balſamo Meccenſi, Maſtige, Olibano, Opio, Caſſia, Schoenantho, Scammonio, Sennae foliis, Myrobalano, Spica Celtica, Unguento Mumiae, Dombo, adiunguntur. Aliud caput de morbis variis agit, de eorumque remediis: de Peſte, de ſpecie febris malignae, de Tertiana, de Cephalalgia, Colica, Calculo, Aſthmate, Hyſtralgia, Taenia, Ophthalmia, Aegyptiis familiari morbo, et Venereis, denique de morbo qui Herpes Aleppina dicitur, de Hernia, ſterilitateque. Tandem aliqua ſcitu non iniucunda de generibus mercaturae enarrantur. Quam-

Quamobrem cum, quod proverbio dicitur, bonus liber laudatorem ferat, non vero exigat, nos quidem nihil addemus nunc, quam hoc, varietate, ſuavitateque, praeter ſummam ſuam utilitatem, et comto dicendi genere libellum hunc merito omnibus placere debere. Hactenus.

*DE VITA ET MERITIS PHILOLOGI ET THEOlogi incomparabilis, IO. LUDOVICI FREYI, SS. Theol. D. et Prof. P. Oratio Funebris, quam D. XVIII. April. Anni Secularis Tertii Academiae Baſileenſis MDCCLX. publice in frequenti panegyri recitavit IAC. CHRISTOPH. BECKIUS, SS. Theol. D. V. T. Prof. P. Inſtituti Freyio-Grynaeani Lector.*

Baſileae 1760. typis E. Thurneiſen, pp. 51. quaternis.

Eam erat *Io. Ludovicus Freyius* nominis claritatem adeptus, ut nihil fere mortuo videretur honoris ex laudatione aliorum accedere poſſe. Et hanc quidem ſine dubio ipſe non magnopere deſideravit, cum ſapientes viros et virtutibus excellentes, ut obſervat in Prologo Ven. *Beckius*, facta laudent et vita, non encomia oratorum. Sed vere hic idem addit, deberi tamen hoc illis officium a grata adverſus eorum merita poſteritate, quibus etiam praedicandis accendere ſe ad imitandum debeat. Cum igitur nobis vel hoc nomine dicendum de hac funebri laudatione fuiſſet: mox lecta cognovimus ſingularem *Freyi* felicitatem, cui maior ab exſequiis ipſisque e cineribus gloria enaſcitur, patefacto iam inſtituto praeclaro, quo huic et venturae aetati, munificus in rem litterarum communem, prodeſſe voluit. Huius quae ſint rationes, quae vita ipſius fuerit, quae doctrina, accipite nunc Lectores, et partim memoria recolite.

Natus eſt Noſter Baſileae, anno Seculi ſuperioris LXXXII. menſe Novembri, patre *Io. Ludovico*, Reip. Senatore, matre *Gernleria*, nobili utriusque parentis ſtirpe, et egregie praeſtita patriae opera, illuſtri. Magnum in puero et ardorem diſcendi, et in arripiendo celeritatem fuiſſe, vel hoc docet,

 quod

quod vixdum decennis caſu Grammaticam Hebraicam nactus, intra paucas horas elementa huius linguae perdidicit. A. 1696. in Academiam tranſiit, et ſtudiorum quidem humanitatis cauſſa *Io. Iac. Battierium*, ut hiſtoriam cognoſceret *Iacobum Hofmannum*, in philoſophicis, phyſicis, et mathematicis, *Iacobum Bernoullium* ſectatus eſt. Cuius diligentiae hunc fructum cepit, ut Graecos Latinosque ſcriptores plerosque omnes accurate cognitos haberet, irrigaretque his verae eruditionis fontibus reliquam doctrinam, ſimulque in dicendo pariter et ſcribendo eloquentiae commendationem ſibi adiungeret. Neque artis poeticae expers fuit, et quid in ea poſſet, etiam ſpeciminibus quibusdam oſtendit: non indigna, ut vulgo putant, vel magnis ingeniis exercitatione. Philoſophiae partes omnes pertractavit, et praeſtantiſſimos in eo genere ſcriptores lectitando, adpulerat animum ad *Cudworthi* Syſtema Intellectuale latine convertendum, cum eodem in labore iam deſudare audiret *Moshemium*, eumque propterea dimitteret. A. XCIX. laurea Magiſterii donatus, defenſaque praeſide *Theod. Zwingero* Diſſert. *de natura mentis humanae*, Theologiae ſtudium exorſus eſt, praeceptoribus *Io. Rudolpho Wetſtenio* Fil. *Petro* et *Samuele Werenfelſiis*, ex quibus hunc potiſſimum Samuelem ſibi ſequendum et imitandum cenſuit, Theologum clariſſimum, quem et deinde per XXX. fere annos collegam habuit. Hebraicae linguae, et dialectorum, Chaldaicae atque Syriacae, notitiam uberiorem ex *Iac. Buxtorfio* hauſit, Arabicam proprio Marte didicit feliciter: cuius ſcientiae documentum protulit mox ea Diſſertatione, qua *ſententiam Muhammedis de I. C.* explicavit.

Tum vero, eruditionis amplificandae cauſſa, iter ſuſcepit primo per Helvetiam, anno Seculi III. deinde proximo in Gallias, quarum in metropoli quatuor menſes commoratus, viros illic doctrina florentes adiit, bibliothecas perſcrutatus eſt, et bibliopolarum tabernas. (Dicitur hic et *Arnaldi* conſuetudine uſus eſſe p. 10. quod de magno illo *Antonio A.* capi non poteſt: nam ille multis ante annis, procul a Fran-

cicis

cicis oris, exſul mortuus erat). Cum autem *Freyius* ſtatuiſſet, Orientalibus inprimis litteris operam dare Pariſiis, fefellit eum prope ſubſidiorum concepta exſpectatio. Adeo enim illae tum in hac urbe iacebant, ut cum amico cuidam Hebraicae linguae elementa traditurus eſſet, Grammaticam Hebr. in omnibus bibliopoliis fruſtra quaereret, ac vix tandem in ponte novo (*Pont-Neuf*), ubi omnis generis lacinias vendunt, reperiret. Unum tamen invenit linguarum Orientis peritiſſimum virum, *Longueruaeum*, qui etiam ultro operam ſuam obtulit, ſi longius progredi ſe duce in Arabicis litteris vellet. Itaque cum hic eo tempore in animo haberet, Hiſtoriam *Timuri*, vulgo *Tamerlanem* dicunt, ex Arabico *Arabſchiadis* Latinam faciendi, Noſter illi quotidie fere a ſummo mane ad meridiem adſidens, praelegit hunc ſcriptorem atque interpretatus eſt: quae interpretatio a magiſtro emendata, calamoque excepta eſt, et adhuc inter ſchedas *Freyi*, pertexentis illam poſtea proprio ſtudio, exſtat. Inter Codd. autem Orientales, quos Lutetiae excuſſit, eminebat maxime Commentarius ineditus R. *Aaronis B. Ioſeph*, Iudaei Caraitae, e quo *Excerptorum* partem, verſione latina et notis illuſtratam, praemiſſa Diſſertatione, edidit Amſtelaed. 1705. Nam Gallis relictis ad Batavos profectus erat pari conſilio, et cogitabat in Angliam; ſed a parentibus in patriam revocatus eſt.

Atque hic non ſolum pro ſuggeſtu ad populum auditus eſt, ſed etiam ſtudioſos adoleſcentes in theologicis dogmatibus inſtituit. Defendit et Diſſertatt. duas, alteram *de coniungendo ſtudio linguarum Orientis cum ſtudio Graeco*, alteram *de Cyro, Monarchiae Perſicae auctore*. Mox A. 1710. templi recens exſtructi in vico Huningae minoris primus ſacrorum miniſter conſtitutus, ſed ſtatim anno ſequenti in lucem Academiae retractus eſt. Accepit enim Profeſſionem Hiſtoriae ordinariam, et Theologiae extra ordinem docendae facultatem: quam per occaſionem cum ei Doct. Theologi dignitas ſuſcipienda eſſet, propoſuit publice Diſſertationis *de Officio Doctoris Theologi* partem, quam poſtea tribus partibus

tibus auxit. In utraque provincia adminiſtranda, diligentia et fide praecipua, cum eorum autem qui in Academia diſcerent utilitate ſumma, verſatus eſt. Quod nonnullis viſus eſt libris ſcribendis parum operae impendiſſe, in eo praeter corporis valetudinem, etiam animi iudicio paruit. Solebat enim de omni quod proponebatur argumento complures ſtatim et optimos nominare auctores, utpote quorum copioſam habebat et accuratam notitiam. Itaque, ne ſi permitteret quidem valetudo, multa ſibi edenda in lucem putabat. Sed tamen praeter Diſſertationes ſuas, etiam Partem alteram earum quas *S. Werenfelſius* ſcripſerat, hoc volente, collegit, et Amſtelaedami, praefatus, excudi iuſſit. *C. Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſticum, cum emendationibus et additionibus *Io. H. Suiceri*, auctiorem edidit A. 1728. In emendando et locupletando *Lexico Univerſali Hiſtorico* A. 1726. Hiſtoriam potiſſimum Litterariam, Baſileenſem, Anglicanam, et Orientalem, tamquam ſuas ſibi partes depopoſcit. Cum nullum genus litterarum maiori ſtudio complecteretur, quam Orientales, omniaque huius penus ſollicite perveſtigaret, inſtituerat etiam *Bohadini Hiſtoriam Saladini* ex Arabico latinam facere; ſed cum idem a *Schultenſio* fieri comperiſſet, ultra initia progreſſus non eſt. *Patrum Apoſtolicorum Epiſtolas* A. 1742. egregio apparatu ſtipatas, iterum viris doctis legendas dedit. Illud autem multo maius eſt, et in veriſſimis doctoris Academici laudibus ponendum, quod innumeros diſcipulos probe inſtitutos, litteris inprimis Orientis, poſteritati donavit, et omnes fere, qui inde a XLVII. annis in civitate et ditione Baſileenſi eccleſiis praefuerunt, ab hoc tam foecundo ore pependerunt. Praebebat etiam faciles ad ſe aditus, et de multis graviſſimis rebus ſententiam rogatus reſpondebat. Ae ſunt in epiſtolis eius ad viros doctos obſervationes minime ſpernendae, ut v. c. quae adhuc inter ſchedas exſtant, in *Reimmanniani* libelli de Atheiſmo Caput illud, quod de Atheiſmo Muhammedanorum agit, animadverſiones. Bibliothecarii Academici munere per XX. propemodum annos functus eſt, et praeſtantiſſimae biblio-

bibliothecae Buxtorfianae, quae iisdem theſauris publicis inſerta eſt, CCC. florenos moriens legavit. Tandem anno ſec. XXXVII. delata in illum eſt ordinaria Profeſſio Theologica, ſimulque Collegam in eodem Ordine accepit diſcipulum eximium, et amicum coniunctiſſimum, *Io. Grynaeum*, quem domi ſuae habitare, et omnia pene ſecum communia habere voluit; ſed immatura mors anno XLIV. aetate florentem ſuſtulit. Huius λείψανα quaedam, cum adiuncta vitae enarratione, a. XLVI. formulis exſcribi iuſſit, elogium etiam publice recitavit. Acceſſit a. LV. epiſtola ad *I. Krigkoutium* de *Io. Iac. Wetſtenio*. Ipſe Februario anni LIX. ſenectuti et morbis ſuccubuit, annos natus LXXVI. cum tribus menſibus, eodemque cum amico tumulo conditus eſt.

Sed utriusque perennem memoriam conſervabit Inſtitutum eorum nominibus inſignitum. Saepius cum *Grynaeo* ſuo deliberaverat Freyius, quibus modis iacentia hac aetate philologiae ſacrae et LL. Orient. ſtudia feliciter excitari poſſent. Intelligebant autem, non ſola difficultate ab illis absterreri homines, ſed partim ſubſidiorum et librorum inopiam obſtare, partim quod pauca earum cultores commoda maneant. Horum alteri conſuluerat Academia Baſil. emta trium *Buxtorfiorum* bibliotheca; ſed cum in hac quoque multa deſiderarentur, ea privato ſumtu collegit *Freyius*, comparata ſupellectile librorum fere octo millium, quae et theologicis omnis generis, et philologicis maxime abundaret, ac prope abſoluta eniteret. Dein ut alterum quoque adſequeretur, praeter huius bibliothecae uſum, habitationem in ſuis aedibus, cum dimidia parte fructus ex praedio ampliſſimo, nec non cenſu annuo ſortis quatuor mille florenorum, a *Grynaeo* in eandem rem relictorum, in perpetuum conſecravit viro docto, qui praeter Hebraicae linguae Profeſſionem in Academia patria vigentem, ſingularem operam tradendae philologiae orientali impenſurus eſſet. Huic praelegendi, Diſſertationum aut Orationum ſaepius habendarum, Bibliothecae denique curandae officia, pro utilitate ſtudio-

ſorum

ſorum iuvenum, ipſe impoſuit, addiditque Inſpectores Inſtituti graviſſimos, qui etiam, licet neceſſariis quibusdam mutationibus factis, rem omnem quam optime procurarunt. Iam quo dignius eſt hoc ſapientum virorum et religionis amantium liberale conſilium, quod praedicetur huius aevi et poſterorum vocibus: tanto auſpicatiora Inſtituti illius exordia capta exiſtimamus eſſe, cum ipſius *Freyi* voluntate, primum Lectorem ab ineunte anno LIX. agere coeperit diſcipulus, collega, et amicus eius clarisſimus, Vir Venerandus, cuius hanc parentalem orationem adhuc delibavimus; a quo dubium non eſt omnia ſplendidae et utilisſimae deſtinationis munia copioſisſime expletum iri. Nos autem, comparata apud animum cum ſuperiorum ſeculorum liberalitate in donationibus litterarum cauſſa faciendis, horum temporum ſterilitate atque frigore, vehementer optamus, ut multi poſthac cum ceteras *Freyi* et *Grynaei* laudes, tum hanc magnificam, imitando conſequantur.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Martii Anno MDCCLXII.*

## *Pars II.*


*CHRISTIANI ERNESTI HANSELMANNI, CELSISſimorum Principum et Comitum Hohenloicorum Conſiliarii Aulae, Clientelae et Conſiſtorii, ut et Archivarii, ulterius illuſtratum et adſertum Ius territoriale eminens Domus Auguſtae Hohenloicae, ante tempora interregni ſic dicti magni, una cum variis obſervationibus, et adpendice CCXXVI. documentorum, maximam partem antehac ineditorum, et tabula ſigilla notatu digna aeri inciſa exhibente.*

Noribergae, apud Adami Ionathanis Felſekeri heredes 1757. fol. Alph. 5. plag. 18. cum Tab. una aeri inciſa.

et

*EIUSD. CONTEMPLATIO A PERILLUSTRI DAVIDE GEORGIO STRUBENIO, Potentiſſimi Magnae Britanniae Regis et S. R. I. Novemviri Brunſvico-Luneburgenſis Cancellariae, quae eſt Hannoverae, Directore, editae ſic dictae irritae demonſtrationis Germanici Imperii Ordinum plenarii Iuris territorialis eminentis ante ſic dictum interregnum, ad magis confirmandum anno cIↃIↃCCLI. in lucem editae diplomaticae demon-*

*ſtrationis et anno cIↄIↄCCLVII. inſequentis ulterius illuſtrati et adſerti Iuris territorialis eminentis Domus Hohenlohicae ante illa tempora, cum adiecta modo memorata irrita demonſtratione, et aliquot hanc controverſiam concernentibus Adiectis, item ad marginem poſitis, et Indice reali.*

Noribergae apud Adami Ionathanis Felſekeri heredes 1762. fol. Alph. 6. plag. 21.

Illi plaudite, quod Illuſtris *Hanſelmanni Demonſtrationi Diplomaticae Sereniſſimae Domui Hohenlohicae vindicati Iuris eminentis territorialis, illud Germanici imperii interregnum toties decantati longe citioris*, decem abhinc annis et, quod excurrit, in his Actis anni cIↄIↄCCLII. p. 606. ſeqq. addimus, pari nobiscum voluntate concinuerunt fere doctiſſimorum quisque virorum. Unicus fere isque Perilluſtris Vir *David Georgius Strubenius* eam ivit oppugnatum, ſemel in Relatione III. Faſciculi VI. Relationum Goettingenſium de Libris Novis anno cIↄIↄCCLIII. iterum anno cIↄIↄCCLVIII. *Demonſtratione irrita Iuris illius eminentis territorialis plenarii ordinum Germanici imperii ante vulgo ſic dictum eiusdem interregnum.* Ab illo ſe adſerebat Illuſtris *Hanſelmannus* priori, ab hoc poſteriori. Agitata fuit haec maximi momenti controverſia inter Duumviros, quam tractant, rei peritiſſimos, et, qua decet via tanta munera, quae ſolida eorum eruditio iis peperit, communi omnium bonorum ſuffragio fortiter, et, quod faxit ſummum Numen, per longam annorum ſeriem obeuntes digniſſime. Longius pergendo, ut fit, intenduntur argumenta rei, ſi quae umquam, digniſſimae, quae excutiatur curatius. Veſtigiis inſtitit Doctiſſimus *Hanſelmannus*, quae iam in ſupra citatis hiſce Actis expoſuimus, in his fere ſolet perorare. Hinc, ut ipſe tergo tituli primum continuati operis egregii adfixit, „Veritas oppugnata ſe offert et oſtendit inſtar palmae, quae preſſa exſurgit, et aromatum, quae contrita odorem ſuavem effundunt.„ *Strubenianorum* quodque effatum Latii genio propoſitum excipiunt *Hanſelmannianae*

nae vindiciae quam ſolidiſſimae patrio ſtilo exaratae LXXXVIII, quot adverſarius oppoſuerat, quin et alia priſtinum Celſiſſimae Domus Hohenlohicae ſtatum in ſpecie non ſolum, ſed et priorum temporum conditionem in genere, pluribus illuſtrantia in adiectis plus quam ducentis, ex tabulariorum Hohenlohicorum inſtructiſſimorum, Auctorisque undiquaque improbo labore conquirentis penu locupletiſſimo, depromtis diplomatibus et in medium poſitis, bonae cauſae indicium luculentiſſimum. Pro lege enim ſibi fixit indefeſſus Auctor ſtatim in fronte ultimi ſui operis laudati, quam usque ad calcem ſanctiſſime cuſtodivit ſui ſemper ſimilis, illa Guillimanniana: „Apud me rebus ſane literariis nulla umquam auctoritas ante rationem fuit; rationem absque argumentis et teſtibus inanem ferme exiſtimavi, neque prae publicis monumentis traditionem umquam poſui. Reſpexit autem intentiſſimo ſemper oculo in adverſarium acerrimum, cuius argumenta non ſolum ipſe dilucidiſſime expedivit planeque diluit, ſed et, ne in omnia alia traxiſſe videatur, ipſis ſuis reſponſionibus clariſſimis denuo ſubiunxit integra et continua ſua compage, praeſtans ſe virum aperto Marte pugnantem, nec belli furtis victoriam, quae numquam perennis, merentem. Neque eſt, quod aliud iter ingrediatur, cum ipſe Perilluſtris *Strubenius* in praefatione eum liberaliter videtur provocare, haud perperam cenſens, non ſine fructu fore iſti rei amplius inhaerere, ad maiorem lucem iuris publici Germaniae noſtrae nonnihil facturae. Cardo autem totius rei in eo verſatur. Hohenlohicorumne maiores Imperatoris Germanici miniſtros egerint, quae eſt ſententia *Strubeniana*; an ipſorum fuerint, quaecunque tenuerunt, quae eſt *Hanſelmanniana*. Hinc ampliſſimus campus ſeſe aperuit Hohenlohicorum iurium vindici dexterrimo, olim optime ſtructa novis fulcris ſuffulciendi, aut iam ſuffulta magis atque magis firmandi. Lectori noſtro ne crambe denuo cocta nauſeam creemus, nolumus ſeriem materiarum repetere, quam recenſentes primam huius negotii partem conſpiciendam fecimus. Addamus potius ſubmoniti humaniſſime ab

humaniſſimo *Hanſelmanno*, illis diſſimillimo, qui coeco impetu ſua vel ut divina oracula excipi volunt, ingenue ad illuſtranda, quae iam in medium conſuluit. Illa de iudicio urbico *Oehringenſi* illuſtraverint Longolianae Diſputationis de Iudicio Urbico Curiae Regnitianae, in eiusdem gymnaſio anno cIↄ Iↄ CCLI. habitae §. XVI. ſeqq. Incertus eſt, an Longolio, non *Longelio* ab operis corrupto, illud venerabile anni cIↄ C XXXXIII. vernaculae noſtrae monimentum, quod is Analectorum ſuorum Brandenburgicorum Tom. II. p. 105. ſeqq. propoſuerat, aeri inſculptum fuerit, quod Goettingenſium indicia olim ſuaſerant. Iam certo ſciat, fuiſſe illud ab eodem, quem experti ſumus illas priſci aevi documenta non oſcitanter aut negligenter tractantem, ſumma cum cura exaratum, ut nec puncto ab autographo diſtet. Huic aeri inſcribendo commentarius, qua rem qua linguam tum ſinceram, uberrimus eſt paratus cum diſſertatione de contraſigillis, quali iſtud adhuc munitum, prelo deſcribendus, quam primum Mars officinis librariis multifariam infeſtus fuerit ſopitus, utinam prope diem, non minus ac aliud anni cIↄ CCVI. eiusdem linguae et momenti, argumentis idoneis aetati, quam prae ſe ferunt, vindicatum utrumque. *Secretarii* auctoritas ſeſe quam optime exſerit in duobus Ludovici Bavari, Romanorum Auguſti, Romae anno cIↄ CCC XXVIII. editis documentis a Longolio in diſputatione inaugurando Curiano inſtituta, anno cIↄ Iↄ CCXXXXVI, qua primus docuit, Curiam Regnitianam Sereniſſimorum Burggrafiorum Norimbergenſium Auguſtae Hohenzolleranae ſtirpis citius ac vulgo creditur Urbem fuiſſe, §. II. et III. emiſſis, quibus Burggrafium Fridericum de illo Imperatore admodum meritum *ſecretarium ſuum et imperii fidelem*, cuius exempla plura ibi obſervatione 7. ad §. II. ſalutavit Auguſtus. Quod ſi non omne punctum tulerit opinio *Grav* a *Grau*, *canus*, petens, quaſi *comes* ſit *ſenior*, unde Ludovicus in Vita Iuſtiniani M. p. 501. obſervatione 625. Gallorum *Seigneur* haud inficete petiit; ut tamen *ſenior* fraudi ſit auctoritati *comitis*, tantum abeſt, ut potius eam maioris duxerit,

qui

qui noverit, quis autem non noverit? quantae ſit dignitatis illud *Seigneur*, quo ne principes quidem Celſiſſimi erubeſcunt, a quibus haud divertunt, quae illuſtris *Hanſelmannus* paullo infra de voce *principis* docuit. Verborum *Mein herr* vim adſtruxit Longolius ſaepe excitatus in Anal. Brandenburg. Tom. VII. Cap. II. p. 251. ex cuius Tom. V. p. 293. ſeqq. lux accendatur voci *Soeldener*. Contra adverſarium *Landſaſſios* adpellantem *quosvis colonos*, ſtabit a partibus *Hanſelmannianis* praeter Leyſeros, Wernheros aliaque nomina clariſſima, recentiorum huius rei germanicae gnariſſimus Illuſtris Bauerus, ordinis Iureconſultorum almae noſtrae celeberrimus Ordinarius, qui de Landſaſſiis quaedam decem abhinc annis publice diſputavit. Haec vero grata ingenio, quale *Hanſelmannianum*, qui nec ſibi imperavit omnia adſentari, et fugit ſervile pecus, qui cum Terentiano Gnathone, ſi quis negat, negant, et aiunt, ſi quis ait.

*FERDINANDI STOSCH SYNTAGMA DISSERTAtionum ſeptem, de Nominibus totidem Urbium Aſiae, ad quas D. Iohannes in Apocalypſi, Epiſtolas Filii Dei direxit.*

Guelpherbyti 1757. apud Ioh. Chriſtoph. Meiſnerum, 13½. plag. in 8.

Hic liber ſpecimen eſt operis amplioris, ſuo tempore prodituri. Doctiſſimus Auctor eo occupatur, ut hiſtoriam et antiquitates ſeptem Eccleſiarum Aſiae, ad quas D. *Iohannes* dedit *Epiſtolas* in *Apocalypſi*, *Cap. II. et III.* explanaret, easque ad Epiſtolarum ipſarum interpretationem conferret. Moliti ſunt aliquando talem operam *Ewaldus et Zornius;* quo minus illam praeſtarent, fatis intercepti. Quare utilem ſuſcepit rem Celeberr. *Stoſchius*, harum urbium notitiam et antiquitates indagans. Auſpicium cepit conſcribendarum antiquitatum *Thyatire*, urbis et eccleſiae parum huc uſque cognitae. Has dum diligenter polit et premit in muſeo, interea praemiſit ſpecimen de *nominibus*

*ſeptem urbium Apocalypticarum.* Egit diligenter et cum induſtria accurata, *de nominibus Epheſi, Smyrnae, Pergami,* ipſius *Thyatire, Sardium, Philadelphiae,* et *Laodiceae.* Expoſuit ſeptem diſſertationibus de ſcriptione, genere, declinatione horum *nominum,* de formatione gentilium, et aliis ſimilibus. Praeterea interpretibus Apocalypſeos illis, qui in *nominibus* iſtis magna *myſteria* ſomniant, ſolide obviam ivit. Dabimus quaedam excerpta huius doctae ſedulitatis.

Diſſertatio *prima* exponit *de nominibus Epheſi.* De hac urbe eccleſiaque cognita ſunt plura, quam de reliquis illis ſex. Quum enim, praeter brevem D. Iohannis in Apocalypſi, alia extet longior Epiſtola Paulli ad Epheſios, mirum non eſt, quod qui Epiſtolam hanc ex variis literis illuſtrarunt, inprimis *Sal van Til,* etiam de urbis et eccleſiae Epheſinae fatis diſſeruerunt. *Stephanus Byzantinus* varia nomina recenſet *Epheſi.* Epheſum vocat *Smyrnam,* ab Amazone Smyrna conditam. Certe *Plinius* nominat Epheſum *opus Amazonum;* et *Strabo* Smyrnenſes primos, docet, in urbe Epheſiorum habitaſſe. Pars urbis ab iſtis occupata, in honorem conditricis, *Smyrna* dicta, poſtea cum incolis ipſis nomen ad urbem aliam tranſiit. Igitur legendis ſcriptoribus antiquis obſervandum eſt, num voce *Smyrna* Epheſus intelligenda ſit, an *Smyrna* poſthaec condita, de qua ſequenti Diſſertatione. Apud veteres ſcriptores occurrunt etiam nomina *Σάμοϱνα, Samornus, Samornion;* quae nulla ſunt alia, quam quod invaluit poſtea, *Smyrna.* Idem *Stephanus* hanc urbem vocat *Ortygiam,* a luco Ortygiae, in quo Latona Dianam et Apollinem edidit; item *Pteleam,* ubi templum Dianae fuit. Notiſſimum vero nomen fuit *Epheſus,* cuius origo tamen parum eſt certa. *Pauſanias* ab Epheſo quodam, cuius pater Cayſtrus fluvius fuerit, deducens, fabulam narrat. Alii Amazonem putant, nomine *Epheſon,* urbi nomen dediſſe. Sunt praeterea duae ſententiae, e quibus interpretes myſtici et allegorici acute philoſophantur. Alii *Epheſum* deducunt *ἀπὸ τῦ ἐφεῖναι* quoniam Diana Amazonibus ſalutem quaſi *immiſerit,* unde *Epheſia* dicta eſt.

Alii

Alii putant, Amazonas ab Hercule inſequutas ad aram Dianae confugiſſe, ibi ἄφεσιν *veniam* impetraſſe, indeque locum Ἔφεσον, quaſi Ἄφεσον, appellaſſe. Hac occaſione digreditur Auctor, de more myſtice omnia interpretandi, praecipue in Apocalypſi, exponens. Sed has, et alias, tum nominum tum rerum interpretationes myſticas, ab eventibus petitas, tanquam inanem diligentiam, ſaepe ridiculam, reprehendit fuſe et recte Vir doctus, varias adducens et graves cauſſas, quare praeſertim in hoc, et reliquis Aſiaticarum Eccleſiarum *nominibus*, arcani ineſſe (ut quidem *Aretius*, *Braunius*, *Vitringa*, *Drieſenius*, et alii exiſtimarunt,) nihil poſſit. Praeclare etiam monet, lubricam eſſe methodum philoſophaſtrorum myſticorum, *ſeptem* Epiſtolas Apocalypticas interpretandi; nam terminos periodorum *ſex* definiri non poſſe, *ſeptimam* autem periodum omnino latere.

Diſſertatio *ſecunda* agit *de nominibus Smyrnae*. *Smyrna* apud veteres etiam *Zmyrna*, item *Smirna* ſcribitur. Tantali tempore Ναύλοχος dicta propter *portum* celebrem, deinceps *Smyrna* vocari coepit. Clar. Auctor, poſteaquam ſententias quasdam ex *Herodoto*, *Tacito*, *Plutarcho* adduxerat, *veriſimillimum* obſervat eſſe teſte *Stephano*, tranſiiſſe ab *Epheſo* nomen ad urbem hanc, et utrique urbi (*Epheſo* et *Smyrnae*,) ab una Amazone Smyrna nomen tributum fuiſſe. Nimirum Smyrnenſes primi, id eſt Iones ex Colophonibus, habitarunt in urbe *Epheſiorum*; poſtea, expulſis Lelegibus, occuparunt *Smyrnam*, et ſuo nomine appellarunt. Plerique Commentatores Apocalypſeos, *Smyrnam* a μύῤῥα deducunt, et typice vel ad Eccleſiae periodum *ſecundam*, vel ad officium hominis Chriſtiani, vel ad vitae ſpiritualis ſtatum, profunde (ſi Diis placet) accommodant. Ita philoſophantur *Brigthmannus*, *Alſtedius*, *Drieſenius*, *Vitringa*, quibus alii hoc tempore acceſſerunt. Obſtat his etymologiis et interpretamentis, quod *Smyrna* nomen ab Epheſo, Epheſus vero ab Amazone accepit, cui nomen a *myrrha* fuiſſe credibile non fit. Doctiſſ. *Stoſchius* nomen primum *Samorna* in *Smyrna* ait mutatum; definire non audet, ſive Amazo quae

quae Epheſo et Smyrnae ſuum nomen dedit, illud a voce זמר aut שמר, ita ut *cuſtos*, *vigil* dicta ſit; ſive a pronomine זת et voce מרא, traxerit, ita ut *dominam*, *imperatricem* (*Stephanus* βασιλίσσαν vocat,) ſignificet. Recentiores Graeci pro Σμύρνα dixerunt Μυῤῥίνα· et Μυῤῥιναῖος pro Σμυρναῖος· cuiusmodi mutatio abiectae literae Sigma ante Mi, in multis vocibus contigit. Eadem Amazo dialecto alia *Smyrna*, alia *Myrina*; ut Apollo Σμυρναῖος, etiam Μυρναῖος, dici coepit. Hodie urbs vocatur *Eſmir* ſive *Smyr*: quod nomen ſine dubio ex antiquo corruptum eſt.

Diſſertatio *tertia, nomina Pergami* recenſet. Apud Graecos occurrit vox Πέργαμον, neutro, et Πέργαμος genere feminino. Hos imitantur Latini, niſi quod *Serenus Sammonicus* in plurali *Pergama* poſuit. Derivatum gentile eſt Περγαμηνὸς, quod ſubinde vitioſe περγαμΕνὸς ſcribitur. Latini *Pergameus*, item *Pergamius* habent. Sunt autem Pergameni non ſolum ipſi cives et incolae, nati in urbe, ſed etiam ſubditi regni totius Pergamii. Quod attinet ad originationem nominis Pergami, conveniunt eo omnes, ut, duce *Suida*, a notione *altitudinis* derivent eam, ſiquidem *excelſa* omnia fuerint *Pergama* denominata. Hanc appellationem *Bochartus* ad Phrygas et Ionas auctores refert, comprobante *Vitringa in Apocal. p. 97.* Cel. *Stoſchius* fatetur, ſe nihil afferre certius poſſe. Mox etymologias perſtringit ridiculas *Anſelmi Cantuarienſis* et *Coeſteri*, confutans nugas, quas interpretes Apocalypſeos cum myſtico nominis ſignificatu egerunt, in *tertia* Novi Teſtamenti periodo implementum nacto. *Hofmannus* enim *in Chronotax. Apocal. p. 161. Pergamus*, ait, *dicitur περὶ τȢ γάμȢ, propter fornicationem ſpiritualem, de qua ſponſus coeleſtis queritur in Epiſtola hac. Aretius* putat: *Pergameni adumbrant eos, qui matrimonii ſunt oſores, quod eſt περῶν τȢ̀ς γάμȢς.* Alii Commentatores, *Brightmannus*, *Alſtedius*, *Vitringa*, *Drieſſenius*, aut ex notione *ſublimitatis*, aut *turris*, *caſtelli*, *arcis munitae*, myſteria exſculpunt. Horum omnium, ut et *Vogetii* ac *Cremeri* ex Collegiis MSS. figmenta, Auctor doctiſſimus ſummo merito

explodit.

explodit. (explodere non magis potuiſſet profundum apocalypticum quemcunque.) *Pauſanias* enim eſt auctor, Pergamum, Pyrrhi Neoptolemi filium natu minimum, urbem, olim *Teuthraniam* vocatam, de ſuo nomine *Pergamum* appellaſſe. Cui teſtimonio quum fides nequeat denegari, eo certius eſt, omnes alias derivationes atque interpretationes myſticas inanes eſſe. Ceterum, qui a Pergameno ibi confecto volunt urbi nomen *Pergamo* adhaeſiſſe, invertunt rem. Quamvis negandum non eſt, membranas Pergamenas diu ante in uſu fuiſſe, quam ita appellarentur.

Diſſertatio *quarta Thyatirae nomina* explicat. Nomen *Thyatira*, tempore recentiori diu obliteratum in Aſia, et cum *Tyria* permixtum, nationis Anglicae Conſul Smirnenſis, *Rycaut*, detexit denuo, ut hodie omnino agnoſcatur. Urbs Thyatira aliquando *Pelopia* dicta fuit, fortaſſe a Pelope, gente Lydo; item *Semiramis*, a iuniore aliqua Semiramide, non illa celebri regina Aſſyriorum; denique *Evippia*, forte ab uńa Amazonum. Horum nominum de origine afferuntur multa parum vulgaria. Notiſſimum tamen nomen *Thyatirae* fuit. Id ſcribitur, teſte *Athenaeo* et *Stephano*, vel ΘΕΙάτειρα, (a θυγάτηρ, *filia* Seleuci;) vel ΘΥάτειρα, (ἀπὸ τοῦ θέειν, a *curſitante* cerva). Nonnunquam ſyllaba tertia ε aut ι habet, ΘυάτΕιρα vel ΘυάτΙρα· ſolentque illud Scriptores praeſtantiores promiſcue, vel genere feminino, vel neutro in numero plurali, enuntiare. Quod attinet ad originationem nominis *Thyatira*, inepte ingenioſi ſunt *Hillerus* et *Lampius*, qui, ut accommodent vocem ad periodum eccleſiae Novi Teſtamenti *quartam*, e dialecto Hebraica deducunt; quum ipſa nominis indoles Graecam patriam ſtatim prodat. Recenſuit Auctor Clar. varias eorum ſententias, qui, neglecta hiſtoria, myſticum aliquem ſenſum, ſeu potius pueriles ingenii luſus, libro a Flamine Sancto inſpirato parum dignos, attulerunt, e quibus inane hoc et perridiculum ſtudium omnibus ſanis eluceſcit. Evolvenda ſunt hiſtoriarum monumenta, num ex eis origo vera poſſit erui. *Stephanus* igitur duas profert etymologias. Altera aperte

R fabel-

fabellam prodit. Deum (ait,) Myſis, condere urbem volentibus, reſpondiſſe, ubi cervam ſagitta percuſſam conſpexerint, ibi conderent; inventa cerva, Myſos nomen dediſſe urbi, *διὰ τὸ θέειν καὶ προχάζειν τὴν ἔλαφον*, *a curſitatione cervae iſtius.* Eandem fabulam *Ovidius* refert *Metamorph. 3, 7.* Sed ex hoc etymo, valde inconveniente, nomen *Thyatirae* effingi non poteſt. Maiorem meretur fidem *Stephani* altera etymologia: Seleucus Nicator, contra Lyſimachum bellum gerens, audiens ſibi *filiam* natam eſſe, urbem modo expugnatam Θυγατέρα nominavit. Non obſtat, quod *Vitringa* obvertit; ſi hoc eſſet, urbem potius Θυγάτειρα quam Θυάτειρα, immo Θυγάτηρα potius quam Θυγάτειρα dicendam, et fuiſſe flectendum non neutro, ſed feminino genere. Quis neſcit enim, eiusmodi mutationes atque diſcrepantias a primitivis, (harum exempla quaedam adducta ſunt,) non raro occurrere apud Graecos? Commendant vero etymologiam *Stephani*, rationes non contemnendae. Nam regibus Aſiae, notum eſt, in more fuit, ut civitatibus, ſua, coniugum, aut liberorum nomina inderent. Seleucus certe, teſte *Iuſtino* et *Appiano*, multas urbes a patre ſuo (Antiocho,) *Antiochias*, quasdam ab uxoribus ſuis (Apame et Stratonice,) *Apameas* et *Stratoniceas*, novem a ſe ipſo *Seleucias* denominavit. Igitur convenit moribus Seleuci, ut urbem modo expugnatam, propter *filiam* recens natam, nomine proprio nondum diſtinctam, Θυγάτηρα appellaret; quod nomen, deinceps conſuetudine corruptum, in *Thyatira* tranſiit. His expoſitis, Auctor Cl. inquirit denuo in illas ſtramineas, hoc eſt myſticas interpretationes, dum *Brightmannus*, *Alſtedius*, *Biermannus*, reliqui, ex voce θυγάτηρ *filia*, exſculpunt, eccleſiam Chriſtianam periodi *quartae* repraeſentari, quae tanquam *filia* recens nata adoleſcat, donec ad maturitatem perveniat. Ut oſtenderet doctiſſimus *Stoſchius*, his luſibus ingenii nihil facilius eſſe, ſimul ut avocaret a fruſtraneo huiusmodi labore, affert novam, aeque ut reliquas, (ipſe candide fatetur,) falſam, explicationem, quam Lectores noſtri, ſi placet, in ipſo libro

bro evolvent. Nomen poſſeſſivum a *Thyatira* derivatum, eſt *Thyatirius*, rectius *Thyatirenus;* ſcribitur etiam *Thyatirenſis*. Turcae, ruderibus antiquae urbis, oppidum nomine *Ack-hiſſar*, id eſt *Album caſtrum*, ſuperſtruxerunt.

Diſſertatio *quinta* de *nominibus Sardium* pertractat. Urbs *Sardes* antiquiſſimo tempore videtur *Aſia* fuiſſe dicta. Certe *Suidas* vocat *Aſiam*, urbem Lydiae ad Tmolum; isque ſitus, conſenſu Geographorum, unice Sardibus convenit. *Herodotus* auctor eſt, Sardibus tribum quandam *Aſiadem* nominatam fuiſſe; idque nomen non melius quam a priſco illo *Aſiae* derivatur. Denique *Vibius Sequeſter* paludem Sardium, (Gygaeum ſtagnum,) vocat *Aſiae paludem*. Sed praeter hoc nomen *Aſiae, Homerus* alia habet duo, quibus haec urbs olim inſignita fuit. Alterum eſt *Hyda*, (*Iliad. Y*, *385*.) pro quo, aut litera a librariis permutata, aut dialecto Ionica, *Hyle* ponitur apud *Stephanum*. Alterum eſt *Tarne*, (*Iliad. E, 44.*) a fonte quodam eiusdem nominis. Poſtea Lydi urbem *Sardes* dixerunt. Haec vox, Graece Σάρδεις, Ionice Σάρδιες ſcribitur, et numero plurali, genere autem feminino effertur. Fallitur *Scholiaſtes Thucydidis*, qui ΣαρδΕΙς de *urbe*, ΣαρδΙς de *civibus* dici, monet; nam utrumque eſt nomen *urbis*, quorum neutro *cives* non niſi metonymice deſignantur. A Σάρδις nomen gentile eſt Σάρδιος, item Σαρδιανὸς, Σαρδιανικὸς· nec dubium eſt, quin Σαρδήνος dictum fuerit, nam mons *Sardene* non niſi a Sardibus traxit nomen. Latini Scriptores omnes bonae notae vocant *Sardianos*, quos unus *Oroſius Sardos* nominans, cum civibus *Sardiniae* permiſcuit. Huiusmodi errorem etiam *Suidas* et *Ariſtophanis Scholiaſtes* errarunt, qui τὸ βάμμα Σαρδιανικὸν, *purpuram Sardianam*, cum Σαρδωνικῷ confuderunt; unde alii, magis prolapſi, a *Sardianis* male ad *Sardos* gloriam tincturae transtulerunt. Fuerunt quoque, qui, praeeunte quidem *Plutarcho*, proverbium *Sardi venales* expoſuerunt de *Sardianis*, quum tamen origo adagii inde referatur, quod ex *Sardinia*, a T. Sempronio capta, ingens numerus mancipiorum Romae venditus fuit. Quod attinet

 ad

ad originationem nominis *Sardium*, incerta eſt ea et perobſcura. Interpretes Apocalypſeos Iohanneae afferunt myſticas ſignificationes, dignas *riſu Sardonio* (ex *riſu*, quem fingit, *Sardiano*, allegorizat *Brightmannus* myſticus). Periodum *quintam* Novi Teſtamenti volunt exſculpere. Plerique detorquent etypon a שריד *reliquiae*, quod in periodo *quinta reliquiae* ſuperſint ſeminis ſancti. *Grotius*, quis putaret? admoneri ait per nomen *Sardes*, ut animo imprimamus optime praecepta Chriſti, ſicut inter gemmas *Sardo* optime ſigna imprimit. Praeter alia, non cogitavit vir magnus, gemmam *Sardum* aut *Sardium* in *Sardinia* reperiri. Mittimus reliquorum nugas. Si quid in re incerta coniiciendum eſt, videtur non male dici, quum multae urbes Aſiae minoris referant ad Amazonas ſua nomina, etiam *Sardes* ab una earum, ſuo, id eſt Celtico nomine, inſignitam fuiſſe. Obiter monet Clar. Auctor, *Sardes* et *Sardicam* confundendas non eſſe, nec Sardianum Melitonem, *Sardicenſem* (qua animadverſione ſcriptorem quendam pungit) vocari poſſe.

Diſſertatio *ſexta* exponit de *nominibus Philadelphiae*. Etſi variae fuerunt urbes, Philadelphiae cognomines, in Syria, Arabia, Cilicia, Iſauria, Aegypto, et alias, tamen celeb. Auctor unice de nominibus civitatis *Aſiae Lydianae* agit. Eius nominis originem docet *Stephanus*. Attalus, cognomine Philadelphus, Eumenis frater, condidit eam, et ſuo de nomine *Philadelphiam* appellavit. Plerumque ſcribitur per diphthongum Φιλαδέλφεια· quae ſcriptio praeferenda eſt iſti per vocalem Φιλαδέλφια· Inflexio nominis gentilis eſt Φιλαδελφεὺς, aut Φιλαδελφαῖος. Ab Imperatore *Flavio Veſpaſiano* novum tulit praenomen, *Flavia Philadelphia* vocata. Gordiani numus apud *Begerum*, *T. II. p. 726.* ΦΛ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΑΙΩΝ ΝΕΟΚ. Iam Apocalypſis quia non diu poſt *Flavium Veſpaſianum*, ſub Domitiano eſt ſcripta, putat eruditiſſ. *Zornius* in *Biblioth. Antiqu. Exeg. T. I. p. 982.* ad novum hoc urbis nomen alludi promiſſione illa, *Apocal. III. 12.* Philadelphis data: Καὶ γράψω ἐπ᾽ αὐτὸν τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ μου, καὶ τὸ ὄνομα τῆς καινῆς Ἱερουσαλὴμ, καὶ τὸ

ὄνομα

*ονομά μου τὸ καινόν.* Quemadmodum, (ita exponit *Zornius*,) *Philadelphia*, aſſumto novo *Flaviae* nomine gloriabatur: ita longe maiorem fore gloriam, ſi Victores nomine *novae et caeleſtis Hieroſolymae* ſuperbirent. Iudicent lectores noſtri! nos enim parum convincunt haec. Apocalypſeos expoſitores ſolam notionem nominis appellativi φιλαδελφίας ſpectant. Aiunt, moneri nos ad *amorem fraternum;* et ſuavia protendunt multa, de fraterna eccleſiarum charitate ſub periodo *ſexta*. Inepte ſane. Hiſtoria urbis conditae, et denominatae, negligenda non eſt. Hac vero occaſione, ipſe humaniſſimus et elegans Auctor, hiulca quaedam, de rixis theologicis fratrum inter Proteſtantes, et de Theologia altercatrice, (polemicam ita vocat,) certe tam comto et terſo Syntagmati parum apta, inſeruit. His recenſendis contaminandum non eſt bellum opuſculum. *Philadelphiae* nomen etiam hodie gerit urbs inter Graecos. Negotiatores et geographi recentes ſcribunt *Filadelphi.*

Claudit diſſertatio *ſeptima*, de *nominibus Laodiceae*, pulchrum et politum libellum hunc. Multae fuerunt urbes in regionibus multis, quae nomen *Laodiceae* habuerunt. De Laodicea vero in Lydia hic agitur. Eius cognomentum fuit *Dioſpolis*, id eſt *urbs Dei*. *Ζεὺς* ſaepe eſt appellativum, *numen*, ſeu *ens adorandum*. v. c. *Ζεὺς καταχθόνιος* eſt *Deus inferorum*. *Nilus* eſt *Αἰγύπτιος Ζεύς.* Afferamus ſententiam Clariſſ. Auctoris. „*Dioſpolis*, (ita ait,) cognominata eſt „urbs, quam Antiochus, iuſſu Iovis, oraculo Apollinis per „ſomnium monitus, condidit. Nullae quidem origines ci„vitatum ſunt incertiores, quam quae ad oracula referuntur. „Interim ab Antiocho urbem conditam fuiſſe tum, quum „*Laodicen*, repudiatam antea, ſibi iterum votis iungeret, ea „res vera eſſe poteſt. Praeterea urbium conditores uteban„tur ſacerdotibus, qui oracula praetenderent, ut novis ur„bibus ſuis maiorem gloriam conciliarent. Quare Antio„chus ob eandem cauſſam, nec non ut monumentum ſimul „ederet amoris in *Laodicen* renovati, civitatem novo nomine „vocavit *Dioſpolin.*“ Haec, inquam, Cl. Auctor exiſtimat.

Si licet noſtram ſententiam interponere, ſic putaremus. Antiochus, teſte *Stephano*, Θεὸς cognominatus, dedit occaſionem Laodiceae a ſe cognominandae. Θεόσπολις eſt *urbs, quam Antiochus, cognomine Deus, condidit*. Sed pergamus. Laodicea appellari quoque videtur *Diocaeſarea*; quod tamen incertum. Certius eſt nomen *Rhoas*. Id *Salmaſius* deduxit ex eo, quod Laodicea *fluida* quaſi, et ſita lubrico ſolo, motibus terrae crebris commovebatur. Forte rectius Cl. *Stoſch* a *confluentia* (ῥοῇ) trium amnium, Aſopi, Capri, et Lyci, derivavit; etenim fluvii adiacentes urbibus non raro nomina dederunt. Uſitatiſſimum nomen fuit *Laodiceae*, de uxore *Laodice* ab Antiocho inditum. Apud Graecos ſcribitur Λαοδίκεια· nonnunquam Λαοδίκια, item Λαοδίκη. Quae civitas ut diſtinguatur ab aliis urbibus nominis eiusdem, vocata fuit *Laodicea ad Lycum*, (ἡ πρὸς τῷ Λύκῳ Λαοδίκεια,) nec non *Laodicea in Aſia*. Cognomen *Iuliae*, quod nonnulli dant huic urbi, non Lydiae Laodiceae, ſed Laodiceae ad Libanon in Coeleſyria, vindicatur. Aliquot ſaeculis poſt natum Chriſtum, inhaeſit ei nomen *Trimetariae*, id eſt, quae in finibus, ſive *meta, trium* provinciarum, Cariae, Lydiae, et Phrygiae, eſſet. Nomina gentilia ſeu poſſeſſiva ſunt a Διόσπολις, Διοσπολίτης, latine *Dioſpolitanus;* a Laodicea, Λαοδικεὺς, Λαοδικὺς, *Laodicenus* et *Laodicenſis*. Denique etiam myſterium affingitur ab interpretibus myſticis Apocalypſeos, urbi huic. Omnes derivant nomen a λαὸς et δίκη, et, de *ſeptima* aetate eccleſiae Novi Teſtamenti exponentes, putant indicari, *populum Dei* eſſe *iuſtum*, *iuſtitiamque* erga omnes *populos* exercere oportere. Alii vertunt *iudicem* et *vindicem populi;* quod ultimo tempore Deus iudicium exequuturus, Chriſtusque cum maieſtate ſe ultorem praeſtiturus ſit. Repetit Auctor celeberrimus, huiusmodi divinationes ex nominibus eſſe lubricas et inanes, ac ſomnia vigilantium. Id ſibi hodie *Bengeliolatrae* dictum putent.

*VITA*

*VITA GUSTAVI ADOLFI, MAGNI, REGIS Sueciae, Anglice conſcripta a WALTHERO HARTIO, quam verſam in linguam Theotiſcam a GEORG. HENR. MARTINI, LL. AA. M. praefatione et animadverſionibus additis curavit IO. GOTTLOB BOEHMIUS, Hiſtoriographus Regius, et Hiſtor. in Acad. Lipſ. Prof. Publ. Ordin. TOM. I. et II.*

Lipſiae 1760. 1761. apud Dykium, Alphab. 8. plagg. 4. cum fig. aen. in 4.

Laudandam curam impendit Hartius narrandae cautioni regis bellatoris, qui ob receptum neceſſarium nullas metus reliquias in Pomerania relinquendas putavit. Boehmius tamen paſſim ea adfert, ut dubitaſſe adhuc Guſtavum adpareat, haud multo ſecius, quam Caeſarem, in traiectu Rubiconis. Ita arguta eſt adnotatio (p. 356.) de apertis Sedini portis, hoſte circumſultante. De foedere cum Pomerano non minus ſcite animadvertitur (p. 358.) aliquid de callida profeſſione, ne quis contra Imperatorem et Imperium haec agitari interpretetur. Sed peritorum reip. noſtrae eſto iudicium de ſacra hac ancora. Hartius hoc ipſum quodammodo ſenſiſſe videtur. Pulcherrima eſt adnotatio de apologiis Pomerani. Brevis eſt admonitio, ſed tanto maioris momenti, (p. 364.) de renuntiatione proximorum agnatorum Matthiae Imp., quantum ad ius in Hungariam et Bohemiam pertinet. Multi hanc parum expenderunt, qui impiam rebellionem probarunt. Nam hodie talia ſi licuerint, in quo tandem regno iuſta et legitima ſucceſſio, vel parentium etiam arbitrio admiſſo? Unde nobis eo carior libellus, quem iſta acta, primum publicata, continentem ſervamus. Quod ex Lamormaino Boehmius, (p. ead.) de ſuperſtitione Ferdinandea adſcripſit, illud evincet, aut divis devovenda eſſe huiusmodi mendacia, ſi mentiri ſcriptor auſus fuit; aut ſortem Principum eſſe miſerandam, quibus melior educatio haud contigerit, quam ut veteres

hae

hae aviae de pulmone revellerentur. Sed nos Lamormaino parum multas ob cauſſas tribuere ſolemus. Valde iucunda habet Hartius de Ieſſenio, et Boehmius notitia digna ſubiecit; praeſertim, quantum ad iſtam aſtrologiae inſaniam attinet, perſona ille eſt haud tacenda. Sed talibus propudiis utinam religio purior ſemper caruiſſet. Poſſet enim vel ex Tacito iſta faex eruditorum et religioſulorum meritiſſimis ſtigmatibus compungi. De litteris Electorum ad Regem valde errat Hartius, quod conceptas ab Auſtriacis putavit. Acta ipſa temporum et conditio reip. longe aliud docent. Inde enim ab ultima origine imperii noſtri nihil ſollicitius ab amantibus patriae ultro cavetur, nihil expreſſius legibus ipſis ſancitur, quam ne arbitria exterorum non poſtulata in rebus domeſticis obtrudantur.

Nunc vero perventum eſt ad eam partem operis, quae praeſtantia ſua reliquis omnibus antecellit, et in qua maxima auctoris merita aeſtimantur, quae bellum Germanicum continet ad Guſtavi usque mortem. In hac enim eo maius utique operae pretium Hartius facere potuit, quia ex commentariis aequalium, necdum publicatis, multa proferre licuit, poſteritatis memoria digniſſima. Et ſi verum amamus, ſi priora vel abfuiſſent, haec ſola inſignem hiſtoriae, Germanicae praeſertim, ſtudioſis utilitatem perpetuo adferent, et omnibus ſaeculis opus ſuo in genere unicum meritiſſimo commendabunt. Nos autem, qui ſat ſpeciminum in ſuperioribus dedimus, vela paullatim contrahemus, ne laudando librum librum et ipſi procudamus. In univerſum autem hoc puris auribus facile probabimus, omnia Boehmii monita, breviſſima quamvis, exquiſitiſſimae et rariſſimae eſſe doctrinae, qui auctorem, utpote in Germania et noſtris inſtitutis hoſpitem, quoties aberrat, humanisſime in viam reducit, lectoribusque verum iter tam comiter monſtrat, ne in devia incidant, ut ſaepius ſola laudatione meliorum auctoritatum plus profecerit, quam ſi longas refutationes inſtituiſſet. Sparſim ergo tantum ex officio, quo patriae obſtringimur ad vera et iuſta tuenda, quaedam adſundemus,

de

de quibus aequi et periti arbitri porro diſquirant. Impenſe nobis placuit Boehmii votum, ut aliquis, *Antonii Panormitae* aut *Galeoti Martii* exemplum aemulatus, opus de dictis et factis memorabilibus Guſtavi, regis profecto tanti, quantum nulla aetas ſatis admiretur, conſcribat. Hominem fuiſſe concesſeris, ut omnes, qui unquam iure etiam magni vocati ſunt; virtutibus tamen meruit, ut Scipionis potius ſimilis, quam Hannibalis, ab humanitate magis, clementia, et ſapientia, quam ulla alia magnitudine aeſtimetur. Boehmii igitur adnotata ubique lectoribus commendantes a veritate et a recondita doctrina, haec carptim usque ad I. voluminis finem delibamus. Reſponſio Guſtavi, ad litteras Imperatoris, ab auctore non ſatis exacte excerpitur, omiſſis iis momentis, quae ſummam controverſiae fere efficiebant, et perperam adficta regi litigatione de omiſſione tituli regii, de quo nullum verbum ipſis in litteris legitur, ut iam advertit Boehmius. Legendae ergo ipſae litterae in *Khevenhüllero*, aut *Bello*. Nam et *Loccenius*, admixta praepoſtere expoſtulatione ob negatum regis titulum, nimis curta excerpta dedit. Egregia eſt Boehmii obſervatio (p. 408.) de edictis regiis contra militum licentiam. Satis enim notum eſt, quantum Tillius immanitate ſua et diſciplinae negligentia partibus nocuerit, et quantum ipſi Sueci, ſuo maximo cum detrimento, poſtea Guſtavi ab exemplo deſciverint, legentibus *Ioh. Meiſneri orationem de Miſniae Saxoniaeque calamitatibus a Suecis illatis*, habitam et publicatam Vitebergae 1638. 4to., patebit. Acutiſſime notavit Hartius aulae Viennenſis errores enormes (p. 419.). Poſſidemus nos fragmentum epiſtolae, nondum publicatae, quam A. 1628. d. 8. April. quidam ſacricola, ex interiore tamen Imperatoris Ferdinandi conſilio, huius ipſius diſtricto iuſſu ad Ferdinandum, Ep. Hildeſ., dedit, in qua pleniſſime deſtinata de excidio noſtrarum partium explicantur. Tantum vero ſtultitiae, et crudelitatis ineſt, quantum multi vix credere queant. Uno hoc monumento ſatis probare licet, quidquid improbitatis unquam Ignatianis ſodalibus obiectum eſt. His quia po-

 tius

tius obſequi, quam Io. Georgii liberis et ſaluberrimis monitis et expoſtulationibus flecti, Ferdinandus maluit, expertus merito eſt illud, *vis conſilii expers mole ruit ſua.* De conventu Lipſienſi utinam Hartius noſtros ſcriptores adhibuiſſet, nec tam manca de argumentis conſultationum dediſſet: unde Boehmii ſupplementa eo maioris facienda ſunt. At enim atrox eſt iniuria, qua Hartius Io. Georgium Saxonem adficit, quaedam ex futilibus ſcriptoribus, aut rumoribus etiam, mutuatus. Non capit hic locus ea, quae, fide publica teſte, reponi tam levi et corrupto iudicio meruiſſent, quo conſilii inopiam, armorum averſationem, nimium venandi ſtudium, et alia carpere auſus Brito, inimicorum iuratorum tanti Principis, (cuius maturitatem in conſiliis et rebus geſtis tunc nemo in tota Germania aequaſſe cenſeri poteſt, tantum abeſt, ut vera religione, fide, et conſtantia quisquam ſuperaverit,) ieiunas obtrectationes, mera convitia, et impudentes calumnias pro totidem teſtimoniis habuit. Nec probiora ſunt, quae de Matthia Hoe ab Hohenegg, cuius ſapiens moderatio et pia, qualis a Chriſto diſerte praecipitur, manſuetudo in rebus ſacris, hoſtes pacis malis furiis ſuperſtitionum et violentiſſimarum turbarum, quae ne ſocietatis quidem humanae lege permiſſae ſint, agitatos ad criminandi impotentiam cum anteſignanis ſuis Rusdorfio et Camerario incitarunt. Nobis ſemper hoc, quanquam mali imperatoris, iuſtiſſimum dictum placuit: *quis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſuffecerit?* Arnimio etiam, utut calliditatem obiiciat, multas veras virtutes iure attribui, periti et aequi arbitri nobis facile largientur. Sed id tunc ſaeculum erat, acerbiſſime omnes incuſare, qui officium et fidem principi obſtrictam ſic cuſtodirent, ut artibus immoderatas dominationes, oppreſſa Germanorum avita libertate, ſtabilitum euntium cauta praeſidia obiicerent. Multa certe vis veritatis Hartio ipſi expreſſit, quae ad pulcram Io. Georgii et adminiſtrorum eius defenſionem patronus etiam parum acutus ex converſione recte adhibeat; quod a partium ſtudiis abhorrentes per ſe deprehendent. Poſtulata quoque

que Guſtavi a Saxone ubi narrantur, mirificum aliquid legitur de ponte Deſſavienſi, quaſi huius uſum Io. Georgius Guſtavo concedere recuſaſſet. Nam et pons hic in ditione Anhaltinorum ſemper fuit, neque in eum Saxo ullum ius uſurparat, et nemo regi tranſitum negarat. Sed metus erat validiorum Tillii copiarum, qui ſolus Guſtavum ab Albi prohibebat, donec Saxonum auxiliis opes firmaret. Sed habet plura paſſim auctor, in quibus exactior regionum et iurium noſtrorum notitia ipſum deſtituit; unde Boehmii, potiſſima emendantis, opera eo maiore aeſtimatione dignanda eſt, quod iam tot exemplis docuiſſe contenti decerpemus e reliquis pauciora. Expugnationem Magdeburgi bene narrat Hartius, quia optimos auctores ſecutus eſt. Iuſtiſſima etiam exſecratio immanis crudelitatis, cuius exempla proferuntur, et Tillii accuſatio conſenſu etiam et teſtimoniis eorum, qui Ferdinandi partes induerant, comprobantur. De cauſſa incendii, cuius auctores Hartius victores ſtatuit, quum diverſa ſint prodita, Boehmius in adnotatione incolas recte culpa ea liberat, qui etiam de Lotichii celeberrima vaticinatione commentationes hominum doctiſſimorum laudat. *Baylii vero* ſuſpiciones de editionibus carminum poetae falſas eſſe, oſtendi poteſt; quod, num quisquam data opera fecerit, in praeſens non recordamur. Ceterum Tillii, qui paullo poſt ſatis poenarum dedit, inſolentia etiam ex dicto eius, quod circumfertur, adparet, quo Magdeburgi ſe cepiſſe virginem, quam Lipſiae nuptiis ornaturus, Dresdae in thalamum deducturus ſit, gloriatum perhibent. Aves tamen vano omini haud addixerant. Quod idem exemplum terrendis aliis edendum pro excuſatione feralis ultionis, referente Hartio, iactaverat, conſcientiam peſſimi facinoris arguit, et forte non potior cauſſa in proelio Lipſienſi conſtantiam animo exemerat, ut omnes fatentur, tunc fatali pene ſegnitie praeter ſolitum, ubi conſilium et actum res flagitabat, ipſum torpuiſſe, nec militem duci, ſed ducem militi defuiſſe. Ipſe Hartius in arguta digresſione de eius facinoris immanitate, notatum a pluribus refert, crudelitatem

 ducum

ducum repentinam plerumque fortunae commutationem praeceſſiſſe. Iure Boehmius arguit bonis auctoritatibus *Behrii* dubitationem, de ſollenniori pompa, qua Duces Mecklenburgici Guſtroviam intravere. Nos addimus, eo anno publicatam *deſcriptionem Teutonicam* et narrationem *Landsbergii*, (Guſtavi M. bell. Germ. p. 309.). Acta reliqua tam regis, quam adverſariorum, bonis ex monumentis inde repetuntur usque ad proelium Rheindorfenſe. In notatione brevi de Holckio iam Boehmius recte aliqua adiecit; ſed reſtant quaedam a fide omnino aliena, ut illud de religione bis mutata, et de pellice. Omnia alia iam ſunt expoſita in his Actis noſtris (A. MDCCLXI. menſ. April. p. 1761.). Hic producere teſtem veri locupletisſimum *Andr. Mollerum*, ſcriptorem aequalem et minime ſuſpectum, in annalibus Freybergenſibus ſuffecerit. Longam de Bernhardo Vinarienſi adnotationem, quamvis emendatione indigeat, amplificare correctionibus quidem noluit editor, ſcriptores tamen potisſimos laudavit, e quibus id commode fiat. Acta inter Suecum Anglumque, et nullum tentati foederis ſucceſſum, ut et Hamiltonii res, pulcre ſane, atque facunde tradit Hartius, popularium ſuorum tergiverſationi haud raro ſuccenſens. At qui Sueciae arctisſimam cum Gallia coniunctionem cogitaverit, forte minus mirabitur. Tacemus inteſtina disſidia, ſacrorum cauſſa, in natione perpetuas civium concertationes amante, longe aliis curis advigilare Carolum Britonem, an inter alienigenas adnumeratum, iusſiſſe? Imperatoris poſtulata a Saxone, et quae a Tillio misſi propoſuerant, dum Hartius narrat, quamvis ſapientisſimi principis cunctationem ſecius interpretetur, diffiteri tamen conſtantiam in reddendo ad ea, quae Tillius efflagitarat, reſponſo non potuit. At enim bene corrigit ex probatis auctoribus Boehmius haec narrata. Nam iſta comparatio Imperatoris cum Polyphemo, et Io. Georgii cum Uliſſe, quamvis ab aliis inſtituta fuiſſet, ab ipſo Principe, maieſtatis imperatoriae et dignitatis ſuae bene per omnia memori, uſurpata haud fuit. Sed quod de menſis ſecundis et operibus

bus dulciariis iniecerat, haud temere factum, ſed per adluſionem acutisſimam, qua Tillii et Hiſpanorum artes tangeret, adiectum, docere poſſumus. In apographo litterarum, triennio ante ex aula Viennenſi ad Tillium ſcriptarum, quod ſervamus, ubi expoſita ſunt conſilia, et de machinationum exitu peroratum eſt, ſubiicitur: *tunc manum porrigemus ad opera dulciaria, Saxoni ab Hiſpanis praeparata, et in hos uſus reſervata.* (*Darnach greifen wir zu dem verſparten Spannoliſirten in Hiſpanien praeparirten Confect der Chur Sachſen*). Itaque ſatis patet, ſecreta iſta in Saxones emanaſſe, et Principem cautum atque providum ſapiente dicto iniqua exigentes percusſiſſe. Egregie vero Hartius imprudentiam Tillii nudat, qui inconſulta Saxoniae incurſione fortunam partium evertit, et ſuis iniuriis Guſtavi ſocios fieri coegit, qui non laceſſiti minore Germaniae detrimento motus illos componere et reip. ſecuritatem et otia reducere potuiſſent. Laudandus etiam Hartii eſt candor, qui Ioanni Georgio, cui aliquoties immerito dicam ſcripſerat, tandem poſt foedus cum Guſtavo initum plenum teſtimonium perſolvit, et priores moras idoneis rationibus defendit. Sed eſt etiam illud cogitandum, in quo plerique exterorum a vero iudicio aberrant, eam eſſe noſtri formam imperii, ut nihil praeter extrema diſcrimina, diſceptationes armorum, inventis legum remediis, et comitiorum libertate ſalva, excuſet: unde tunc Saxo diuturna moderatione utrique parti exemplo eſſe potuiſſet, niſi in fatis fuiſſet, ut magno experimento cognoſceretur, vim ſacrorum in cauſſis adhibitam graviter a Deo vindicari, nec peiores eſſe conſultores ullos, quam qui ipſis ab aris furiarum civilium faces accendunt. Aula certe in Europa tunc nulla proceres ſapientia, eruditione, virtute, et religione ſuperiores Schoenbergiis, Looſſiis, Poelnitiis, Metſchiis, Miltitiis, Friſiis, habuit. Quos dum pecuniam ab Auſtriacis accepiſſe Hartius ſcribit, fidem ſuam nullis teſtibus, praeter iniquos et iracundia impulſos Suecos, tueri poterit. Reliqua pauca huius primi voluminis eadem cura percurrere, non univerſitati ſolum, ſed particu-

lis etiam attendentes, poſſemus, niſi recordaremur illius e Martiali, *ohe! iam ſatis eſt.* Boehmii certe egregia induſtria factum eſt, ut eorum, quae maximi momenti ſunt, lectores opportuniſſime admonerentur. De volumine altero rationem, quam breviſſime confectam, eruditis aeſtimatoribus veritatis et utilitatis hiſtoricae, prima quaque occaſione reddemus.

## *ELOGIUM TOBIAE MAYERI, REG. SOC. SC. Gott. Sodalis Claſſ. Math. Academiae Bononienſis Socii, auctore ABRAHAM GOTTHELF KAESTNERO, Math. et Phyſ. P. P. O. Gottingenſ. Soc. Reg. Sc. Gotting. Claſſ. Math. Sodali et Secretario, Acadd. Regg. Sc. Suec. et Pruſſ. Acad. Elect. Scient. util. Erfordinae Inſtituti Bononienſ. Acad. Aug. Peruſ. Socc. Regiae Theotiſcae Gottingenſ. Theotiſcae item Libb. Art. Lipſienſium, Latinae et Theotiſcae Ienenſium Socio.*

Naſci Mayerum vidit eadem Germaniae regio, cui cum tot magnis ingeniis, Keplerum debemus, Wurtembergia, d. XVII. Febr. anno viceſimo tertio huius ſaeculi, in Marpaci oppido, patre honeſto cive, qui ob ſingularem aquarum ducendarum peritiam, inde Eslingam, quae imperii urbs eſt, evocatus, rei aquariae praefectus obiit. Igitur ingenitum quoddam noſtro ſtudium videtur, ſcientiae illius quae vires motusque metitur, ad uſus humanos transferendae, diagrammata certe patris, et machinarum deſcriptiones, pingendi ardorem in quadrimo excitaſſe, poſt illum hic non referrem, niſi hinc intelligeretur, quomodo, oculo manuque inde ab infantia exercitatis, illam delineationum adornandarum facultatem conſequutus ſit, qua rarius profundiores mathematici celebrantur.

Tunc cum illo pingendi ſtudio infans teneretur, Chriſti cruci adfixi imaginem forte ſibi oblatam, tentando ſaepe

rem.

rem, ac periclitando, tandem non plane intolerabiliter expreſſit. Hac re et laudem conſequutus eſt, et maius quidpiam; nam hiſtoriae ad quam pertineret pictura noſcendae curioſus, ſacrum codicem avide legit. Ita vero memorat ſe primum boni malique diſcrimen agnoviſſe, virtutique vel tenerrimis mentibus inſtillandae idoneum hunc librum praedicat, eiusque auctori gratias agit, quod alioquin deterior multo futurus fuiſſet. Haec, ex vitae hiſtoria, quam olim inchoavit, ſed ultra ſextum aetatis annum non continuavit, adferenda credidi, quoniam de religione ſententias continent bene ſe habentis, et mortem e longinquo ſpectantis, non illas, quas chriſtianorum aliquibus exprimit, qui gentium deos fecerat, timor.

Quam varii caſus puerum patre orbatum agitarint, enarrarem, niſi tot alia ſupereſſent. Igitur quo in brevitatem omnia contraham, matheſeos elementa ex libris, quales ſors obtulerat, proprio marte in loco ubi deerant doctores, edidicit, praxium mathematicarum uſus aliis impertiit, emolumentum inde ad ſe redundare ſenſit, quoniam vulgus ſcientias ut amicitias utilitate probat. Hic ſubſtituri erant multi, qui practicos mathematicos ſe profitentur, Mayerus vidit, praxin quae vulgari theoria utcunque firmatur, profundiore liberandam eſſe a naevis, et perficiendam. Hinc, et artem inveniendi mathematicam, quantamcunque noſtro aevo reddiderunt ſumma ingenia, animo eſt complexus, et feliciter ad praxin tranſtulit.

In hoc autem geometrico pulvere dum verſaretur, litteras humaniores non neglexit. Quarum, ipſiusque poeticae facultatis, etiamſi ſeverioribus ſtudiis maxime ducatur, hunc tamen uſum eſſe recte iudicavit, ut ipſa illa quae ſubtiliter diſſerenda ſunt, polite apteque dicantur, aliqua etiam ornate et ſplendide. Latine ſcripſiſſe Mayerum et eleganter, in laudibus forte poni poteſt viri, qui academiam non prius adiit quam ibi docturus, in laudibus certe mathematici ponetur ab illis, qui quoniam aliquos e trivio mathematicos, ſqualidius ſcribere vident, ſummorum vix

nomina

nomina norunt, barbariem mathematicorum propriam eſſe exiſtimant, perinde ac ſi Iurisconſultorum humanitatem, ex illis qui litigandi artem unice callent, aeſtimares. Iidem ſciant, Mayero inſigniter Ovidii de mutatis in nova corpora formis carmen placuiſſe, cuius partem etiam vertit, metro uſus, quo epicum romanorum imitari ſe noſtri iam credunt, Mayero certe ea res felicius ceſſit quam aliis multis. Legeritne vero cum ſenſu aliquo pulchri poemata, ex hac eius ſententia intelligetur: poetas veteres, exigua et falſa ſaepius quam habebant naturae cognitione, feliciſſime uſos; noſtros, ornatum omnem fere, quem petere poſſent a patefacta magis naturae maieſtate, negligere. Nempe, reſpondi illi, cum haec mihi diceret, olim poetae philoſophi erant, noſtri ephebi, qui anacreontica balbutiunt, aut hexametros mugiunt, nihil naturae norunt, praeter vinum et puellas.

De vitae genere cui providentia divina deſtinabat Mayerum, tam parum ille tunc cogitavit, ut pyrobolicae ſtudioſus, totum ſe bellicis artibus tradere decreverit, multo minus credo celebritatis habiturus, ſi hoc tempore, quo in ſua viſcera, ne victrici quidem dextra Germania ſaevit, a republica quadam ad exercitum imperii miſſus baliſtarius occubuiſſet. Anno aetatis undeviceſimo, ſtudiorum primitias, quas ipſe vocavit, edidit, de curvarum uſu in problematibus geometricis conſtruendis; anno ſaeculi 45 Atlantem mathematicum, quo plura et profundiora quam ſolent in compendiis vulgaribus doceri, picturis elegantibus explicavit. Sequenti anno Noribergam venit, in tabulis e quibus pictos ediſcimus mundos, univerſaque geographia emendandis occupatus, amicoque uſus Celeb. Lowitzio, qui unus iam poſſit quod detrimenti Mayeri morte accepimus, ſarcire. Academia Bononienſis ſodalem adſcivit, ipſe inter eos fuit, cum quibus Franzius ſocietatem coſmographicam inſtituerat. Gottingam inde ab anno ſaeculi quinquageſimo primo ornavit; ſtudiorum quidem univerſitatem docendo quaecunque ad matheſin pertinent, ſocietatem vero ſcientiarum, eadem augendo. Quae

Quae augmenta doctrinis his ab eius ingenio acceſſerint, ſigillatim recenſere longum eſſet; poterant enim, qui viro in vitam computantur anni, inventis numerari. Igitur de palmariis in capita redactis ſummatim dicam. Angulis in campo accuratius et commodius dimetiendis, inſtrumenta plura excogitavit, illaque re inſignem gratiam inivit ab iis omnibus, quorum praxis geometrica latius ſe quam ad agrum ruſtici cuiuſdam a vicino diſterminandum extendit. Supereſſe vel in ipſa geometria elementari, quae inveniri poſſint, et inventa uſum praeſtare, figurarum rectilinearum facili in triangula transmutatione monſtravit. Errorum, qui in geometria practica, et alibi committi poſſunt, fontes et menſuras, ſubtili in viſus aciem inquiſitione oſtendit. Aeris refractio, quantum obiecta terreſtria ſpectantem falleret, inveſtigavit.

Habent etiam, pro quo Mayero gratias agant, qui honeſta illa voluptate tabularum coloribus diſtinctarum ducuntur. Colorum enim, quibus ars pictoria utitur, tres eſſe primarios oſtendit, et quot ex binis aut ternis primariorum, varia ratione mixtis, naſcantur, computavit, monſtrans, quomodo pigmenta, quae uſu teruntur, ad claſſes, vires illorum tingendi ad menſuram, poſſint revocari. Artificii vero, quo picturae datae ectypa multiplicantur, ſpecimen exhibuit, arte ipſa celata.

Horum aliqua ſi ſatis eſſent ad memoriam viri poſteris commendandam, poterat tamen illis omnibus carere aſtrorum conſultus, ſecurusque nominis cum Luna duraturi. Non temere Lunam ſolam dixi; nam haec certe ſecretiora ſua, Mayero, velut novo Endymioni, videbatur revelaſſe. Vel ipſam lunae faciem accuratius deſcripſit: meritus profecto, ut inter illos, quibus agros in Luna diſpertitus eſt Ricciolus, quoniam plerumque nihil in terra poſſident coeli menſores, Mayerus etiam nobis ſplendeat. Motus autem, quibus terrae ſocia agitatur, legibus ſubiicere, difficillimum ſemper viſum eſt aſtronomis, indignantibus, maxime ignorari proximum nobis ſidus, quaſi vel hoc ſuo exemplo praeiret illi,

quem in terra regit, ſexui. Hic ſuperavit omnes Mayerus, tabulas condendo, inter quas et obſervationes vix tantum diſcriminis intercedit, quantum inter obſervationes ipſas intercedere ſolet. His autem conatibus, ad explicandum magnum illud de longitudine maris problema, propius ullo aliorum videtur acceſſiſſe. Notum vero eſt, motus lunae, qui perturbati apparent, mutuis ſolis, terrae, lunaeque actionibus regi, adeoque ad celebrem illam de tribus corporibus quaeſtionem redire, cuius reſolutiones computis idoneas qui reperit, is, noſtro aevo, ad ſummum coeleſtis phyſicae apicem enixus iudicatur.

Antiqui lunam, ſordibus velut terrae, ob vicinitatem, commaculatam crediderunt; recentiores, in luna lacus, et atmoſphaeram, et ipſa fulgura viderunt: Mayerus, non adeo ſimilem eſſe lunam terrae, et, ſi circumfundatur lunae aer, tenuiſſimum, puriſſimumque circumfundi perſuaſit. Ceterum, intra anguſtos hos orbitae lunaris carceres contineri noluit; Martem, quem primo Keplerus theoria ſua elliptica domuerat, arctioribus vinculis conſtrinxit; Fixarum loca accuratius definivit, tuncque reperit, propriis illas motibus cieri, neque fixas eſſe. Ultimo vitae tempore in magnete animum occupavit, cuius viribus leges tulit, notis veriores; declinationis vero theoriam condidit ſimpliciorem, et cui ſubiicerentur ipſae inclinationes, parum hucusque theoriae obedientes. Quem eius velut cygneum cantum, initio huius anni Societas Scientiarum audivit.

Haec cum biduum ſupervixiſſet natali undequadrageſimo, fecerat Mayerus *), iudicari poteſt, quae fuiſſet effecturus, ſi ad Halleii ſenectutem perveniſſet. Halleium autem dum nomino, videor mihi videre, ſi felices animae de terrenis ſuis ſtudiis, ut viri interdum de infantiae luſibus, colloquantur, videor inquam mihi videre, Mayerum Halleio, de Veneris ſub Sole tranſitu, cometaeque reditu, referentem.

Vitam

*) Mortuus d. 20. Februarii anni 1762, humatus 23, prope templum St. Albani, iam, quod granarium, eſt, clauſum.

Vitam viri vobis tradere, Lectores, in animo nobis non fuit, ſed imaginem depingere, qua, ut Themiſtocles olim Miltiadis trophaeis, turbari quietem ſuam ſentiat, iuvenis quidam egregiae indolis, Mayerumque aliquando nobis reddat. Igitur non longus ero in recenſendis iis, quae communia habet cum plurimis; ut, quod eo tempore, quo Goettingam venit, coniugium inierit, etſi et hic contigerit ipſi quod non omnibus contingit, uxor ex animi ſententia *), conſortiique felicitas, non niſi fato illo turbata, quod ſuis maritum patremque rapuit **). Neque lethalis morbi hiſtoriam a me quisquam exſpectet, quem crediderim, inde a longa et lenta tabe, ad illam magnitudinem excreviſſe, ut proſtratas omnes vires ſentiens aeger, inſigni animi conſtantia imminentem ſibi mortem ſpectaret, etiam cum nobis ſpes non exigua ſupereſſet.

De me certe fateor, ſpem eius, quod vehementer optabam, difficulter me eripi mihi paſſum. Amicitiam meam in pretio illi fuiſſe, inſigni mihi honori ſemper ducam, eoque magis, quod inter doctores eiusdem Academiae, ſtudiorum communitatem, amicitiae vincula arctius contrahere rarius eſt, quam eſſe deberet, laborantque eruditi ſaepius figulorum morbo, etiam ubi adverſus tormentum, quo Siculi tyranni maius non invenere, tueri eos poterat Maecenatum in univerſos munificentia. Ego vero vix quopiam intimius uſus, niſi qui ingenio ſcientiaque excelleret, voluptate ad lacrymas prona, illorum fere omnium tantum recordor, et a quibus plurima doceri debere genus humanum arbitrabar, eos coelites ſuſpicio.

Mayeri iacturam, inprimis doleo Germaniae nomine, orbis recentioris in doctrina coeleſti omni magiſtrae. Non longum Aſtronomorum Germanorum texam catalogum. Non appellabo Cuſani, Purbachii, Regiomontani, Apiani, illa



*) *Maria Victoria, Gnügii*, verbi divini quondam apud Biſchofsheimenſes in Creichgovia, primarii miniſtri, filia.

**) Filiis duobus, totidemque filiabus, illis iunioribus, Filio natu maximo annorum 10.

illa illuſtriora omnibus exteris nomina, poſtquam orientalis Graecia victorem Romanis magis ferum fugiens, artes intulit agreſti prae ſcholaſtica ſubtilitate Europae, et huc migravit cum ſororibus Urania. Ut duobus verbis, quod propoſui, efficiam: qualis eſſet Aſtronomia, niſi verum mundi ordinem Copernicus docuiſſet, motuum coeleſtium leges Keplerus? Ab his, verae aſtronomiae principia, qui trans Alpes, trans Rhenum habitant, qui mari a toto orbe ſeiunguntur, didicere omnes. Chaldaeis, pro Aſtronomia ab illis accepta, hanc gratiam retulerunt veteres Graeci, ut barbaros illos appellarent: quod, ne Germanis contingat, ab illo populo, cui noſtro tempore ingenium Muſa dedit, et ore rotundo loqui, non niſi Mayeri ſimiles poterunt cavere.

Scriptorum, quibus Vir immortalis inclaruit, hic eſt Catalogus:

*Neue und allgemeine Art alle Aufgaben aus der Geometrie vermittelſt der geometriſchen Linien aufzulöſen etc. Als Erſtlinge ans Licht geſtellt von Tobias Mayern,* Math. Cult. *Eſslingen* 1741. 8vo.

*Mathematiſcher Atlas, in welchem auf 60. Tabellen alle Theile der Mathematik vorgeſtellet werden. Augsp.* 1748. fol.

*Bericht von den Mondskugeln, welche bey der Koſmographiſchen Geſellſchaft in Nürnberg aus neuen Beobachtungen verfertiget werden* 1750. 4.

Programma de refractionibus obiector. terreſtrium, quo ſimul lectiones ſuas indicavit. Gott. 1751.

* * *

Tabulas geographicas, quas delineavit, recenſere longum eſſet. Unicam nominaſſe ſufficiat, Germaniae criticam, qua, quantum adhuc in Germaniae deſcriptione deſideretur, oſtendit, locis, quorum poſitus debite definiri poſſit, adeo raris, ut antiquam illam Taciti Germaniam, non hodiernam, quae placet etiam quibus non eſt patria, pictam te videre exiſtimes.

*In*

*In Volumine, quod unicum eſt, commentariorum Societatis Coſmographicae, ad annum 1748. pertinente, 1750. edito:*

*(Koſmographiſche Nachrichten und Sammlungen.)*

*Beſchreibung eines neuen Mikrometers.*

(novi micrometri deſcriptio.)

*Beobachtung der Sonnenfinſterniſs 1748.*

(obſervatio Eclipſis Solaris 1748.)

*Beobachtungen einiger Zuſammenkünfte des Mondes mit Fixſternen 1747. 1748.*

(fixarum et lunae coniunctiones 1747. et 1748. obſervatae)

*Abhandlung über die Umwälzung des Mondes um ſeine Axe, und die ſcheinbare Bewegung der Mondsflecken, worinnen der Grund einer verbeſſerten Mondsbeſchreibung aus neuen Beobachtungen gelegt wird. Erſter Theil.*

(Diſſertationis de lunae circa axem ſuum revolutione, macularumque lunarium motu apparente, qua Selenographiae, novis obſervationibus emendatae, fundamenta ſternuntur P. I.)

*Beweiſs, daſs der Mond keinen Luftkreiſs habe.*

(Lunae atmoſphaeram eſſe nullam.)

*In collectionibus utilibus Hannoveranis:*

(*Hannöv. nützl. Sammlungen.*)

Terrae motus, ex mutata gravitatis directione explicatus. *Götting. g. A. 1756. p. 316.*

*Diſſertationes exhibitae Societati Regiae Scient. Goettingenſi.*

1. Latitudo Noribergae. Comm. T. I. ann. 1751.
2. Obſervationes aſtronomicae Noribergenſes, ibid.
3. In parallaxin Lunae, eiusque a terra diſtantiam, inquiſitio Comm. T. II. ann. 1752.
4. Nova methodus perficiendi inſtrumenta geometrica, et novum inſtrumentum goniometricum, ib.
5. Novae Tabulae motuum Solis et Lunae, ib.
6. Tabularum lunarium in Tomo II. Comm. S. R. contentarum uſus in inveſtiganda longitudine maris 1753. Comm. T. III.

7. Obſervationes aſtron. 1753. Goettingae habitae, ib.
8. Experimenta circa viſus aciem 1754. Comm. T. IIII.

## Nondum editae.

1755.

De refractionibus aſtronomicis.
De transmutatione figurar. rectilinearum in triangula.
De inveſtigandis legibus variationum thermometri ea methodo, qua aſtronomi ad motuum coeleſtium inaequalitates cognoſcendas utuntur.
Item obſervationes aſtronomicae.

1756.

De motu Martis, a Iovis Terraeque attractione turbato.
Quadrantis muralis obſervatorii Goettingenſis rectificationes, et obſervationes ope illius inſtitutae.

1757.

Methodus eclipſes ſolares computandi.

1758.

Colorum ex pigmentis commixtis oriundorum computatio.

1759.

Novus fixarum catalogus.
Artis, qua picturae datae ectypa multiplicantur, ſpecimen exhibitum.
Inſtrumenti goniometrici, quod Aſtrolabium vocant, ſtructura emendatior.

1760.

De fixarum quarumdam motu proprio.
Theoria magnetica.

1762.

Computus declinationum et inclinationum magneticarum, ex theoria nuper exhibita deductus.

---

# NOVA LITTERARIA.

MARTINVS GERBERTVS, O. S. B. e Congregat. S. Blaſii in Silva nigra, Vir doctiſſimus, cuius iam proſtant opera varia, magna doctrinae copia conſpicua, *de Cantu et Muſica ecclesiaſtica, a prima Eccleſiae aetate usque ad praeſens tempus*, librum meditatur, quo Hiſtoriam Muſices daturus eſt, partem litterariae hiſtoriae, ſi non neglectam omnino, tamen cultam ſegnius. Iſtius praeclari conſilii ſui rationes peculiari programmate expoſuit, quod vel propterea heic loci deſcribimus, quia intereſt doctae reipublicae, iis ſubſidiis iuvari Virum doctiſſimum, quae perficiendo operi expetit. Eſt vero Syllabus capitum totius operis ab eo ita propoſitus.

*Liber I. Cap. I.* De perenni uſu muſicae ac cantus in ſacris, eiusque ortu et progreſſu a prima Eccleſiae aetate. *II.* Quaenam in ſacrificio Miſſae cantari conſueverint. *III.* Aliis occaſionibus partibusque officii divini. *IV.* Qualem habuerint, eſſeque voluerint SS. PP. eccleſiaſticum cantum. *Lib. II. Cap. I.* De ſtatu et progreſſu cantus eccleſiaſtici Romani, praeſertim medio aevo. *II.* De muſica plurium vocum, et inſtrumentali. *III.* De eccleſiae cantoribus. *IV.* De ipſo cantu, qualis in eccleſia fuerit medio aevo. *V.* De ſolemni Miſſae decantatione. *VI.* In aliis etiam divini officii partibus, praeſertim horis canonicis. *VII.* De libris ad officium cantumque ſacrum pertinentibus. *VIII.* Celebres in cantu et muſica eccleſiaſt. auctores. *IX.* De genere, modisque muſicis, uſu eccleſiaſt. tritis. *X.* De veteribus notis muſicis. *XI.* De diſciplina cantus ac muſicae eccleſiaſticae. *Lib. III. Cap. I.* De ratione cantus in variis divini officii partibus, recentiori aevo. *II.* De cantu chorali. *III.* De muſica figurali et inſtrumentali, clarisque muſicis auctoribus. *IV.* De recta ratione ac moderatione in muſica eccleſiaſtica tenenda, paſtorum ac doctorum recentiorum ſenſus et monita. *V.* Veteris cum recentiore muſicae comparatio.

*Liber*

*Liber I.* De Cantu et Muſicâ prima Eccleſiae aetate. *Caput I.* 1. Finis cantus et muſicae laus Dei. 2. Quo a prima origine relata. 3. In veteri teſtamento a Iudaeis. 4. Etiam inſtrumentalis a tempore *Davidis.* 5. Muſica in ſacris gentilium. 6. De Therapeutarum et primorum Chriſtianorum hymnodia teſtimonia extranea. 7. De pſalmis, hymnis, canticis, praecepta apoſtolica. 8. Exempla ex Scriptura. 9. Teſtimonia ex prima eccleſiae aetate. 10. Cantorum munus a primordiis eccleſiae. 11. Munus populi in cantu eccleſiaſtico. 12. Cantus alternus ac antiphonus. 13. Aut populi ſuccentus. 14. Reſponſio populi *Amen.* 15. *Gloria patri.* 16. Cantus *Alleluia.* 17. Pſalmorum cantus frequens. 18. Pſalmodiae divina virtus. 19. Ac varia Pſalmorum genera. 20. Hymni a Chriſtianis elucubrati. 21. Inde a primis eccleſiae temporibus, a Graecis. 22. Et Latinis. 23. Nihil obſtantibus adverſariis. 24. Fidelibus ſtudioſe divinas laudes concinentibus, et devote audientibus. 25. Paſtoribus promovere ſtudentibus. 26. Si non muſicis inſtrumentis, certatim ſaltem vocibus. *Cap. II.* 1. Semper aliqua in Miſſa fuerunt cantata. 2. Mox in introitu. 3. Frequens *Kyrie eleiſon* repetitio. 4. *Gloria in excelſis.* 5. Populi ad ſalutationem reſponſio. Cantus ante et poſt lectiones. 6. Praeſertim *Alleluia.* 7. Symbolum. 8. Offertorium. 9. Praefatio. 10. De hymno cherubico *Sanctus.* 11. De oratione dominica. 12. De cantu in fractione et communione. *Caput III.* 1. Sacri Chriſtianorum in hymnis ſpiritualibus conventus publici die noctuque. 2. Aliis in occaſionibus cantus ſacri. 3. Etiam in conviviis et alibi. 4. Et in funere Chriſtianorum. 5. Horis praeſertim canonicis. 6. Communi etiam fidelium concentu. 7. Divina pſalmodia. 8. Ex pſalmorum iugi cantu pſalmodiae nomen curſui eccleſiaſtico inditur. 9. Per cantum Reſponſorium. 10. Alternum ſeu antiphonum, cui opponitur indirectus. 11. In fine *Alleluia*, *Gloria Patri*, vel orationes. 12. Cum repetitis antiphonis. 13. Orationes et lectiones inter cantum

tum pſalmorum. 14. Hymni. 15. Uniformis ordo in pſalmodia. 16. De nocturnis vigiliis tum fidelium. 17. Tum praeſertim monachorum et clericorum. 18. De matutinis laudibus. 19. De horis diurnis. 20. De Veſperis, et Completorio. *Caput IV.* 1. Veteres auctores de muſica, imprimis S. *Auguſtinus* de Metrica. 2. An ſola non item harmonica muſica primis ſaeculis in uſu? 3. Qualis cantus prima eccleſiae aetate fuerit? 4. An aliquis inſtrumentorum muſicorum uſus prima hac aetate? 5. Quales cantus et voces veteres probarunt. 6. Qualisque ſpectatus finis. 7. Ab illis, qui cantum eccleſiaſticum promoverunt. 8. Probaruntque ob inſignes eius effectus. 9. Ad movendum affectum. 10. Ne tamen mens aliena ſit ab eo, quod canitur. 11. Aut etiam opera. 12. Peroratio de cantu eccleſiaſtico prima aetate.

*Liber II.* De Cantu et Muſica eccleſiaſtica medii aevi. *Caput I.* 1. Ars muſica exculta medio aevo. 2. Usque ad exceſſum. 3. Fruſtra tamen haereticis eius uſum damnantibus. 4. Cantus Gregorianus. 5. Cantus Ambroſianus. 6. Eius fata in Italia. 7. In Hiſpania. 8. Cantus Gregoriani in Anglia propagatio. 9. Cantus Gallicanus. 10. Cui deinceps cum officio Romanus ſubſtitutus. 11. Sub *Pipino.* 12. *Carolo M.* 13. In urbe praeſertim Metenſi. 14. Et in monaſterio *S. Galli.* 15. Et alibi, cura imprimis *Caroli M.* in diſciplina cantus undique inſtituenda. 16. Item *Ludovici Pii:* controverſia tunc orta inter Lugdunenſem et Metenſem eccleſiam. 17. Status muſices deinceps per medium aevum. 18. Etiam apud Graecos. *Caput II.* 1. Initia cantus plurium vocum in eccleſia. 2. Nec non inſtrumentorum. 3. Organum in vocibus ac primum in Diapaſon. 4. Et aliis conſonantiis duabus vocibus. 5. Aut etiam pluribus. 6. *Guidonis* circa polyphoniam inventa et regulae. 7. *Ioannis* regulae diaphoniae. 8. Item muſicae enchiridialis. 9. Et aliorum auctorum, etiam figuratae muſicae. 10. De

 orga-

organis. 11. De aliis inſtrumentis muſicis. 12. De campanis, cymbalis. *Caput III.* 1. De choro canentium tunc in eccleſia. 2. De Schola cantorum. 3. De munere cantorum, praecentorum, ſuccentorum, hoc medio aevo. 4. Item archichori, armarii etc. 5. Ad cantum peculiariter notati et aſſumti. 6. Ad id muneris apti factique. 7. Cantores pueri. 8. Cantores epiſcopi et principes etiam. 9. Mulieribus cantus interdictus. 10. Vox ſuavis in cantu quatenus. 11. Cantores non niſi iuſſi cantabant. 12. Locus, inſtrumenta, et veſtes cantorum in eccleſia. *Caput IV.* 1. Incrementa cantus hoc tempore. 2. Antiphonus. 3. Reſponſorius et Tractus. 4. De neumis. 5. In *Alleluia, Kyrie eleiſon*, antiphonis. 6. De tropis et proſis. 7. De cantus moderatione. *Caput V.* 1. Qualis cantus in ſacra liturgia. 2. In oriente et occidente ſecundum varium ritum Ambroſianum, Mozarabicum, Gregorianum. 3. Introitus ad Miſſam. 4. De verſu ſeu pſalmo Introitus cantuque antiphono et tropis. 5. De cantu *Kyrie eleiſon.* 6. *Gloria in excelſis Deo.* 7. De oratione cum reſponſione populi. 8. Lectio ſacrae ſcripturae. 9. Graduale. 10. Hymnus trium puerorum. 11. Tractus. 12. *Alleluia.* 13. Sequentiae. 14. Evangelium. 15. Symbolum. 16. Offertorium. 17. Praefatio. 18. *Sanctus.* 19. Sub canone et conſecratione reſponſiones populi et cantus. 20. Oratio dominica. 21. Benedictio, *Pax Domini etc.* 22. *Agnus Dei.* 23. Communio. 24. Populi dimiſſio ſolemnis. *Caput VI.* 1. Cantus et muſica in variis divini officii partibus in occidente. 2. Et oriente. 3. Ritus Ambroſianus eccleſiae Mediolanenſis. 4. Mozarabicus in Hiſpania. 5. Romanus divini officii ordo. 6. De variis eius mutationibus et additionibus. 7. Laus perpetua. 8. Horarum canonicarum publica et privata decantatio. 9. Nocturnae vigiliae. 10. Matu-

tinae

tinae laudes. 11. Horae minores. 12. Veſperae et Completorium. 13. Pſalterii iugis uſus in horis canonicis et alibi. 14. Uſus antiphonarum in horis canonicis. 15. Reſponſorium item. 16. Hymni metrici. 17. Et alii, item verſus. 18. De ſolemni officio in adventu et nativitate Domini. 19. A Septuageſima uſque ad Paſcha. 20. De Paſchate, Aſcenſione Domini, et Pentecoſte. 21. De feſtis Sanctorum. 22. De officio defunctorum. 23. Alia exercitia precum et pſalmodiae. *Caput VII.* 1. Varii libri liturgici ad cantum etiam eccleſiaſticum pertinentes. 2. Lectionarii. 3. Pſalteria. 4. Sacramentaria, Antiphonaria, Reſponſalia etc. 5. Quae etiam Miſſalia et Breviaria, tam Romano, quam Mozarabico ritu. 6. Item in officio Ambroſiano. 7. In Anglia, Hybernia, Germania. 8. In Galliis. 9. Ac in oriente. *Caput VIII.* 1. Sanctus *Gregorius M.* cantus eccleſiaſtici inſtaurator in occidente. 2. *S. Ioannes Damaſcenus* in oriente paulo poſt. 3. *Coſmas*, et alii melodi Graeci. 4. Apud Latinos hymnodi. 5. Et eccleſiaſtiei cantus compoſitores. 6. Magiſterio praeſertim eccleſiae Romanae. 7. *Guidone Aretino* multo faciliorem reddente cantus eccleſiaſtici diſciplinam. 8. *Guidonis* ſcripta et encomia. 9. *Oddonis* muſica. 10. *Ioannis* muſica. 11. *Bernonis* opera muſica. 12. Item *Hermanni* contracti. 13. *Theogeri* muſica. 14. *Wilhelmi* muſica. 15. Muſica enchiridialis *Fortunatiani*, item carmen in chronico Gottwicenſi. 16. *Anonymi* tractatus, item fragmenta de muſica in Cod. Saec. XII. 17. Alii auctores muſici medii aevi Germani, deliteſcentes in bibliothecis Germaniae. 18. Celebres in Galliis medio aevo auctores doctoresque muſici. 19. Varia ſub nomine *S. Bernardi* opera muſica. 20. Scriptores Angli de muſica. 21. Auctores Graeci de muſica. *Caput IX.* 1. Ingens ſtudium medio aevo in diſciplina muſica. 2. Maxime tamen in genere diatonico. 3. Uſu monochordi. 4. Cuius dimenſio exhibetur. 5. Secundum intervalla et conſonantias muſicas. 6. Multiplicique earum uſu. 7. De tono. 8. Et ſemito-

 nio.

nio. 9. De tetrachordorum etc. uſu. 10. De hexachordo *ut, re, mi, fa, ſol, la.* 11. De tropis, modis, ſeu tonis eccleſiaſtico-diatonicis. 12. Octo in oriente et occidente. 13. Quatuor authenti et quatuor plagales toni. 14. Cantus a communi regula deficientes aut excedentes. 15. De limitibus tonorum authentorum et plagalium. 16. Tonorum eccleſiaſticorum diſcrimen iuxta poſitionem ſemitoniorum et conſonantiarum 17. De ſingulorum tonorum proprietatibus. 18. De neumis et Graecorum *Noe, Noeane etc.* 19. De colis, commatibus, pauſationibus etc. 20. De initiis, tenoribus, et differentiis etc. ſingulorum tonorum. *Caput X.* 1. De notis muſicis antiquis Graecorum. 2. Apud Latinos primum litterae alphabeti. 3. Ac alia ſigna. 4. Notae muſicae Saec. IX. 5. Saec. X. 6. Notandi ratio per lineas. 7. Notae Saec. XI. 8. Saec. XII. 9. Saec. XIII. 10. Saec. XIV. 11. De notis cantus figuralis. 12. Nomina notarum muſicarum antiqua. *Caput XI.* 1. Muſica et cantus ad Deum celebrandum apta. 2. Praeſertim in divina pſalmodia. 3. Finis muſicae. 4. Virtus. 5. Si modus teneatur. 6. Voce. 7. Corde. Et opere.

*Liber III.* De Cantu et Muſica eccleſiaſtica recentioris aevi. *Caput I.* 1 Novatores, *Wicleffus* etc. cantus ac muſicae eccleſiaſticae impugnatores. 2. Lutheranorum de ea ſententia. 3. Catholicorum doctorum. 4. Pſallendi ritus in Sacris hodie undique apud Chriſtianos. 5. Libri quidam liturgici recentiorum Graecorum. 6. Cantionum varia genera apud Graecos. 7. Cantus Eccleſiaſticus hodiernus apud Graecos. 8. De cantorum munere hac aetate. 9. De cantu ac muſica in omnibus divini officii partibus. 10. De introitu Miſſae. 11. *Kyrie eleiſon.* 12. *Gloria in excelſis.* 13. De orationum et lectionum modulatione. 14. Cantus inter lectiones, Graduale, Tractus, Sequentiae etc. 15. Symbolum Apoſtolorum. 16. Offertorium. 17. Praefatio. 18. *Sanctus etc.* 19. Oratio dominica. 20. *Agnus Dei.* 21. Antiphona ad communionem. 22. Pſalmodia horarum canonicarum in nocturnis. 23. Et diurnis horis.

24. De

24. De adventu Domini; 25. De feſtis natalitiis Domini. 26. De Septuageſima et Quadrageſima. 27. De coena Domini, Paraſceve, et Sabbato ſancto. 28. De feſtis Paſchalibus. 29. De Pentecoſte. 30. De feſtis SS. Trinitatis et Corporis *Chriſti*. 31. De Litaniis. 32. De variis feſtorum ſolemnitatibus. 33. De cantus Antiphoni, et Reſponſorii antiqui reliquiis. 34. Cantus modulatus indirectaneo oppoſitus. *Caput II.* 1. Uſus cantus choralis ubique apud Chriſtianos. 2. De notis apud recentiores Graecos et Latinos. 3. De penieleſibus, neumis, tropariis, hirmis, hymnorum metris antiphonis. 4. De tonis ſeu modis eccleſiaſticis. 5. De eorum effectibus. 6. Et proprietatibus. 7. De ſolmiſatione in cantu plano. 8. Aucta quoad ſemitonia. 9. Ratio ac praecepta diſcendi, docendique cantum choralem. *Caput III.* 1. Cantus figuralis poſtrema hac aetate vigor. 2. De uſu organorum in eccleſia. 3. De diſcantu, falſobordono, contrapuncto. 4. De fugis. 5. De muſica *alla Capella*. 7. De inſtrumentorum muſicorum in eccleſia uſu. 8. De uſu tonorum et ſemitoniorum, praeſertim in genere mixto. 9. Conſonantiarum geneſis iuxta modernos. 10 Earumque uſus. 11. Uſus diſſonantiarum. 12. De ſtilo eccleſiaſtico. 13. De artificio compoſitionis muſicae. 14. Ad movendum. 15. Ad excitandos affectus. 16. Quatenus hinc etiam, et qualium inſtrumentorum uſus ſit in eccleſia. 17. Vox item et cantus. 18. Ac tota muſica compoſitio quomodo ad rectum finem debite inſtituenda. 19. Auctores, qui poſtrema hac aetate de muſica praecepta dederunt. 20. Inſtauratores muſicae, ac celebres compoſitores Saec. XV. imprimis. 21. Clari compoſitores muſicae ſacrae Saec. XVI. 22. Saeculo XVII. celebres compoſitores in Italia. 23. In Galliis. 24 In Germania. 25. Celebres compoſitores muſici in Italia hoc ſaeculo XVIII. 26. Galli. 27. Germani. 28. Et Hiſpani. 29 Hodiernus muſicae ſtatus in Italia et Gallia. 30. Item in Germania. 31. Et Hiſpania. 32 Pro variarum nationum genio et ingenio. 33. Parergon de muſica coeleſti. 34. Terreſtri,

 alia

alia quam vulgari. *Caput IV.* 1. Cantus modulati et non modulati uſus in eccleſia. 2. De eccleſiis, quae cantu plano tantum, vel falſobordono, aut contrapuncto, ſine organis utuntur. 3. De muſicae inſtrumentalis uſu. 4. De uſu muſices in monaſteriis qualis deceat. 5. Eccleſiae Paſtorum ſtudia muſicam eccleſiaſticam rite ordinandi. 6. Doctorum querimoniae de muſicae depravatione. 7. Cautiones quaedam in muſica vocali. 8. Ac inſtrumentali. 9. Pro compoſitoribus. 10. Actoribus muſicis. 11. Et auditoribus. 12. Recto ordine et fine... *Caput V.* 1. Non ſatis nobis conſtat de veteri muſica eiusque effectibus. 2. Licet multi in ea veterum ſcriptis illuſtranda inſudarint. 3. Theoreticam cum practica ſociando. 4. Comparata in theatris imprimis ad movendos affectus. 5. Imo moderandos potius, rite inſtituta. 6. Secundum varios modos muſicos. 7. In genere diatonico, chromatico, et enharmonico. 8 De intervallorum diviſione veteri, cum nova comparata. 9. Circa ſchiſmata, commata, ſemitonia, tonos, indeque reſultantes conſonantias. 10. Quoad triadem etiam harmonicam in polyphonia. 11. Quae an apud veteres obtinuerit diſquiritur. 12. Recentiorum quorundam conatus in genere chromatico, enharmonico. 13. Cautio veteris muſicae, praeſertim theatralis. 14. Maxime in eccleſia attendenda, ubi perenni praeſcriptione cantus choralis obtinet.

---

## Praemia, ab Imperiali Academia Scientiarum Petropolitana propoſita.

In Annum 1760. propoſita fuit quaeſtio:

*Indagare experimentis refractionem radiorum lucis in diverſis corporibus, tam ſolidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diverſae gravitati ſpecificae corporum, quantumque variae particularum cohaeſioni, aut principiis corpora conſtituentibus, magnitudo refractionis debeat, idque omne per theoriam, quae inſtitutis experimentis reſpondeat, explicare.*

In Annum 1761: *Determinare theoriam perturbationum, quas patiuntur Cometae in motu ſuo ab attractione planetarum, et demonſtrare, quantum haec Theoria cum obſervationibus Cometae anni 1759. conveniat?*

In

In Annum 1763: *Inveſtigare, quantum imperfectiones tuborum opticorum et microſcopiorum, ex diverſa refrangibilitate radiorum, ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationem plurium lentium corrigi, aut imminui queant, atque theoriam praxi aptare, et per experimenta comprobare.*

In Annum 1763. *Cum inter omnes artis fuſoriae peritos conſtet, mineras metallicas plurimas additamentis variis* (Zuſchläge) *indigere, antequam calcinationi et fuſioni committantur, idque eo fine, ut partim heterogeneas, mineris adhaerentes partes commodius ſeparentur; partim vero ut pars ipſa metallica facilius praeceps detur: Quaeritur, utrum dentur methodi, partem metallicam quamcunque ex minera ſeparandi, quae non tantum breviores, verum etiam minus ſumtuoſae ſint, ita ut tot variis additamentis, in arte fuſoria uſitatis, ſuperſedere queamus, uno vel altero eorum ſufficiente, et aptiſſima ſint haec additamenta ad ſingulas metallorum ſpecies. Huius problematis ſolutionem rationibus et experimentis fultam et enucleatam Academia expectat.*

Quod ad primam quaeſtionem, *de refractione radiorum lucis,* attinet, ſpem fere omnem abiicit Academia, fore, ut voti ſui fiat compos; ideoque illam in poſterum repetere ſupervacaneum ducit.

Secunda et tertia quaeſtio, cum ſolide et luculenter in nonnullis ad Academiam miſſis diſſertationibus tractatae ſint, praemiorum propoſitorum collationem inſtituere, ſequenti ratione Academia decrevit:

De Theoria Cometarum ſingularem tractatum edidit Celebertimus in Academia regia Pariſienſi Geometra, *Alexius Clairaut,* eodem fere tempore, quo Academia quaeſtionem, *de perturbationibus, quas Cometae in via ſua a planetis patiuntur,* propoſuit. Poſtmodum idem acutiſſimus auctor librum ſuum illuſtraturus, aucturus, emendaturus, diſſertationem ad Academiam miſit, ut ad certamen pro praemio concurreret. Aſt haec competitorem experta eſt, cui aeque ac illi praemium adiudicandum eſſe videbatur. Itaque praemii partitionem inter utrumque auctorem decernere oportuit. Indices et lemmata, utrique diſſertationi praefixa, ita habent: 1) *Recher-*

*cherches ſur la Comête des années* 1531, 1607, 1682, *et* 1759, *pour ſervir de ſupplement à la Theorie, par laquelle on avoit annoncé en* 1758. *le tems du retour de cette Comête. Sunt operoſa quidem, ſed non operoſa volenti.* 2.) *Meditationes de perturbatione motus Cometarum, ab attractione Planetarum orta. Aſtra notat coelique vias et ſidera novit.* Ultimam diſſertationem auctorem agnoſcere *Ioannem Albertum Eulerum*, Academicum Berolinenſem, ſchedula reſignata compertum eſt.

Quaeſtioni, *de perficiendis tubis opticis*, iam a *Ioanne Dollondo*, Anglo, per ipſam praxin ſatisfactum eſſe, videri poſſet. Non dubitat autem Academia, ob theoreticam argumenti tractationem valde eximiam, praemio afficere diſſertationem, quae inſcribitur: *Tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum luminis in lentibus ſphaericis refracti, et de perficiendo teleſcopio dioptrico.* Lemma adſcriptum habet: *Non fumum ex fulgure, ſed ex fumo dare lucem.* Schedula reſignata *Samuelem Klingenſtierna*, Profeſſorem Upſalienſem, et Principum Regiorum Sueciae Praeceptorem, eius auctorem eſſe docet. Praeterea non poteſt non Academia dignas tribuere laudes *Leonhardo Eulero*, ob diſſertationem ſecum communicatam, qua ſimilis *Dollondianae* lentium conſtructio docetur. Hanc ad certamen admitti ipſe auctor noluit, ſed potius Commentariis Academicis deſtinavit. Placuit autem Academiae, iſtam *Klingenſtiernianam* et hanc *Eulerianam* ſimul edere, ne vir ſummus gloria inventi ſui careat, quam cum *Dollondo* partiri ius habet.

In annum 1763. reiteratur ante commemorata quaeſtio de fuſione metallorum.

In Annum 1764. proponitur quaeſtio ſequens:

*Per obſervationes et experimenta explicare, quomodo propagatio plantarum, quae a Botanicis claſſi cryptogamicae annumerari ſolent, filicum, muſcorum, fungorum, procedat, utrum a reliquarum plantarum propagatione differat, et utrum inter plantas, eodem modo, ac inter quaedam animalia, dentur ſpecies, quae prorſus diverſa a reliquis ratione propagentur.*

Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut cogitata ſua atque obſervata de ſupra memoratis quaeſtionibus cum Academia communicent, ea temporis ratione habita, ut diſſertationes ante diem 1. Iulii cuiusque anni, Petropolin pervenire poſſint. Praemium pro cuiuslibet quaeſtionis ſolutione optima, erit centum aureorum, quos vulgo *Ducatos* vocant.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Aprilis Anno MDCCLXII.*

## LA SAINTE BIBLE, ètc.

h. e.

*BIBLIA SACRA UTRIUSQUE FOEDERIS, CUM Commentario grammatico, ex Anglicis ſcriptoribus petito. TOMI QUINTI PARS SECUNDA, qua POSTERIOR SAMUELIS LIBER continetur.*

Amſtelraedami 1761. apud M. M. Rey, pagg. 290. quaternis.

Fervet adhuc in Eccleſiis Proteſtantium, et, ſi unico illi ac perenni religionis fonti ſuam ſervaverint auctoritatem, ſervebit in illis perpetuo, SS. litterarum legendarum interpretandarumque ſtudium. Cuius ſaluberrimi moris officiique, poſt tot editas vel hoc Seculo librorum divinorum enarrationes, exemplum praebet huius ipſius operis progreſſus, et propagatus ad diverſas gentes uſus. Nam primum concinnandae eiusmodi ex Anglorum Theologis, (utpote quorum libri rarius ad ceteros populos transnavigarent, vel etiam linguae cauſſa legi vix poſſent,) in Scripturam Sacram catenae, conſilium exſequutus eſt *Honertus*, Theologus clariſſimus, lingua quidem Batavorum, hominum autem doctorum adſenſu ſane maximo. Huius opus, ut ſumus Germani ad arripienda aliorum bona propenſi, et in amandis, etiam prae noſtris, candidi, protinus transla-

tum eſt in linguam noſtram, et egregiis opibus auctum, curantibus viris doctiſſimis, *Tellero*, *Baumgartenio*, nunc vero etiam *Dietelmaiero* et *Bruckero*. Neque nos abiecimus plane conſilium, commemorandi Partes aliquot huius pulcherrimae editionis in his Commentariis. Sed eandem denique publicandis Anglorum laboribus exegeticis lingua Francogallica operam coepit impendere Vir Clariſſ. et muneris ſanctitate venerandus, *Carolus Caſius*, (popularibus *Charles Chais*,) eaque ex re multum laudis retulit. De ſuperiore Volumine in Actis A. 1759. Menſe Iulio, pag. 422. ſqq. ita diximus, ut et fontes, ex quibus pleraque delibaverit Auctor, indicaremus, et interpretationum plurima ſpecimina adferremus, quibus ipſius doctrina et iudicium comprobarentur. Nunc eodem fere labore defungemur in hac Parte, niſi quod repetenda non videntur ſcriptorum Anglicorum nomina, et vix addendum, adhibitos praeterea diligenter in ſubſidium eſſe a *Caſio* exegetas et philologos omnis aevi generisque praeſtantiſſimos.

In Praefatione primum quae poſteriore libro Samuelis leguntur, ſuccincte enarrat et illuſtrat. Agnoſcit deinde difficultates et ambiguam in eligendo inter tot interpretum divortia ſortem, ipſaque re oſtendit, quam paratus ſit ad corrigendos, ſi qui ſint, lapſus ſuos. Nam cum 2 Sam. XXI, 5. 6. τὸ כְלִי de *vaſis* quibus panes imponerentur, quae autem inde a והוא דרך ſequuntur, ita accepiſſet: *panis hic pro communi iam habendus eſt, quod novus hodie conſecrabitur, qui in vaſa reponatur:* fatetur lubens, longe veriorem eſſe interpretationem *Puteani*, *(du Puy,)* qui in Diario Erud. Pariſino A. 1760. כלי reddiderit *corpora*, et illa poſtrema: *quanto magis hodie pura et ſancta fuerint corpora illorum ab hoc uſu profano.* Recte quidem quod ad כלי, neque ea explicandi ratio nova eſt, ut exiſtimat Noſter; ſed illa והוא דרך חל invita prorſus trahuntur ad conſequentia: ſunt enim ita coniungenda cum praecedentibus: *etſi haec via, hoc iter noſtrum, fuerit profanum,* tamen puros ſe a foeminis ſervarunt.

runt. — Subiungitur praefationi chronologica tabula; hiſtoriam huius libri ſuis temporibus definiens.

Cap. I, 9. vocem שבץ recte videtur reddidiſſe verſio: *grande angoiſſe;* in notis autem adiicitur varietas eandem interpretandi, ſubiecto epiphonemate, locum hunc ſimpliciter verti poſſe: *in anguſtiis ſum,* quod vel de hoſtibus Saulis capi poſſit, vel de exercitu eius. Nobis veriſſimum videtur, τὸ שבץ de *perturbatione animi* accipere, ſenſu quidem eo, ad quem proxime accedunt interpretes antiquiſſimi, quem etiam contextus unice fere patitur; cum contra qui *tunicam ocellatam* interpretantur, derivatum תשבץ cum primitivo temere, et repugnante omni orationis habitu, miſceant. — Ad v. 15. bene defenditur Davidis in Amalecitam, qui de caede Saulis gloriatus erat, ſeveritas. — V. 18. poſt enarratas interpretum ſuper voce קֶשֶׁת ſententias, addit A. *arcum* hic dici canticum Davidis, quod ſequatur, quia in eo arcus Ionathanis mentio fiat; ſic etiam *Heſiodum* carmini quo ſcutum Herculis deſcripſerit, *Scuti* nomen tribuiſſe. Haec tamen *Calmeti* et aliorum opinio, quamvis ingenioſa, neque carmini ipſi convenit, in qua tribus vix verbis arcus Ionathanis commemoratur, neque textui Hebraico, qui nobis quidem vel hoc loqui videtur: *iuſſitque ſimul David, Iudaeos in arcu tendendo exerceri;* vel ſub קשת quidpiam e genere muſico deſignat. — Ad ipſum lugubre Davidis canticum inde a v. 19. egregia quidem multa ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus Anglis, etiam ex recentiſſimo illius interprete, *W. Greenio*, neque non ex ingenio ſuo attulit Noſter; ſed minime tamen omnium negligenda erant, quae eidem illuſtrando propoſuit acutiſſimus *Lowthus* in Praelect. de S. P. Hebr. a pag. 459-470. edit. Goetting. Digna autem eſt quae legatur adiecta v. 27. Paraphraſis huius Elegiae, et cum Lowthiana comparetur.

Cap. II, 10. plane probamus Rev. Auctoris rationem, qua ſolvit nodum in duobus annis, regno Isboſetico tributis, latentem. Referendos ait ad v. 12. ut adeo epocham hoſtilium inter utrumque regem factorum conſtituant. Memorat

 etiam

etiam crudelem *Hubiganti* correctionem, pro *duobus*, *ſex* legentis; ſed illius emendationes pleraeque omnes, non omiſſae in hac catena, vix lectae diſparent, et in umbras vertuntur. — Quae ad C. III, 27. adfertur *Ioſephi* maxime probabilis de Ioabi conſiliis in tollendo Abnere coniectura, non diſplicet. Vere poſtea ad v. 29. monetur, atrociſſima Davidis in Ioabum verba, non malorum praedictionem eſſe, ſed omnino imprecationem, ex humani adfectus impotentia profectam. Etiam τῶ נפל בחרב eod. l. unice vera interpretatio eſt: *violenta morte perire*, ut e *Polo* obſervatur. — Cap. IV, 6. agnoſcit A. intelligendi huius loci difficultatem, praeſertim poſt diſcrepantem a textu verſionem Alexandrinam; ſed profecto, quae *Polo* et *Patricio* ducibus obſervat, ſatisfacere Hebraicis videntur.

Ampliorem diſputandi campum aperuit locus V, 6. de coecis et claudis, quos Iebuſaei oppoſuere Davidi. Pari fere pondere decertant inter ſe Ioſephi et Lutheri interpretationes. Illam maxime litteralem eſſe putat A. neque immerito; inprimis ſi rationem habeas, ut decet, τῶ Kri, (quod tamen vitioſe exſcriptum eſt in nota, et male cepit *Hubig.*) In eo tamen diſcedimus a *Caſio* noſtro, quod extrema verba v. 8. negat proverbii in modum capi poſſe. Sed τὸ אמרו aperte proverbium indicat, nihilque habent quae ſequuntur, cur de arcendis ab urbe Iebuſaeis explicari non poſſent. Ipſe contra Anglos ſecutus, hanc verſus partem ita reddit: *propterea quod dixerunt: coeci et claudi prohibebunt illum ab aditu huius arcis.* Sed quomodo τὸ לא יבוא interpretari poſſit Vir Doct. *non patientur venire ſeu intrare*, ſane non videmus. — Dabit etiam Vir humaniſſimus nobis diſſentiendi veniam ad v. 24. ubi בְּבָאִים pro loco habet, non pro moris, quibus tamen magis conveniunt ראשי quam illi; et fortiſſime pro vulgari interpretatione pugnat obſervatio ſatis nota, ה demonſtrativum nominibus propriis numquam praeponi.

Ad Cap. VI, 6. ſuſpicatur Auctor, vocem עזה refingendam eſſe ad formam τῶ עזא v. 3. quam et hoc in verſu tres Codices *Hubiganti* referant. Sed variat ſcriptura nominum

pro-

propriorum ſaepius. Vocem שׁמט nonnihil vagam eſſe, ſed ſatis illuſtrari connexione orationis totius, bene monet. De crimine quoque Uzae ſapienter ab ipſo diſputatur, et gravior pars illius refertur ad animum, humanis oculis, non divinis, impenetrabilem. — Ad C. VII, 7. *Cappelli* emendationem recipit pro שִׁבְטֵי legentis שֹׁפְטֵי (non *Schiphte* ut typographus edidit,) ex 1 Paralip. XVII, 6. quae certe innumeras illius probabilitate vincit. Eodem Cap. ad v. 14. recte definitur pars oraculi divini, quae Chriſtum Servatorem ſpectet. Verba v. 19. וזאת תורת האדם quam varie reddantur, oſtendit Noſter, deſinitque in verſione Grotiana: *familiariter mecum agis*, ut inter ſe homines, vel: *pro conſuetudine hominum*, maxime liberos ſuos beatos cupientium, eoque impetrato gaudentium plus quam ceteris rebus. Et vix dubitamus, verum hic, velut tot aliis locis vidiſſe magnum illud ingenium.

Cap. VIII, 2. ad eam inclinat ſententiam Ven. C. quae nobis quoque placet, ut de bello, h. e. in proelio captis Moabitis, ſeveritas Davidis capiatur. Durius eſt quod addit, השכב אותם ארצה etiam de urbibus dici potuiſſe a *divino* ſcriptore. — Ad v. 13. 14. varios conciliandi inter ſe et cum Verſione Alexandr. hos verſus enumerat modos, parum alienus ab eo, qui pro אֲרָם v. 13. legendum ſuadet אדום — Docta eſt de Kerethaeis et Pelethaeis ad v. 18. annotatio, quibuscum etiam comparatur duplex militum genus, quod hodieque cuſtodes corporis agit, in aula Conſtantinopolitana — Cap. IX, 11. alteram verſus partem cum pluribus interpretibus Davidi tribuit, invito, fatemur enim, textu: noſtras autem aures parum offendit, ſi vel pergat in dicendo Tſiba, offeratque convictum ſuum principi iuveni nullius auctoritatis, inque ea gente, quae principes viros ab hominibus infimae conditionis non maiore aliquo hiatu ſeparaverit.

Quid ſit הצבה הגבורים Cap. X, 7. ſecundum *Seb. Schmidium* diſquiritur. Nos non eosdem putamus eum כל בחורי בישראל v. 9. atque adeo non fortiſſimum quemque,

que, ſed partem populi perpetuo armatam. — Verſu 18. comparato cum 1. Paralip. XIX, 18. non faciliorem reperit Auctor rationem, pugnantes hos locos in gratiam reducendi, quam ut alterutro eorum manus ſcribae librarii lapſa ſit. — C. XII, 31. plura adferuntur primum ad mitigandam crudelitatis in Davide adverſus victos Ammonitas notam; v. c. non eum his ſuppliciis in omnem omnino populum, ſed in urbes vi expugnatas, graſſatum eſſe; reddidiſſe eum genti ſaeviſſimae, quae ſuis praeparaſſet, et mortis genera ſine dubio in illa uſitata, cet. Poſtea tamen Danzianam amplectitur explicationem, quae non ſupplicia admittit hoc loco, ſed longe duriſſimos captivorum in lignis et metallis labores. — C. XIII, 21. ſcite evolvuntur illa, quae Davidem in puniendo pro merito Amnone filio, ancipitem animi reddebant atque perturbabant. V. 39. ſubſcribimus cum eo interpretationi *Poli*, Davidem ceſſaſſe ſeu deſtitiſſe a perſequando amplius Abſalomo.

Ad Cap. XIV, 9. duplicem interpretationem profert V. Doct. neque tamen, quae ſibi verior videatur, docet: eſt autem prior, ut putamus, aſſeverationis formulam quae ſtatuit exhiberi. — V. 14. *Starckii* in Notis Selectis explicationem adoptat, referentis haec de mortalitate verba ad Davidem ipſum, quem ita moneat foemina, redire iuberet filium dum poſſit, ne morte praeveniatur. Non carent haec veri ſpecie; ſed illa כי־מות נמות videntur tamen poſtulare, ut de ſorte mortalium univerſa capiantur, et quod additur, vivere adhuc Dei indulgentia Abſalomum, monet nos, niſi fallimur, ut ſuperiora ad ſortis humanae miſerationem transferamus. Niſi velis illa v. 15. כי יראני האם cum *Polo* referre ad indignationem populi ex Abſalomi exſilio ortam; unde pendeat quoque interpretatio v. 14. Nam כי pro *etſi* poni hoc loco, non ſatis probatur. — Vſ. 26. quidquid interpretum ſagacitas ad minuendam admirationem ponderis capillorum Abſalomi excogitavit, enarratur accurate, ut facile legentes iudicare poſſint, quaenam ſententiae reliquis ſint praeferendae.

Cap.

Cap. XV, 7. pro *quadraginta* annis *quatuor* reponi vult Ven. Auctor. Iudicent alii, num XL. anni hiſtoriae Davidicae adeo repugnent, ut emendandus ſit numerus ſine Codd. auctoritate aliqua. — Ut alia plurima digna quae legantur, praetermittamus, ad Cap. XVIII, 5. bene iudicat Noſter, Ioabum defendi nequaquam eo poſſe, quod interficiendo Abſalomum, ſaluti et tranquillitati reipublicae conſuluerit. Potior enim eſſe debebat lex regia, alia omnia praecipiens. Ad v. 33. imbecillitas animi in Davide paterni vivis coloribus pingitur. — Cap. XIX, 5. ſqq. oratio Ioabi ad regem aliquanto atrocior et minarum ſimilior fingitur, quam nobis quidem videtur, vis tamen illius praecipua haud male redditur. — Multa poſtea ad Cap. XXI. de ſupplicio filiorum Saulis recte diſputantur, in quibus eſt hoc maxime, quod res omnis ad mandatum divinum, Davidi certis indiciis cognitum, refertur. Cap. XXII. diligenter explicatur ſublime Davidis canticum, quod eo continetur; rurſus tamen eo loco copias *Lowthi* et Lowthiani Editoris Celeb. deſideramus. In Capitis XXIII. exordio explanando, praeter egregias aliorum annotationes, uſus eſt inprimis Noſter libello *Ricardi Grey*, quo poſtrema haec Davidis verba illuſtravit Londini 1749. 4. (pag. 29.) Denique non tacendum eſt, numerationem populi a Davide ſuſceptam, et conſecutam inde divinitus poenam, quae traduntur Cap. XXIV. iis ſtipari obſervationibus, quae et pio lectori, et cauſſas factorum modeſte ſcrutanti, ſatisfaciant.

Quare merito et lubentes hanc quoque perfectam ab Auctore Ven. et probe exornatam Partem eidem gratulamur. Diligentiae certe, doctrinae et ingenii ſpecimina illuſtria cumulavit ad hunc librum, longeque ſuperavit *Honerti*, quamvis laudandam, operam. Nos quidem in iudicio noſtro plerisque locis interponendo, non hoc ſolum ſpectavimus, ut intelligerent lectores, plurima nos attentione et voluptate non minore verſatos eſſe in volvendo hoc opere, ſed multo magis, ut talibus locorum difficiliorum exemplis propoſitis, ad interpretationis V. F. ἀκρίβειαν maiorem ſectandam

dam plures accenderentur. Illud petere liceat a V. Doctiſſ. ut, niſi graviores obſtent rationes, verſionem textus Hebraicam aliquanto magis Franco-Gallicam reddat, neque ſinat abundare phraſibus iis, quae Orientalium ori, non Europaeorum, conveniant. Indicis copioſi utilitatem, formamque libri, quam a librario accepit, nitidam, paucis laudamus, et laudatione digniore proſequi nos arbitramur hoc Opus, addito voto, ut novae Partis exſpectatio ſit quam breviſſima.

## Abhandlung von der groſſen Sonnenfinſterniß, welche ſich im Jahr 1764. ereignen wird ꝛc.

i, e.

*DE MAGNA ECLIPSI SOLARI, QUAE CONTINGET anno 1764. Commentatio, cum Appendice, quae Eclipſin lunarem, et omnes Eclipſes viſibiles Satellitum Iovis, eiusdem anni, una cum omnibus Eclipſibus hoc Seculo noſtro futuris, calculo determinatas proponit. Auctore GOTTHILF CHRISTIANO RECCARDO, ad aedem SS. Trin. Berolini V. D. M. et Inſpectore Secundo Scholae realis Berolinenſis.*

Berolini, pagg. 104. cum duab. tabb. aeri inciſis in 4.

Quam nuper Ludovico XV. Francorum Regi, eminens Aſtronomus, eclipſin Solarem, quae menſe Aprili anno 1764. inſtat, nitida tabula adumbratam exhibuit, eam Germaniae, ex ſolidis ratiociniis ad calculos revocatis, ſituque ☉ ☽ ac ♁ tum temporis variis figuris expreſſa, Summe Reverendus auctor, etiam ante hunc Gallum praedixit. Atque iſtud eſt doctiſſimae commentationis, cuius titulum deſcripſimus, argumentum. In prima Parte id agit V. Cl., ut non ſolum regulas maxime mirum hunc in tota naturae contemplatione eventum computandi, ſed ipſum etiam computum iuxta tabulas ſolares Abbatis de la Caille, et lunares celeberrimi quondam Prof. Mayeri, prolixe ac lucu-

lente

lento ordine digeſtum exhibeat, quo habeant alii, ac potiſſimum iuvenes fidei eius commiſſi, quorum gratia haec potiſſimum ita prolixe conſcripta ſunt, exemplar, quod in eiusmodi caſibus imitari poſſint. Novilunia itaque primum omnia anni 1764. ſupputando, quartum huius anni eiusmodi calculis deprehendit, ut, cum in haemiſphaerio boreali ☽ ab aſcendente nodo $5\frac{1}{2}$. diſtante contingat, et intra proinde limites, qui ad Solis deliquium neceſſarii ſunt, eveniat, et eclipſis ab incolis huius haemiſphaerii videri poſſit. Quare conſtituto obſervatore in centro terrae, accuratius tempus ☌ ☽ et ☉ determinatur, exactaque ſupputatione Pariſiis invenitur 1764. 31. Martii $22^h$. 32′. 5, 4″. vel obſervata meridianorum differentia Berolini 1764. 31. Mart. $23^h$. 16′. 30, 4. Apparentis vero ☌ ☽ et ☉ tempus, ſumpto certo in ſuperficiei telluris loco, qui Berolinum potiſſimum conſtituitur, ac figura I. aliisque fundamenta rationum illuſtrantur, non ſolum rudiori, ſed etiam exactiore methodo, interſperſis multis lectu dignis obſervationibus ac meditationibus, invenitur fore 31. Martii eius anni $23^h$. 46′. 5, 1″. Tandem ipſius ſolaris defectus rationes prolixe traduntur, initiumque, eius finis, maxima obſcuratio, totaque duratio determinantur. Nos, omiſſis calculi elementis, quae prolixiora ſunt quam ut hic inſerantur, notamus, Summe Reverendum Auctorem deduxiſſe, multis correctionibus inſtitutis, initium ſumturam hanc ſolarem eclipſin Berolini tempore civili 1764. ipſis Aprilis calendis hora X. autem. 15′. 18, 4″. ſinemque conſecuturam $1^h$. 13. 12, 2″. ac proinde $2^h$. 57′. 54″. duraturam. Secunda huius utiliſſimi libelli pars de typis huius ſolaris eclipſeos, accuratis rationibus complexae effingendis, ſollicita eſt. Duplici quaevis eiusmodi eclipſis conſiderari poteſt modo: ſpectatur enim ex ſuperficie telluris, ex qua obſervantur partes ☉lis ab interveniente diſco lunari ſenſim ſenſimque tegi ac obſcurari. Hac ratione ſpectata eſt in prima parte: et Summe Reverendus Auctor ex his rationibus eruit, ſecundum regulas luculenter ac diſtincto ordine digeſtas, typum primo in hypotheſi viam ☽nae obſcurantis

☉lem eſſe rectam lineam: ſecundo vero in hypotheſi eam a recta paulatim in curſu ſuo deflectere, ac curva linea ingredi. Pulcrior vero ac veritati proximior ea eſt cuiusvis ☉ eclipſeos conſideratio, in qua Obſervator in ſuperficie lunae conſtituitur, ipſaque eclipſis ☉ conſideratur tanquam terrae eclipſis. Qua ex ratione conſiderandi deſignanda ſunt telluris noſtrae ea loca, quae ab initio eclipſeos usque ad eius finem in umbram lunae incidunt, vel in quae umbra ☽ proiicitur. Huius proiectae umbrae lunaris in noſtram tellurem, in effingendis eiusmodi typis, habetur ratio. Iucundiſſimae huius non minus quam curioſiſſimae rationis conſiderandi eclipſes Solares Theoriam Hauſenius quondam noſter in Act. Erud. Tom. VIII. Supl. Sect. VIII. anni 1724. dedit, eamque ad eclipſin Solarem eius anni adplicuit; et eiusmodi proiectionem orthographicam etiam inſtantis eclipſeos ☉laris ſumma cum diligentia Vir Summe Reverendus, adpoſito cum indice locorum terreſtrium, quae ſenſim ſenſimque umbrae ☽nari immerſura emerſuraque ſunt, non ſolum adornavit, ſed transmiſſo nobis libello ſpecialem etiam adiecit typum eiusmodi proiectionis ad Horizontem Lipſienſem rationibus inſtitutis definitae. Pro qua benevola eius communicatione debitas ipſi gratias agimus: et quemadmodum inſignem rerum aſtronomicarum peritiam haec, quae breviter enarravimus, aliaque in utiliſſimo hoc libello obvia, produnt, ita Summe Reverendo Auctori ex animo vires vitamque a Deo precamur, ut, quam inſtituto computo praedixit eclipſin, ipſe ad regulas eleganter deſcriptas obſervare, rationes atque computum cum eventu conferre, ſingulariaque, quae pro eo, quo pollet, ingenii acumine, obſervaverit, cum orbe erudito communicare poſſit.

*Tab. I.*

## ANIMADVERSIO
# DE PROPAGATIONE SONI.
### AUCTORE M. HUBE.

Propagationem ſoni per aerem explicatu non parum eſſe difficilem, magnorum virorum iudicium eſt. *Newto-*

*nus*

*sus* methodo ſingulari et indirecta in definiendis temporibus uſus eſt, quibus ſoni aerem pervadunt, quam unicam fere ad hoc negotium perficiendum eſſe iudicat *Eulerus*, uberiusque explicat in Opuſc. Part. I. Operae ergo pretium duxi, aliam viam, quae magis mihi videtur directa, ac multo in explicanda aeris agitatione facilior, ex tremoribus orta corporis elaſtici, indicare.

Duplex eſt modus, quo corpus aliquod in aliud corpus motum transferre poteſt ſuum: vel enim magna velocitate in huius particulas proximas impingit, ita ut vis eius, vi, qua cohaerent iſtae cum reliquo corpore particulae, maior ſit; vel ſenſim ac lente agit. Poſteriore caſu motus paulatim omnibus reliquis impertitur corporis particulis, ad quamcunque directionem ſitis, ita ut totum tandem corpus moveri incipiat; priore autem caſu particulae, quae immediate a vi iſta premuntur vel trahuntur, totum motum ſibi ſervant, ac nihil de illo, vi cohaeſionis, in reliquas particulas transferunt. Evidens exemplum eſt globi gravis, tabulae impoſiti, cui filum tenue annectitur. Si enim hoc filum *velociter* trahas, rumpitur, globusque quietus manet; lente autem ſi trahas, globo hoc modo velocitatem quantumvis magnam, ſed ſenſim paulatimque, communicare vales.

Cum igitur chordae vibrantis magna ſit velocitas, mirum non eſt, in particulas aereas motum ab illa eodem transferri modo, quo, filo abrupto, in huius partem ruptam. Particula aeris nempe quaecunque, chordae proxima, dum ab hac propellitur, in eadem recta linea, quae directio impulſus eſt, moveretur velocitate acquiſita, nec ulli motum communicaret alii particulae aereae, niſi ſtatim in aliam impingeret particulam ſecundum hanc directionem proximam. Huic igitur iterum, quaſi corpus elaſticum corpori elaſtico, motum communicat totum, et haec iterum ſequenti particulae. Ita motus hic, vel potius impulſus in recta linea, quae nempe directio eius eſt, continuo totus transfertur in alias atque alias particulas.

Sed momento eo, quo punctum chordae alicuius ex loco naturali moveri ad unam partem verſus incipit, aeris proxima particula in ſtatu adhuc eſt naturali. Procedente puncto comprimitur, ac eo momento, quo primum compreſſionis gradum ſuſtinuit infinite parvum, ſtatim in adiacentem particulam aeream agere, eamque eodem modo comprimere incipit. Hac incipiente actione ulterius particula prior comprimi nequit, quoniam tantum cedit particula ſecunda preſſioni primae, quantum haec preſſioni puncti vibrantis. Igitur ſi vocemus ſpatium, quod aeris iſta particula in ſtatu naturali occupat, $e$, erit perpetuo ab initio ad finem usque idem ſpatium, quando ſonus in hac particula haeret, $= e - de$; ſimul autem eadem particula motum habebit, motui puncti vibrantis reſpondentem, ita ut quavis ſemivibratione tantum ex loco dimoveatur ſuo, quantum punctum vibrans.

Motus hic particulae cuiusvis aereae minimus eſt, nullumque cum actione particularum in ſe invicem commercium habet. Quare mittamus illum interim, actionemque tantum particularum conſideremus. Ac primo quidem patet, quoniam una particula in alteram exactiſſime eodem modo, ac haec in tertiam, agit, impulſum puncti vibrantis motu propagari uniformi, tempusque propagationis duplum eſſe, ſi multitudo particularum interiectarum dupla; triplum, ſi tripla ſit etc. Deinde vero ſi tempuſculum infinite parvum vocatur $dt$, quo particula aeris quaecunque ex ſpatio naturali $e$ contrahitur in ſpatium $e - de$, hoc idem $dt$ eſſe quoque tempus, quo pulſus ex una aeris particula in proximam tranſit. Dum enim tranſire incipit in particulam quamvis, ſpatium $e$ adhuc occupat particula; dum autem haec in proximam agere incipit, h. e. dum impulſus in proximam particulam transferri incipit, ſpatium contractum prioris eſt $= e - de$.

Cum tempuſculum $dt$ minimum ſit, motus, quo particula ex $e$ in $e - de$ contrahitur, uniformis eſt, velocitasque eius, hoc eſt velocitas, qua impulſus per particulam quam-

quamcunque propagatur, ea, qua tempore $dt$ ſpatium $de$, adeoque tempore $t$ ſpatium $e$ motu percurri poteſt uniformi. Sit z vis aequabiliter agens vel uniformis, quae tempore $t$ eandem celeritatem producat; eritque ſpatium, quod hac vi agente tempore $t$ abſolvitur $= \frac{1}{2} e$.

Concipiamus ergo columnam aeream altitudinis $e$, in cuius ſingulas particulas vis iſta aequabilis $v$ agit ad eandem directionem; eritque preſſio columnae iſtius vi aequalis, quae celeritatem in puncto aliquo producere valet, qua ſpatium $e$ tempore $t$ uniformiter percurrit. (*Bernoulli* Hydrodyn. Sect. XIII. §. 4.). Sed eadem preſſio aequalis quoque erit elaſticitatis preſſioni aereae naturalis, quoniam ab hac re ipſa producta eſt talis celeritas.

Igitur ſi altitudo columnae aereae, cuius pondus, ex actione gravitatis ortum, aequale eſt aeris elaſticitati naturali, vocetur $k$, ſitque $g$ gravitas; erit $g : v = e : k$. Sunt autem vires $v$ et $g$ aequabiliter agentes, quae, ſi aequales celeritates maſſis aequalibus imprimunt, rationem tenent inverſam ſpatiorum, quibus abſolutis celeritates iſtae producuntur. (*Euler.* Mechan. Tom. I. Cap. III. Prop. 26.). Igitur punctum grave cadendo ex altitudine $\frac{1}{2} k$ eandem velocitatem acquirit, quod punctum habet, quod potentia $v$ ſollicitatum ſpatium abſolvit $\frac{1}{2} e$; atque haec eadem eſt celeritas, qua ſonus propagatur.

Cum igitur haec ſoni celeritas tanta ſit, manifeſtum eſt, illum, quem neglexirnus, motum, hanc celeritatem nec augere nec minuere, quoniam minimus eſt; ita ut negligi plane poſſit. Ut autem numeris exprimatur inventa ſoni celeritas, Newtonus, et cum illo Eulerus, elaſticitatem aeris columnae argenti vivi 30. digitos anglic. altae aequant. Gravitates autem ſpecificas ponunt Mercurii et aquae: Newtonus quidem uti $13\frac{2}{3} : 1$, Eulerus autem uti $13593 : 1000$. aquae autem et aeris $= 870 : 1$; ex quo eliciunt velocitatem ſoni eam, qua uno minuto ſec. 979. ped. Anglic. ſecundum Newtonum, et 975. ped. Angl. ſecundum Eulerum, percurrit. Quod cum experientiae plane repugnet, quae

ſonum in Anglia 1142. ped. Angl. uno minuto ſec. conficere docet, Newtonus et Eulerus non easdem huius erroris afferunt cauſas. Newtonus enim multas in aere particulas eſſe ſibi perſuadet, quae ſonum in inſtanti transferant; Eulerus autem pulſus antecedentis propagationem a ſequentibus putat accelerari pulſibus, hincque ſoni totius propagationem fieri celeriorem ea, quae ex demonſtratione pro unico pulſu elicitur. Priorem Newtoni ſententiam Vir Ill. Eulerus ipſe refellit; poſterior autem ſententia neſcio an veriſimilis ſit, quoniam acceleratio talis impoſſibilis eſſe videtur.

Sed pace tantorum Virorum dicere liceat, in quo totius cauſa erroris videatur eſſe poſita. Sumit Newtonus gravitatem aeris ſpecificam ad aquae gravitatem eſſe = 1 : 870, idque vi experimentorum notiſſimorum, quibus gravitas maſſae alicuius aeris prope tellurem exploratur. Sed talis maſſa plurimis perpetuo particulis alienis vaporibusque referta eſt, ita ut ſaepius corpuſcula haec maiorem totius ponderis partem conſtituant, nec ullo artificio plane ab aere ſeparari queant. Nihil autem omnino ad propagandum ſonum iuvant, ſed illum potius impediunt. Igitur quando de aere, in quo ſonus propagatur, h. e. puriſſimo, ſermo eſt, pondus tantum illud aeris conſiderandum venit, quod detractis omnibus vaporibus, immiſtisque particulis alienis, relinquitur. Hoc autem ſine dubio multo minus eſt eo, quod ſumit Newtonus, uti ex ipſis experimentis apparet hanc in rem factis, quae recenſere hic nimis foret prolixum. Argumentis autem haud ita levibus permotus, rationem inter aeris puriſſimi temperati ac aquae gravitates ſpecificas ad minimum eſſe puto = 1 : 1300, et in calidioribus locis maiorem adhuc. Tunc autem ſoni velocitas prodit tanta, quanta ad ſpatium 1154. ped. Anglic. uno minuto ſec. conficiendum requiritur.

Neque hic obiiciendum, quod quidam putant, gravitatem aeris ex corpuſculorum alienorum cum aere commixtione augeri non poſſe; ea enim, quae leviora ſint aere, aſcen-

aſcendere debere, quae graviora deſcendere, reliqua gravitatem aeris ſpecificam non mutare. Haec enim tantum vera ſunt quando corpus aliquod ita magnum eſt, ut tantum ambitum fluidi, in quo eſt, ex loco pellat ſuo, quantum ipſum occupat. Sed corpuſculorum, quae in fluidorum interſtitiis commorantur, longe alia eſt conditio. Ita videmus metalla graviſſima cum menſtruis commiſceri longe levioribus, eorumque gravitatem ſpecificam magnopere augere. Ita ſalia in aqua ſoluta graviorem multo reddunt aquam. Cum igitur aer menſtruum ſit univerſale, ac is, qui prope terram eſt, infinita offendat corpora, quae ſolvat ac in ſe recipiat; nonne et reliquorum menſtruorum more gravitatem eius a talibus corpuſculis augeri dicemus? Qui autem putant chartae bibulae ope, vel cinerum clavellatorum, aeri omnes has particulas alienas poſſe detrahi, errant profecto. Praeter enim vapores aqueos, quos demunt forte aeri hoc modo magna ex parte, infinita alia ſuperſunt corpuſcula, intimius multo quam aqueae particulae aeri iunctae, quibusque aer nulla unquam arte penitus liberari poteſt.

*Dixi* iam ſupra, particulam aeris, quae a puncto quocunque chordae vibrantis propellitur, non agere niſi in eam particulam, quae ſecundum impulſus directionem proxima eſt; ex quo efficitur, ſonum perpetuo in rectis tantum lineis, non autem in curvis, poſſe propagari. Huius rei cauſa eſt, quod primo impulſus momento infinite parvo, particula prior ab altera particula, non vero ab ulla alia, comprimitur, quoniam hoc momento non aliter in illam agit, ac corpus unum elaſticum motum in aliud corpus elaſticum, uti iam ſupra dictum eſt. Secundo ergo momento infinite parvo cedere incipit motu impreſſo particula ſecunda, nec ulla alia, ac tunc perpetuo magis magisque cedit, durante actione puncti vibrantis. Igitur cum altera particula tantum perpetuo cedat, quantum a priore urgetur, haec in nullam aliam, niſi in hanc ſolam, agere poteſt; quoniam nulla vis ſupereſt in priore particula, qua agere in reliquas

par-

particulas poſſet. Similis rei exemplum et in aliis fluidis eſt non elaſticis. Si enim tubo verticali, fundoque inſtructo, aqua infundatur, omnes tubi particulae, in eadem infra horizontalem aquae ſuperficiem verticali diſtantia, eandem ab aqua preſſionem ſuſtinent, directionibus licet maxime diverſis: ſed fundus ſi auferatur, ut pleno fluant aquae orificio, preſſio lateralis omnis omnino ceſſat Eodem modo aer vaſi incluſus, ſi comprimatur, particulas vaſis omnes aequaliter premit, ad directiones quascunque. Sed inde non ſequitur, in propagatione ſoni idem uſu venire. Qui enim hoc modo ratiocinaretur, cogeretur profecto concedere, etiam tubi, per quem aquae pleno effluunt orificio, latera ab aqua premi praeterlabente.

Extra ergo omnem dubitationem eſt, ſonum in rectis tantum lineis incedere, id quod et experientia teſtatur, praecipue in ſonorum reflexionibus. Quid autem ad experimenta, quae contrarium arguere videntur, ſit reſpondendum, optime, uti omnia, docet Vir Ill. *Eulerus,* Opuſc. Tom. I. in Theoria lucis et colorum. Omnia enim in natura corpora transparentia, ut ita loquar, ratione ſoni eſſe, illique pervia, experientia demonſtrat. Igitur auris, ad unum extremum tubi alicuius curvi poſita, eodem modo ſonum audit puncti ad alterum extremum vibrantis, quo oculus in uno extremo tubi vitrei pellucidi curvi conſtitutus colorem percipit puncti in altero tubi extremo radios emittentis.

Diximus, quomodo ſonus, ex noſtra ſententia, per aerem transferatur. Aliorum, plurimorumque eſt opinio, particulam aeris quamvis, dum pulſus in illa haeret chordae vibrantis, agitationem habere motui ſimilem penduli, minimas abſolventis oſcillationes. Ipſe Vir Ill. *Eulerus* talem motum ponere cum Newtono videtur, quem tamen deinde iterum negat, cum Mairani ſententiam refellit. Eſt ſane motus talis nihil praeter figmentum, quod cadere in fluidum elaſticum nunquam poteſt. Poſſunt omnino oſcillare corporis elaſtici particulae, ſed ſolidi, non fluidi; quarum

ſcili-

ſcilicet extrema, (vel extremum unum,) ita firmiter cohaerent cum reliquis particulis, ut quaſi puncta fixa ſint. Si aeris quaedam particula ſola eſſet in vacuo, firmiter alii corpori cuicunque affixa, tunc ſane quaſi pendulum vibraret a quovis impulſu. Sed aliis circumfuſa undique aeris particulis, quibus leviſſime cohaeret, motus talis capax numquam eſt.

## *ALSATIA ILLUSTRATA, GERMANICA, GALLICA. TOMUS II. Auctor IO. DANIEL SCHOEPFLINUS, Conſil. et Hiſtoriographus Regius.*

Colmariae 1761. ex typographia regia, 4. Alph. 14. plagg. in fol. *Recenſio altera.*

Abſoluta nuper illuſtris Schoepfliniani operis parte ea, quae geographica eſt, iam ad Sectionem alteram accedimus, quae genealogico hiſtorica inſcribitur. Qua in parte multa illuſtria nomina occurrunt. Nam ſplendidiſſimae familiae multae Alſatiae ortum ſuum debent. Nos hic Etichoniam abigentem conſideremus; quae ſtirps praecipue Habsburgicis luminibus clara eſt. Nam familia Imperatorum Germanicorum inde eſt. Cui ut antiquitatis gloriam conciliarent, miris modis, vario tempore, multa commenti ſunt genealogici ſcriptores, ita ut etiam a Troianis temporibus inciperent; ſed exploſa eſt dudum iſtorum hominum ſtultitia.

Auctor celeberrimus, quantum potuit, collegit et conciliavit diverſas doctorum virorum ſententias, quae ad hunc circiter modum habent breviter. Etichoniae gentis duas praecipue ſtirpes ſcimus: alteram a Luitfrido, alteram ab Eberhardo ortam. Sed haec omnia nimis prolixa forent ſi quis hic ſigillatim vellet enarrare. Ergo hoc tantum notamus, Habsburgicae genealogiae rationem eſſe hanc, ut ab Etichone, per Adelbertum et Luitfridsgenas, ad Guntramnum Divitem usque, et ab hoc usque ad Rudolphum Caeſarem procedat. Eberhardi autem poſteri duos quaſi ramos efficiunt, alterum Egisheimio Dagsburgicos, alterum Egis-

 hemio

hemio Lotharingos complectentem. Landgravii ſuperioris Alſatiae in duas claſſes dividuntur, ac periodos, quarum prior vaga appellatur, quod temporarios et promiſcuos provinciae Comites, diverſisque e gentibus, continet; fixa autem eſt eorum, qui Landgraviatum hereditario iure, et vinculo feudali poſſederunt, Landgravii dicti, non Comites. Fixa porro Dynaſtia in Habsburgicam, et Habsburgico Auſtriacam dividitur. Inferior Alſatia Dynaſtiis quatuor potiſſimum adminiſtrata eſt. Prior vaga dicitur, ubi Eberhardi poſteri plerumque praefuere, quibus ſucceſſerunt dehinc alii, Metenſes, qui adfinitate adiuncti iis erant, quos Werdenſes Comites exceperunt. Horum ultimus fere Ulricus, generum ſibi adſcivit Fridericum Oetingenſem comitem, unde Dynaſtia ad Oetingenſes devenit. Iam ad Caeſareos Alſatiae rectores veniamus, a Ducibus facturi initium, quos Advocati provinciales ſequentur. Vagam Ducum Alſatiae periodum in Burchardo cepiſſe, in Rudolpho Anti-Caeſare deſiiſſe, videmus. Deinde Staufenſis proſapia id obtinuit a Friderico, genero Henrici IV. Imp. usque ad Conradum V. qui in Italia ſcelere Caroli Andegavenſis periit. Quo pacto deinde Ducatus cecidit, neque eius formula unquam reſtituta eſt. Advocatorum autem Caeſareorum valde ferax Alſatia fuit, quorum duae ſunt claſſes. Prior vaga dicitur, dividiturque in eam, quae ſub ducibus, et eam quae poſt duces extinctos fuit. Stabilis autem quae dicitur claſſis, varias iterum Epochas habet: Palatinam, Auſtriacam, Gallicam. Advocatiis provincialibus Alſatiae, ſingulares civitatum et caſtrorum imperialium ſubſtitutae ſunt, eaeque plurium plures. Sed inter alias Keiſersbergenſis praevalet: primum quoniam latior, deinde quoniam diuturnior ceteris eſt; nam cum Provinciali ſola haec adhuc durat. Poſt imperiales Advocatos iam de Auſtriacis verba facienda ſunt. Olim procuratores erant, poſtea Advocati ſucceſſere, qui terris in Alſatia Habsburgico Auſtriacis eſſent praefecti. Duces autem Franciae Orientalis, quae cis Rhenum collocata eſt, a Conrado I. usque ad Conradum V. proceſſere.

Spiri-

Spirigoviae Comites et Advocatos provinciales enumeravit Auctor deinceps: manſit ea rerum facies, donec omnia per oppignorationes proceribus imperii factas debilitata, tandemque deleta ſunt, ut ex hiſtoria eorum temporum conſtat. Comites ergo et Dynaſtae alii reſtant. In Alſatia ſuperiore ſunt Comites Phirretenſes, Dynaſtae autem Moerspergenſes, Horburgenſes, Bollvillani, Rappoltſteinenſes, Dominique de Girsberg. In Alſatia inferiore ſunt Comites Lucelſteinenſes et Lucelburgenſes, Dynaſtae Ochſenſteinenſes, Geroldſeckii, Huneburgenſes, Lichtenbergenſes, Barones a Fleckenſtein, Ettendorfii Dynaſtae. Sunt autem etiam peregrini nonnulli Dynaſtae, quaſi inſerti; ſunt etiam intermortuae familiae, de quibus nonnulla diſſeruntur. Inferior Nobilitas olim non ſic dicebatur. Duces enim, Comites, et Dynaſtae, medio aevo ita appellabantur: illi vero potius ingenui, liberi homines, miniſteriales et milites, quod honeſtior militia apud illos erat; inde poſtea Dynaſtae, equites aurati. Militum etiam ſic dictorum diverſa genera. Sed ingens numerus eſt familiarum extinctarum nobilium, quod inſtituto illi, ut iuniores filii clerici fierent, et turbulentiſſimis iſtis temporibus tribuendum eſt: illarum ſeriem ſecundum literarum ordinem Auctor noſter digeſſit, ita ut, quae a Seculi XII. temporibus apud Alſatos una poſt aliam extinctae ſint, commemoret. Superſtites autem familiae in duas diviſae ſunt claſſes, quarum utraque olim ſoli Imperio ſubiecta erat, ſed creſcente procerum potentia ſubactae ſunt. Praecipue vero Alſatici equites, poſt Conradinum Neapoli interemtum, ſe liberos fecerunt, ſed redacti ſunt tamen ſub poteſtatem. Superioris Alſatiae equites domiti ab Auſtriacis; inferioris autem inita ſocietate diutius ſe in ſtatu ſuo ſervarunt, donec etiam hi poſterioribus temporibus a Gallis ſubiugarentur. Nobiles Alſatiae ſuperioris e Germanica periodo ſunt: *Baerenfels*, Eptingen, Froberg, Ieſtetten, Kempf, Landenberg, Phirdt, Reich de Reichenſtein, Reinach, Rotberg, Schauenburg, Truchſes de Rheinfelden, Waldner de Freundſtein, Weſſenberg, zu Rhein. Inferioris Alſatiae nobiles

ſub Germanica periodo inveniuntur: Andlau, Berckheim, Bernhold, Berſtett, Bock, Boecklin, Buch, Dettlingen, Eckbrecht a Dürckheim, Flachsland, Gailing de Altheim, Haffner de Waſſelnheim, Heindel, Hüffel, Ichtersheim, Iohann de Mundolsheim, Kageneck, Kirchheim, Landsperg, Mullenheim, Neuenſtein, Oberkirch, Rathſamhauſen, Reichii de Platz, Roeder a Dierſpurg, Schoenau, Wangen, Weitersheim, Wetzel de Marſilia, Wurmſer, Zorn, Zuckmantel. Supereſt nunc Alſatiae illuſtratae periodus Gallica. Quae, quoniam praeoccupata iam erant plurima, non magnam molem efficit, praeſertim cum laudandus ſit, qui de ſuis temporibus prudenter et conſulto tacet. Anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo octavo ius omne in Alſatiam traditum eſt Gallis, a quo tempore Periodus Gallica incipit. Quamquam enim iam ab anno triceſimo ſecundo in Gallorum atque ſociorum manu fuerit, tamen, quoniam confeſſio adverſariorum ſolennis deerat, dubia potius ea tempora fuerunt. Ratio autem gubernandae Alſatiae nunc eſt haec, ut per ſua tempora ſagatos togatosque rectores accipiat. Enſisheimenſe Regimen, quod magnae auctoritatis ſub Germanis erat, primo Briſacum, inde in oppidum S. Ludovici, denique Colmariam translatum, atque in ſupremum Alſatiae tribunal converſum eſt. Sequitur catalogus praefectorum regiorum in Alſatia ſagatorum et togatorum, Gubernatorum, Intendentium, et Praeſidum, qui in tribus adverſis columnis typographicis collocati ſunt. Externae familiae, quae ius Indigenatus in Alſatia adquiſivere, ſunt potiſſimum Marchiones de Roſen; ex nobilibus autem: Anthes, Barbaud, Bergeret, Beſenwald, Betz, Clebſattel, Cleri, Cointet, Feriet, Gohr, Hoen de Dillenburg, Maltzen, Marſilli, Nardin, Peſchery, Poltier, Reutner, Riboulet, Stadel, de la Touche, Vignacourt, Walcourt. Hae familiae in Alſatia ſuperiore. In inferiore autem: Birckwald, Callaghan, Dietrich, Falckenhayn, Forſtner, Gail, Gayot, Glaubitz, Guntzer, Hatſel, Klinglin, Mackau, Ocahan, Sandersleben, Schenck de Schmidburg, Spon, Streitt ab Immen-

mendingen, Weber. Nobiles Alſatiae, non inſcripti matriculae, ſunt: Loewenhaupt, Luzelburg. Nobiles ex Alſatia digreſſi: Oſtein, Bettendorff, Gremp de Freudenſtein, Ulm, Zinthii de Kenzingen. Accedit in opere Geographica Alſatiae Gallicae delineatio per ſubdelegationes, et Ballivatus, quae breviter delineantur: ſed nos pauca tantum excerpemus. Argentina, civitas regia, habet focos 9634. quinque homines ſi unicuique foco tribuamus, erit numerus 48170. Homines clerici quingenti. In Noſodochio, Orphanotrophaeo, et ergaſtulis 1200. Erunt igitur quadragena novem millia, octingenti et ſeptuaginta homines; quibus accedunt cives academici, militesque praeſidiarii; quorum tempore pacis ad minimum quinque millia numerantur. Numerus univerſorum Alſatiae incolarum Chriſtianorum et Iudaeorum eſt circiter 445044. Tabulae autem, quas auctor ſecutus eſt in hoc cenſu, ſunt anni quinquageſimi huius ſeculi noſtri. Sed manum de Tabula.

Haec habuimus, quae quaſi lineas tanti operis ducentes excerperemus. Iam nobis aliquis praeteritorum ſeculorum induſtriam narret, ut detrahat noſtro! Fruſtra id quidem, ſi multos Schoepflinos habeamus. Grati civis magnum documentum, ita patriam ſuam ſcriptis illuſtrare, labore ornare. Qua in re nihil addimus praeter hoc unum, nos ad proſequenda coepta otium et felicitatem precari illuſtri Schoepflino, a cuius vita atque incolumitate multa reipublicae litterariae ornamenta pendere teſtatum omnibus eſt.

*CHRISTIANI LUDOVICI BILFINGERI, MED. LIC. et Reipubl. Suevic. Isnenſis Phyſici Ordin. de Tetano Liber Singularis Theoretico-Practicus, Monumentis veterum ſuffultus, et Obſervationibus recentiorum propriisque illuſtratus, quo ſimul omnis Convulſionum Theoria novo Schemate ſtudioſe dilucidatur.*

Lindaviae 1762. impenſis Iacobi Ottonis, pl. 17. in 4to.

Quo occultior eſt natura morborum nervos obſidentium, eo maiorem laudem Clariſſ. Auctor meretur, quod ſingulari ſtudio Tetanum, morbum non oppido frequentem, pertractavit. Cuius notionem antiquae doctrinae congruam proponens, Tetanum univerſalem eſſe dicit obrigeſcentiam plenariam corporis erecti totius, ſine febre, acute decurrentem; particularem autem eſſe, ſi partes ſingulares tantum obrigeſcant. Morbus is aut ſubito invadit, aut pedetentim hominem prehendit, magis ac magis invaleſcens; eſtque modo brevis, modo acutiſſimus, modo paroxyzans et habitualis. Tetani particularis ſpecies ſunt triſmus, ſpaſmus cynicus, Strabiſinus, priapiſmus. Poſthaec docetur huius morbi differentia a ſpaſmo ſeu convulſione, opiſthotono, emproſthotono, Catalepſi, epilepſia, motibus vagis convulſivis, paralyſi, rheumatiſmo, anchyloſi, febrili rigore. Enarrantur deinde aliquot Tetani hiſtoriae, quarum prima ex Tomo II. Comment. in Aphoriſm. Boerhavii ab Illuſtri Swietenio edit. ſecunda ex Petri Salii Diverſi Libro de febre peſtilenti, tertia ex tentaminibus Medicorum Edinburgenſium deſcripta eſt: quartam Auctor ipſe, cum doctrinarum ſtudiis operam daret, Tubingae teſtis ocularis memoriae mandavit. Ex his atque iis, quae antea collegit, veterum locis, ſymptomata recenſet, tum antecedentia, tum concomitantia, tum conſequentia morbum. Morbum antecedunt capitis dolor, gravitas, dolor ſub cartilagine enſiformi, qui quidem tam frequenter praecedere ſolet, ut et a *Chalmerio*, ſcriptore Britanno, pro ſigno pathognomico habeatur; porro lipothymia, ſyncope, tremores artuum, pectoris et abdominis elevationes alternantes. At morbi comites ſunt inferioris maxillae ad ſuperiorem firma adductio, deglutiendorum retruſio in nares, et fauces et tonſillae durae, ſenſuum alio tempore integritas, alio abolitio, corporis frigus ingens, pulſus debilis admodum, ſpiratio alias bona, alias mala, oculi fixi, urina ſuppreſſa. Morbum ſequuntur artuum iactatio, membrorum ſtupor dolorque formicans, ſitis vehemens, difficilis tamen ab initio deglutitio potu-

potulentorum, cutis mador, aut ſudor etiam, praeteritorum ignorantia, dolorum ſenſus quidam ſuperſtes, magna laſſitudo cito tranſiens, certa quaedam inquietudo in infimo ventre, leviores inſultus lipothymici, tum quidem, quando malum ſaepius recurrere conſuevit, animus cogitabundus atque ſubtriſtis. Ad cauſarum explicationem tranſiens Auctor, ingenue fatetur, ea nihil eſſe difficilius. Nam de cauſis remotis, et occaſionibus, multa probabiliter quidem diſſeri poſſunt. At ſi cauſam illam proximam mali, a qua ceu fonte communi omnia ſymptomata procurrunt, detegere velimus, voti compotes nonniſi perquam raro fieri poterimus. Quod tamen ab ipſa indagatione deterrere neminem debet. Quare et Cl. Auctor ipſe Tetani cauſam proximam ponit obrigeſcentiam muſculorum corporis extenſorum; cuius cauſa in copioſiori influxu fluidi nervei in muſculos illos quaerenda videtur. Remotiores autem cauſae permultae ſunt. Quo pertinet nimius rigor nervorum connatus; muſculorum antagoniſtarum laeſio; pars nervi praeciſa; fluidi nervei peccans indoles; nervorum obſtructio; ſanguinis craſſities; vaſorum obſtructiones; animi commotiones vehementiores; affectiones hypochondriacae, melancholicae, haemorrhoidariae, vulnera, polypi, humorum prava indoles; excretionum ſuppreſſio, exanthematum itemque podagrae repreſſio, vitia in fabrica cerebri; medullae ſpinali applicata irritatio quaevis, vermes, primarum viarum ſaburra, venena, frigus nimium, inebriantium potus immodicus, regiones orientales, et meridionales. Sedem cauſae morbi Auctor ponit in ſumma parte medullae ſpinalis, ſic tamen, ut fateatur, ſubinde ipſum etiam cerebrum, nec non octavi paris nervum acceſſorium, aut quintum etiam par nervorum cerebri, par vagum, et nervum intercoſtalem. Futurorum praedictiones vel pertinent ad acceſſum mali, vel ad adventum eius. Morbum inſtare oſtendunt mentis emotiones non admodum feroces; capitis dolor; ſtupor; delirium; alvus ſuppreſſa; oculorum ferocitas; pueris ſub febre acuta venter non reſpondens; vigiliae;

ter-

terrores; eiulationes; caloris mutationes. Lethalem eventum praenunciant cauſae valde magnae: urens febrium acutarum ardor; vulnera mala; nervi ſemidiſciſſi; abortus; diarrhoea ſudores copioſos excipiens; volvulus; nimiae vigiliae; hyperemeſis et hypercatharſis; vox intercepta; ſudor vehemens; maxillae ſubitanea ſolutio, reliquo corpore in Tetano manente; convulſio ex ſomno; aetas ſenilis. Spem vero faciunt aetas puerilis; ſexus ſequior; affectio hyſterica; hominis corporis conſtitutio humidior et frigidior; dies critici praeterlapſi; gradus morbi non ſummus; febris aut quartana aut acuta ſuperveniens; urinae variae; alvi fluxus moderatus; ſudores paulatim prodeuntes.

Medendi methodum oſtenſurus cl. Auctor, animadvertit indicationes, quas veteres ad ſolvendum Tetani paroxiſmum formarunt, eſſe rerum naturae convenientes, et vix fore quod addas, ſi morbum abſoluto paroxyſmo, radicitus tollere conati eſſent. Itaque auctor veſtigiis antiquorum inſiſtens, duplicem proponit curationem, alteram ſub ipſo paroxyſmo, alteram paroxyſmo finito, inſtituendam. Prior ipſa duplex eſt. Aeger enim deglutire aut poteſt, aut non poteſt. Si non poteſt, ſuadetur capitis, ſpinae dorſi, ventriculi inunctio ex eſſentia caſtorei, ſpiritu C. C. Sale volat. ſuccin. oleo animali Dippelii, aut eorundem ſimiliumque infuſio in alvum, praemiſſo enemate eccoprotico; revulſio ad partes alias per ſcarifationes, aut etiam enemata; partium ſpaſmo conſtrictarum relaxatio ope unguentorum maxime emollientium, cataplaſmatum, balneorum, embrocationum, ſtragulorum mollium, et calorem corporis revocantium foventiumque. His vero, ſi aeger devorare poteſt, iungi debent infuſa ex herbis aromaticis, item gummi ammoniacum, nitrum, vera antiſpaſmodica remedia, liquor C. C. ſuccin. caſtoreat. oleum animal. Dippelii, crocus, camphora et ſimilia: opio non aeque favet Auctor. Poſt paroxyſmum cauſae tollendae ſunt: emendandus eſt rigor fibrarum nervearum; cui propoſito conveniens putatur infuſum radicis graminis, ſaponariae, item thermae Toeplizenſes, Fa-

bariae,

bariae, Schleuſingenſes, et ſimiles. Prava indoles nervei fluidi corrigitur per ea, quae ſanguinem purgant Nervorum obſtructiones aperiunt medicamenta ſalina, reſolventia generis mitioris, lumbrici, millepedum ſuccus. Craſſities ſanguinis ſimilia poſtulat. Eius vero motus temperantibus in ordinem cogendi, et quae ſunt ſimilia. Ad prophylaxin utiles iudicantur aquae aromaticae, ex herbis cum vino deſtillatis. Si Tetanus periodicus factus eſt, paulo ante recurſus tempus adhibenda ſunt remedia cauſis, quae primum Tetanum generarunt, contraria, et magna cura habenda, ne circa res non naturales peccetur; ſanguis etiam mittendus, alvus lenioribus ſolvenda, pediluviis, balneis, corpus molliendum eſt, atque fovendum.

*FLORIANI DALHAM, CLERICI REGUL. E SCHOLIS piis, Philoſophicarum et Mathematicarum diſciplinarum Hiſtoriarumque Profeſſoris Vindobonae, in Academia Sabaudica, Caeſareae Regiaeque Scientiarum Academiae Roboretanae Socii, de ratione recte cogitandi, loquendi, et intelligendi, Libri III. in quibus praecipua Logicae, Criticae, et Hermeneuticae capita illuſtrantur: ad ampliſſimum et honoratiſſimum virum, GEORGIUM PARKERUM, Comitem Macclesfieldium, Regiae Societatis Scientiarum Londinenſis Praeſidem.*

Auguſtae Vindelicorum 1762. ſumtibus Matthaei Rieger, Bibliop. 2. Alph. 6. plagg. in 4to.

Meminimus, praeterita hieme nos excerptum haud ita breve ex hoc libro commentariis noſtris inſerere. Sed illud ipſum conſilium, neſcimus quomodo, nunc nobis diſplicet: quod aut omnia transferenda ſunt, quod non recenſere librum eſſet, ſed quaſi totum edere; aut lineae quaedam ducendae, omiſſis ſingularibus, quod in ſyſtematibus et compendiis laudandis minime ſufficit. Nam Helenam ſi quis

vellet pulcerrimam oſtendere, ſi ſceleton, quod aiunt, nobis compoſitum ex iſtius foeminae oſſibus oſtenderet, nihil oſtenderet quam quod commune eſſet pluribus; praeſtantiam ſpeciei integram vix ex eo intelligeremus. Sic Logica, ſi nihil niſi oſſa haberet, pulcra et amabilis neutiquam eſſet. Qua re ne oſſeam aliquam compagem pro Dalhamiana copia et pulcritudine Lectoribus ſiſtamus, brevitatem ſecuti cum diſpendio rerum praeſtantiorum, omiſſis de opinione, dubio, hypotheſi, errore, et ignorantia capitibus, de fide divina et humana ſecundum auctorem quaedam, age, videamus. Fides enim eſt mentis aſſenſus, qui alterius teſtimonio perhibetur; haec divina dicitur, ſi obiectum in Deo, diviniſque rebus habet, ſi auctore Deo nititur; humana, ſi ſecus. Iam, ut nobis de auctore aliquo conſtet, ſi res, ſi ratio loquendi ab eius aetate, conſuetudine, et ſic porro recedat, ſi ſtulta, ſi impia inveniantur, a quibus abhorruiſſe ſcimus eum qui libri auctor dicitur, ſi, quae poſt eius aetatem demum orta ſunt, aut innotuere, inſint, ſi quaeſtiones et controverſias tractet ſua aetate inferiores, liber aut ſuppoſititius, aut interpolatus habebitur. Idque eo magis, ſi coaevi aut memoriam eius libri nullam faciant, aut reiiciant etiam. Quae omnia ſi rem falſam non reddunt, tamen ſuſpectam; quod accurate tenendum. Auctori ipſi fides erit, ſi ſublimia tractet is, qui par ſublimibus eſt; res ſenſuum ſimplicitati ſubiectae etiam a rudioribus accipi queunt; ſuum qui ſenſum adhibuit non raro plus fidei habet, quam qui alienum; ſi animus eius occupatus fuit, multum decedit auctoritati; ſi allegorias amat, et fictiones ingenioſas, hiſtoricis in rebus parum valebit; qui hauſit ex aliis, auctoritatem etiam e fontibus demum habet. Si tacet praeſtantior, qui rem ſcire potuit, ſcivit, ſcribere potuit, debuit, ſcripſiſſetve ſi vera eſſent, id argumentum a ſilentio ſaepe non parum valet. Divinae fidei potiora capita ſunt haec: ſi et utile et neceſſarium eſt, Deum ſe nobis manifeſtum reddere, ſi falſae revelationes a vera facile et clare diſtingui poſſunt, ſi iudicium eccleſiae, i. e. eorum qui rem intelligunt, et intelligere poſſunt, adſit,

ſit, et quae ſunt alia. Quae quoniam a Theologis uberrime tractantur, non opus eſt hic plura dicere. Conſentire vero rationem et fidem, in quo oppugnando arcem ſe petere rerum intelligunt homines improbi, egregie auctor declarat cum multis aliis. De neceſſitate, ut definitas et claras de rebus ideas animo infixas habeamus, quoque id modo ſit inſtituendum; porro de utilitate rationeque diviſionum, nihil iam ulterius dicemus, quoniam melius ea evolvi apud A. poſſunt, ſicut etiam ea capita, quae de argumentatione univerſa, de ſyllogiſmo, de enthymemate agunt. E quibus omnibus ſaepe inter ſe connexis, aptoque modo concluſis, demonſtratio oritur, id eſt argumentatio, quae e certis principiis propoſitionem unam vel plures elicit, intellectumque hoc modo quaſi illuſtratum ad certitudinem ducit. Sed pro ratione diſciplinarum, primum principia, deinde etiam modus tractandi, tandemque concluſarum rerum ratio differt, quae omnia diligenter ſervanda ſunt. Principia quidem ſunt, aut intellectus, aut experientiae. Poteſt autem unum principium multarum concluſionum ferax eſſe. Demonſtratio vero ſive ſit a priori, quae a cauſſa ad effectum procedit; ſive a poſteriori, ab effectu ad cauſſam, diligenter examinanda eſt, quo ſine univerſa ars nihil eſt. Argumentatio ad hominem, quam aiunt, non tam quid verum ſit, quam quid ex alterius opinione fluat, videt. Oritur autem ex his ſcientia, id eſt, ut in veritate percepta acquieſcamus. Solent vero diſciplinae quoque ſcientiae appellari; quae, ſi tantum in contemplatione verſantur, ſpeculativae dicuntur, ſin actiones exigant, ut finem ſuum, practicae. Integro capite adverſus Scepticos Auctor diſſerit, hominum genus in poenam non philoſophiae, cui ſaepe etiam profuit, ſed philoſophorum natum: qua in tota diſputatione nobis ſe ille valde probavit. Lepidum caput eſt de Sophismatibus veterum, quo multa iucunda et utilia narrantur, veluti etiam tota ars ſophiſtica melius auditur, quam refellitur. Pedantiſmum ſi cui volupe eſt cognoſcere, adeat caput octavum, quod ita acute et copioſe ſcriptum eſt, ut nihil ſupra. Idealiſmus,

liſmus, qui in eo continetur, ut extra ideas nihil quicquam eſſe dicamus. Fanaticiſmus, qui in praevalente imaginatione eſt, deprimit reliquas facultates. Enthuſiaſmus peculiari divina aut ſupernaturali inſpiratione ſe agi credit: quam ob rem deinde vehementior praeter cauſſam appetitio, aut averſatio alicuius rei, enthuſiaſmus dicitur. Hi, ut ſunt graves morbi, et credere neſcii, ita communes ſaepe multis; cuius rei exemplis ferax eſt vita humana. Analogia, quae eſt affinitas, qua res diverſae alias inter ſe conveniunt, quamquam eſt interdum valde fallax, tamen ſaepe et invenit, et confirmat res valde bonas. Nam ubi ſimilitudo eſt rerum, proprietatum, cauſſarum, effectuum, ubi notitia haberi poteſt, etiam in iis haud ſine cauſſa id valebit, quae nondum ita cognita habemus. Quam ob rem ad ſimilitudinem hic argumentamur; quamquam id argumentum tantum valebit interim, donec certiora afferantur, ſive pro rei veritate, ſive contra. Methodorum omnino varia ſunt genera. Erit autem methodus apta idearum, cogitationum, et argumentorum diſpoſitio, qua breviter, clare, et facile veritas demonſtratur, cuius regulae in univerſum ſunt hae: primum ut quaeſtio ipſa quam accuratiſſime et luculentiſſime proponatur et definiatur; deinde ut argumentis firmis corroboretur; porro diſtinguere in ſuas partes, prout id et rei et inſtituto aptum fuerit. Iam a facilioribus ad difficiliora, ab intellectis ad non intellecta progreſſus fieri debet: denique et firmae res ſint, et firmiter inter ſe cohaereant, oportet. Opus vero eſt ad hoc praeſtandum viro exercitato in ſuo genere, praeterea magna ſolertia. Nam ſi vel plurimum regularum complexi fuerimus, tamen ubi ad rem venitur, quaſi tyrones iterum ſumus, quod multis accidit, qui praeceptis abundant, exempla de ſe ipſis praeſtare non poſſunt. Sunt autem duo genera ſumma methodorum, Analyticum et Syntheticum: quorum illud a peculiari quadam re, concretam dicunt, adſcendit ad generaliora; hoc autem a generalioribus potius ad ſpecialiora deſcendit. Utrumque variis regulis ſubiectum eſt, quae in ſe ſunt neceſſariae, ſed ſine multa

exer-

exercitatione parum proderunt. Iam de methodo, Socratica quae dicta eſt, ut per colloquia et amicas interrogationes verum inveniatur; porro de μεθοδείαις Compilatorum, Plagiariorum, de methodo eius, qui epitomam nectit, de logomachia et eriſtica arte, ſi artes ſunt, ſubtiliter diſſerit Dalhamus noſter; quae res digna lectu eſt, quoniam rarius ſcribi de his rebus ſolet. Ars vero eſt apta et conveniens collectio et diſpoſitio regularum et actionum, idem fere cum ſcientia, noſtro ſcilicet ſignificatu. Quam ob rem operationes fortuitae ars non ſunt. Omnis enim ars haec duo habere debet, contemplationem, et operationem. Seriem harum artium et ſcientiarum, quam contexit auctor noſter, eam relinquimus benevolo lectori evolvendam. Humanam autem imbecillitatem, quamquam in ſe ipſo nemo fere agnoſcere ſolet; quod proximum tamen erat; ita neceſſarium tamen eſt cognoſcere, ne nimium forte nobis tribuamus. Nam neque corporis animique connexionem ſcimus; neque quomodo alii ſpiritus in nos agere poſſint. Cauſſarum ignoratio ſaepe efficit ut cauſſas indagemus, ubi res ipſa numquam vere extitit. Auctoritatis vis tanta eſt, ut ſaepe integra ſecula ab uno aut altero errante in errorem adigantur, deinde avitarum opinionum memores nihil amplius ſapimus, externa rei ſpecie decepti, huic immoramur, numquam ulterius penetrantes. Sic quoque genus dictionis interdum admirati, res parum curamus. Porro, ſi quid non ſtatim intelligimus, aut probamus in univerſum, id reiicimus mox, tanquam infirmiores aegri cibos paullo ſolidiores. Hinc tot diſſenſiones etiam doctiſſimorum virorum, nec compoſitae nec componendae, haud parvum indicium noſtrae imbecillitatis. Multitudini ſic vel aliter ſentientium ſaepe tribuimus, quod argumentorum ponderi tribuendum erat. Inſtabilis porro turba ſumus, inque annos mutamur, modo ſic, modo aliter. Eminemus libenter ipſi, quocunque id modo fieri poſſit, alios nolumus eminere, iisque detrahimus, torpemus in faciendis operibus, caligamus in perſpiciendis rebus, et plus ſaepe fortuitus caſus, quam omnis noſtra opera in-

venit, et efficit. Quae ſi quis omnia velit conſiderare accurate, modeſtius de ſe ſentiet, demet ſuperbiae, addetque viribus ſuis. Quibus impedimentis ſuperatis qui eluctari vult, veritatemque ſectari, primum ut voces ſibi clarae ſint curet; deinde ut res; praeterea neque ſibi, neque aliis nimis fidat. Nam homines ſumus, liberique et expediti veritatem ante omnia ſectemur, quantum quidem pro modulo noſtro fieri poteſt. Magna praecipue cautio in principiis ſtabiliendis adhibenda eſt, ſive ea ſint in claris ideis, ſive in enuntiationibus univerſalibus, ſive denique in complexu plurium, quem Syſtema ſolemus nominare, coniecturas fortaſſe latine diceres et Problemata. Caveamus autem auram popularem, gloriamque, aut alia caduca commoda ſpectare, ne animus, qui quaſi arbiter honorarius ſedere debet, eo pacto corrumpatur. Fortes porro eſſe debemus, patientesque laboris, ac taediorum, qualia multa obrepunt, praeſertim cum primae cogitationes non ſemper ſint optimae, ut continuandus adeo ſit labor. Denique ut aliorum iudicia de nobis, neque magni, neque parvi faciamus, quorum alterum laborioſum, alterum periculoſum eſt. Habent praeterea noſtra tempora vocem, qua ſenſum accuratum recti, veri, utilis, et decori in unaquaque re ſolent appellare, bonum guſtum id appellant. Deſcribitur vero ſic, ut ſit ſenſus decori, commodi et utilitatis, e rerum ordine et diſpoſitione prodeuntis, cum quadam animi voluptate coniunctus; qui quamquam naturae aliquid debeat, tamen ſtudio et labori plurimum debet, conſuetudinique cum virorum eruditorum colloquiis, mortuorum libris, ut attenti ſimus ad omnes res, avidique nova diſcendi, nihil usquam ſupervacanei faciamus, aut loquamur, aut ſummis idonei, aut mediocribus apti fiamus, adſueſcamusque bonis, idque variis et multiplicibus. Reſtant duae aliae Logices partes, quae in loquendo et interpretando continentur. Nam de loquela ipſa, praeſtantiſſimo Dei in mortales munere, quid attinet dicere ῥητορικῶς, quae ut ſigna cogitationum noſtrarum exhibet, et communicat, ita etiam ſaepe alia ſigna ſer-

ſermonis vicem gerunt. Voces autem, ſoni illi articulati, quos arbitrium hominum plurium, qui in ſocietatem coiere, conſtituit, ideas declarant, quae in nobis ſunt, nam alienas non niſi demum per aliud quid cognoſcimus. Homines autem perſaepe in voce conveniunt, ideas pro diverſitate animorum alias ſubſtituunt, aut etiam contra; e quo multa incommoda oriantur neceſſe eſt. Sunt voces, quae ſimplices ideas declarent; ſunt quae complexas, aliae ſubſtantias, aliae modos, hae abſtracta, illae concreta exprimunt, generales, ſpeciales, adaequatae, inadaequatae, clarae, obſcurae, aequivocae, analogae. Ridet auctor, et merito, vanitatem eorum, qui in novis rebus nova nomina refugiunt, quae neque Cicero ipſe, prout erat vir minime ſcholaſticus, refugiſſet. Sed in univerſum Horatius recte, qui voces foliis cadentibus comparat, et renaſcentibus. Voces ſane parum conſtantiae habent, quod ideas in hoc homine abſolutiores, in altero non accuratas, idem nomen ſignificat; ſaepe deſunt voces, ubi quid curatius definiendum deſcribendumque eſt; ſaepe ſunt ambiguae, nec ſufficiunt ad conſtituendas accurate ideas; ſaepe temporis ſucceſſu mutant ſignificationem; ſaepe a ſimilitudine potius quadam, quam a rei natura ſunt traductae; ſaepe anomalae, aequivocaeque, idque ut vix ſentiamus, niſi poſt incommoda accepta. Nec lingua linguae aequalis eſt, ſicuti nec natio nationi. Inde Idiotiſmi et rerum et ſententiarum, quibus accurate exprimendis alia lingua non ſufficit, et peculiaris comitas, quae transferri ſine detrimento vix poteſt. Saepe nocet conſtructio claritati; ſaepe rhetoricus ſtilus ſinceritati idearum obeſt, qui magis quid placeat moveatque, quam quid accuratum ſit, ſpectat. Saepe voces obſcurae et perplexae finem, propter quem voces omnes inventae ſunt, omittunt. Animi humani ut plurimum e climate trahunt, ſic etiam linguae duriorem pronuntiationem ſeptentrionales rigidioresque populi retinent, alii lenius omnia dicunt. Orientales fervidum dicendi genus ſectantur, ſunt enim ipſi fervidi. Septentrionales ſimplicius ſolent loqui. Mutantur linguae ut

veſtes,

veſtes, praecipue quae vivae dicuntur. Nam pendent haec omnia a ratione reipublicae, morum, fortunae, religionis etiam. Eſt etiam una lingua altera aptior ad artes ſcientiasque prodendas; et ſi pure loqui velimus, i. e. uſitatis verbis uti, ſaepe rei nocetur, quae fortaſſe verbis modisque loquendi aliis uti debet; quod gaudemus auctorem noſtrum vidiſſe, cuius auctoritas eo maior in hac re eſt, quod ſcit latine ſcribere, etiam ſine inani affectatione. Haec igitur de vocibus. Stylus ipſe, qui eſt compages verborum, phraſium, et periodorum, ita variat uti vultus humani. Pendet enim a natura rerum, quae tractantur, pendet ab animis ſcribentium; alius ſublimior, alius inferior, medius aliquis etiam inter utrumque. Docentis praecipue eſt, facilibus verbis uti, et ſignificantibus, recidere quae poſſint recidi, attemperare ſe indoli eorum, quibus dicit. Linguam univerſalem, h. e. talem, quae omnibus communis ſit, conati ſunt aliqui invenire, ſed res voti eſt. Et ſi quando ſuccedat negotium, mirabile id ipſum erit quod ſucceſſit. Non ſuffecerat loqui, niſi ſcribere quoque poſſemus, ut vocum noſtrarum diuturnum aliquod ſignum eſſet; quae ars quando inventa ſit, rudibus fortaſſe initiis, non ſatis conſtat. Hieroglyphicas Sinenſesque figuras ſcimus. Phoeniciae et orientales modi ſcribendi, et apud diverſiſſimos populos, etiam quam diverſiſſimi. Neque eidem materiae ſuperſcripſere literas, neque eadem re literas duxere. Oritur hinc ars Diplomatica, quae verſatur in temporum cognitione, quibus diplomata ſive literae publicae tribui debent. Qua in re haec potiſſimum tenenda ſunt, ut ſint ad manus indubia documenta, ad quae cetera conferantur. Styli praeterea ratio, mosque in ſcribendo obſervatus, haud parum hic poſſunt. Quam ob rem tempus conſiderari, et chronologia conſuli debet, quo anno, quo tempore ſcripta ſint, quae tunc populi geſta, quae rerum facies, quique mores hominum fuerint, monogrammata, ſubſcriptiones, ſigilla, examinanda materia in qua ſcriptum eſt, atramenti genus. De cryptographis, quo modo et inſtituenda ſint, et explicanda,

canda, nihil iam addimus; quibus Dalhamus librum ſuum ſecundum claudit. Tertius reſtat liber de ratione recte intelligendi. Docet autem haec ars ſigna, verba, et ſententias, quibus auctores uſi ſunt, cum claritate dexteritateque exponere. Periti igitur eſſe debemus, et illius rationis loquendi et noſtrae; porro nota eſſe nobis debet indoles auctoris, mens, et quid intellıgi ex ſuis dictis voluerit. Candore porro utamur, et aequitate. Retineri debet communis uſus, niſi quid contra ſuaſerit; ubi ſe ipſum explicat auctor, hunc potiſſimum ſequamur, aut ſi hoc non praeſto eſt, conſilium eius univerſum ſpectemus, modosque. Obſcuritas cum ſit aut in vocibus, aut in ſenſu, ſi vox dubia eſt, lexica verſionesque adeundae ſunt; contendantur inter ſe loca, quae aut verba, aut rem communem inter ſe habent; impropria et allegorica non ſequamur, niſi gravi de cauſſa; coniungamus, quae auctor coniungi voluit, ſeiungamusque. Commentatio vero, qua uberioribus annotationibus auctor illuſtratur, grammaticae inniti debet, philologia ornari, perſpicacia illuſtrari: vitemus nimiam ubertatem, quin etiam doctrinam nimiam. Paraphraſis, quae eſt latior quaſi et diffuſior verſio; Analyſis, quae auctorem in ſuas partes digerit: ut ſunt ſane non levis ingenii opera, ita etiam pro diverſitate rerum varianda etiam ipſa ſunt. Criticam dicimus eam artem, quae vera a falſis, recta a pravis, in arte literaria diiudicat. Cuius tres partes conſtituunt, quarum prima voces et conſtructiones ſpectat, et grammatica eſt; altera errores emendat librariorum, ſi qui irrepſerint; tertia auctori ſuos foetus vindicat, et ſuppoſititios eliminat. Fontes autem mendorum quatuor ſunt, antiquitas, librarii, critici, impoſtores. Saepe antiquitas lacunas fecit, ſaepe mendae a librariis inductae ſunt, voces literaeque permutatae, literae ſuppreſſae, integra commata eliſa, gloſſae in textum receptae, male ſaepe interpunctum, cum vetuſtis temporibus interpunctiones non eſſent; ſaepe error e ſimilitudine literarum et vocum ortus. Ignorantia orthographiae ſaepe ferax errorum extitit. Scribae, non ſatis intelle-

ctis, aut aliis ſubſtitutis, plurimum obfuerunt: praecipue vero per compendia vocum, noſtri abbreviaturas vocant, idque maxime in nominibus propriis et numeris. Verum etiam critica ipſa ars, ad emendandum orta, corrupit interdum libros, ut aut expungerent, aut inſererent, quae non ſic debebant. Falſarii autem, non contenti integros libros et particulas ſubieciſſe, etiam in addendis demendisque vocibus multum licentiae adhibuere. E quibus omnibus orta eſt varietas lectionis. In quibus rebus antiquiores codices plus auctoritatis habent. Sic etiam ſi plures melioresque conſentiant, et, quod non contemnendum eſt, ſi altera lectio ſenſui ſit aptior. Critica, cum eſſet antiquiſſimae originis, una cum ceteris bonis artibus, obſcuris illis ſeculis extincta eſt; qua contemta, cum etiam grammatica contemneretur, ruina omnium bonarum artium ſecuta eſt. Nam illa omnia ita inter ſe ſunt copulata, ut, quae uni labes inferatur, pertineat ad omnes artes. Et quamquam a temporibus Caroli M. ipſis multa tentata ſint, tamen id quaſi invitis fatis factum, parum ſucceſſus habuit, donec noſtris ſeculis res felicius incrementum caperet. Cabala, i. e. vetus traditio de uſu librorum ſacrorum arcano, triplex eſt. Prima myſtico ſenſu ſcripta explicat; ſecunda per illum arcanum ſenſum, miranda effecta praeſtare adfectat; tertia varia coniunctione, immutatione, vel transmutatione literarum, arcanos ſenſus ſcrutatur. Prima Gematria, ſecunda Notaricon, tertia Temura dicitur: quae res aut omnis inanis eſt, aut tamen parum utilis, nec multorum hominum. Id denique vehementer optandum eſſet, ut et in omni vitae ratione placide et tranquille degeremus, agnoſceremus aliorum merita, humani ſi quid accidiſſet ignoſceremus, ſicut etiam nobismet ignoſci volumus. Sed ſicubi liber quis in lucem prodiit, ſedent cenſores, iique ſaepe vitio creati, non nimis humani tamen, quo facto alteri nocemus, litteris parum proſumus. Accedatur bono animo ad legendum, conſilium ſcriptoris ante oculos habeatur, nihil temere ſtatuamus, nec propter unum locum doctrinam aut virtutem auctoris

ctoris damnemus, praeſertim ſi quaſi in tranſitu quid adiecerit, ſi minus accurate locutus eſt, fortaſſe aut ſenſit accuratius, aut ſentiret tamen admonitus; careamus affectibus, turbulentum enim aliquid ſecum ferunt: ſi magnus liber eſt, compendio complectamur, ſi quid nobis diſpliceat, id potius ex illius aetate, ſententia, fortunis, quam e noſtra opinione iudicemus; quaedam delectationis, alia uſus cauſſa amemus, ignoſcamus ſcriptori, ſi ſeculum magis in culpa fuerit, quam ipſe. Sed cenſor ſi quis eſſe vult, primum ſit par ei, quem iudicat, deinde etiam aliquantum ſuperior: nihil enim eſt iniquius homine imperito. Haec eſt illa Critica, quam noſtro more, non antiquo dicimus, cum ubique iudicium noſtrum interſerimus; ſed quod neceſſarium non erat. ſi quis iudicii ſui auctoritate ſtare vult, primum quam eruditiſſimus ſiat, deinde quam prudentiſſimus, porro iuſtus et amans eruditionis et eruditorum, probitatis et proborum hominum. Nam ſicuti latronibus luſus eſt iugulare homines; ita etiam improbis viris luſus eſt invehi in aliorum famam: quod vitium noſtris temporibus valde proprium eſt. Sed neminem adhuc vidimus impune tuliſſe, qui hac via gloriolam affectavit, et qui nocuit aliis, ei alii deinceps nocebunt. Sint igitur hae quaſi lineae praeſtantiſſimi libri ductae, qui philoſophiam ita eleganter exponit, ut per hortos elegantiſſimos ambulare videamur. Eſt etiam ſane ſua laus aſperioribus. Neque enim indulgendum eſt genio, ſi philoſophari velimus; ſed tamen opus eſt extare bonos libros, qui mitigato aſpero, philoſophiam nobis amoenam reddant. Qua in re poſtponendus nulli eſt acutiſſimus Dalhamus, qui ita ſe ipſum pinxit hoc libro, ut coram eum videre nobis videamur, virum excellenter doctum, candidum, probum.

---

## *NOVA LITTERARIA.*

Benevole ſemper, ſummaque exſpectatione, reſpublica litteraria doctorum quorundam, *Eccardi*, *Baringii*, *Iordani*, *Bourgeti*, *Ludovici*, aliorumque conſilia atque ſponſiones,

de edendis in publicum *G. G. Leibnitii* operibus, illis praecipue, quae lucem nondum viderunt, excepit, ſibique exinde enatam ſpem nondum impletam eſſe impatienter tulit. Id vero ſummi Philoſophi commune quaſi deſiderium, et ipſi, egregie de litteris meruiſſe, honorificum eſt monumentum, mihi vero gratiſſima fuit invitatio ad ſuſcipiendam, omnique cura perficiendam editionem eius operum Philoſophicorum et Mathematicorum, quae edita nondum ſunt, edi tamen merentur: ſive quod reliquis ipſo vivente impreſſis ſupplemento, et ut ita dicam commentario authentico inſerviant; ſive quod ipſa novitate obiecti aut tractationis commendentur.

Ob perennem igitur optimeque meritam Leibnitii gloriam, et ob felicem Seculi noſtri guſtum et genium certus, propoſitum mihi opus nulla iam commendatione aut Apologia indigere, paucis tantummodo demonſtrandum puto, hanc ſecundiſſimis auſpiciis a me ſuſceptam Leibnitii operum editionem, bene, quantum in me eſt, et absque procraſtinatione ulla me abſoluturum.

De quo ut fidem faciam, devotiſſimo gratiſſimoque affectu gloriari mihi licebit, Illuſtriſſimis Excellentiſſimisque M. Brit. Regis in terris Brunſuico Luneburgicis Status Adminiſtris meum hocce conſilium placuiſſe, immo pro illorum gratioſiſſimo in me favore, et generoſiſſimo bonis litteris inſerviendi ſtudio, Illuſtri Iungio, Conſiliario et Bibliothecario Regio, inſtitutum meum commendante, datam etiam mihi eſſe libertatem, publici iuris faciendi quicquid eſt in Bibliotheca noſtra regia manuſcriptorum Leibnitii, Philoſophicas aut Mathematicas diſciplinas concernentium. In illam vero, regiis ſumtibus, una cum Bibliotheca translata ſunt omnia eius manuſcripta; et ego tanto favore tantaque fortuna plane me indignum reputarem, niſi ſic uterer, uti immortale Leibnitii nomen, et publici litterarii deſiderium, quibus Summorum Maecenatum cura conſultum ſimul voluit, exigere videntur. Ut igitur ſollicite curem, ne quid Leibnitius ex editione mea detrimenti capiat, totiesque ab aliis fruſtrata

rei-

reipublicae litterariae ſpes tandem aliquando impleatur, non deſunt potentiſſimi ſtimuli, eorumque in me ſenſum eſſe ſummum hiſce obteſtor.

Quod ad primum vero, Leibnitii memoriae puto debitam curam et obſervantiam, imprimis circumſpiciendum videbatur, ne quid a me ederetur, quod aut ipſum ſcripſiſſe, aut lectores legiſſe poenitere poſſit: nam ipſe non ſemper publico ſcripſit; et quamvis nullam a tanto ingenio ſchedam profectam eſſe credatur, quae non aliquam eius praeſtantiae in ſe habeat notam, malui tamen exquiſitioribus me et lectores vacare, quam omnia dare prouti in manus incidiſſent, in nimia enim bonarum dapium abundantia facilis nauſea, et ob inexhauſtam Leibnitii meditandi atque ſcribendi facilitatem mole ſua laboraſſet quam ſuſcepi editio, quam tamen ab omni parte commendatam vellem. Sic res ipſa, ſic prudentiorum conſilia perſuaſere, qui et hoc non absque probabili iuſtaque conſuluere ratione, ut binae fiant opuſculorum edendorum collectiones, altera ſolis mathematicis, altera ſolis philoſophicis deſtinanda.

Quo magis igitur de edendorum in his collectionibus opuſculorum dignitate conſtet, omnium tituli contentaque brevibus recenſenda eſſent. Id autem cum in ſe longius ſit, et in illam partem accipi poſſet, quaſi commendatione verborum egerent, quae etiam in me editore ſuſpecta haberi poterat, nolui his, qui de libris ius dicunt, commendationis eorum laudem, et lectoribus eorum novitatis voluptatem praeripere, ſat dixiſſe reputans, ſi potiorum notitiam dederim.

Potiora vero, quae hiſce collectionibus inſerentur, haec ſunt:

1. Nouveaux Eſſais ſur l'entendement humain contre Iean Loke.
2. Fragmenta de inſtauratione et augmentis ſcientiarum.
3. Syſtema Dynamices.

Nova illa de intellectu tentamina, ſumma animi, a Lokio ceterum diſſentientis, modeſtia, ſummoque ingenii acu-

mine perſcripta, omnia continere videntur, quae unquam contra Lokium pro reminiſcentia animorum, et Ideis connatis, dicta ſunt aut dici poſſunt. Sed non ſolis contra Lockium diſputationibus impleta, continent etiam completam quaſi Leibnitii doctrinam de Pſychologia Logicaque, praeprimis vero de intellectus facultatibus et operationibus, illisque ad ſcientiam et virtutem bene dirigendis. De methodo, omnibusque veritatem et cognoſcendi, et cum aliis communicandi modis, vix alibi doctius docentem videas; et ubi manum cum Lockio confert, mea quidem ſententia dubiam valde reddere videtur lauream, Lockio, communi fere conſenſu, a plerisque noſtris Philoſophis adiudicatam. Ceterum, Lockii ordinem capitum et materiarum per totum librum ſervavit, qui Socratica methodo ſcriptus eſt, ſic ut duo invicem diſputantes Philoſophi, alter nomine Philalethis Lockii, partes, alter Theophilus Leibnitii tueatur, huiusque libri non niſi imperfectior idea hauriri poſſit ex opuſculo eius, quod contra Lockii librum de intellectu inſertum eſt Tomo II. p. 143. du Recueil de diverſes pièces ſur la Philoſophie publié par Mr. Des-Maizeaux.

De altero et imperfectiore eius opere, quod de inſtauratione et augmentis ſcientiarum concepit, dolendum non niſi fragmenta ſupereſſe. Ea vero cum praeſtantiſſima ſint, contineantque quicquid unquam de nova ab illo tentata Characteriſtica, ſeu lingua Philoſophica, in chartam coniecit, praecipuarum etiam ſcientiarum elegantiſſime adumbratum ſtatum, quem eo fine perſcribendum putabat, ut quid poſteritati ad proferendos illarum limites faciendum ſuperſit in oculos incurrat, ſitque omnium quaſi veritatum armamentarium, ſummae certe religioni foret, niſi qualia ſunt cum orbe erudito communicarentur.

Syſtema Dynamicum, cuius ſpecimina quaedam in Actis Lipſienſibus et Ephemeridibus Eruditorum exſtant, ad maiorem profecto perfectionem perductum eſt, quam quidem viſum Ludovico V. Cl. in hiſt. Philoſophiae Leibnitianae, et Fellero in Supplem. de autoris vita, ubi inquit: „Scifci-

„tanti

„tanti mihi num illos libros adfectos aut prelo paratos ha„beret, reſpondiſſe Leibnitium: ſe illos habere in poteſtate „et idea, ſed necdum in chartam eſſe coniectos." Ea enim ſi unquam dixit Leibnitius, ante iter Italicum dixiſſe oportet, propter ea quae ipſe in litteris anno 1696. ad Bernouillium datis, quas vide in Commercio epiſtolico Leibnitii et Bernouillii Tom. I. p. 144. perſcripſit, inquiens: „ſe Ro„mae anno 1689. degentem hoc Syſtema chartae man„daſſe, occaſione diſputationis cum Azouto ſubortae; „dediſſe poſtea celebri cuidam Florentino Mathematico ſibi „amico, qui omnia in mundum redegerit, editionem vero „non ſubſecutam, quod colophonem ipſe nondum impo„ſuerit, et quod his, quibus ſua non probari videbat, obtru„dere noluerit pulcherrimas in hoc Syſtemate propoſitas „veritates."

Eaque κατὰ πόδα Leibnitium dixiſſe, ex ipſo Syſtematis exemplo, quod haec ſcribenti ante oculos eſt, apparet; illud quippe nitidiſſime, et uti videtur ab Italo quodam deſcriptum, ubique Leibnitii manu ſuppletum, tantaque cura limatum et correctum video, ut colophonem illi imponere iam voluiſſe, imo, niſi ultima Sectio deeſſet, iam impoſuiſſe videatur. Iſta, quae in fine libri deeſt, Sectio, ſine ipſius Syſtematis damno abeſſe etiam poteſt, deſtinata ſolum deſcriptioni illuſtriorum machinarum, ſecundum principia huius Syſtematis explicandarum.

Non vero quae Leibnitio, atque lectoribus, in edendis eius opuſculis, debemus, exſoluiſſe puto, ſolo meliorum ſcriptorum ſelectu. Ut bene, correcte, et cito legerentur curandum quoque erat; idque non ſolum ſupra memorato inſtituto binas edendi collectiones, magis vero meliusque, quam ego quidem hic dicere poſſim, obtinebitur Illuſtris Kaeſtneri generoſo promiſſo, illam Leibnitianorum opuſculorum collectionem, quae ſolis Mathematicis

ticis diſciplinis dicata eſt, et ordinandi, et edendi, et notis, quae artis progreſſum et incrementa contineant, illuſtrandi. Collectionis vero Philoſophicorum Schediaſmatum priorem Tomum verſus anni proxime ſequentis finem abſolutum iri et ſpero, et confido, isque publico litterario documento erit, nec ſpectatiſſimum librarium ſumtibus, nec typographum arti ſuae pepercitſſe, quo Leibnitiano nomine digna ſit operis impreſſio.

Fiet illa Hannoverae, et forma quidem quarta, me, quantum in me eſt, curante, ne quid illi deſit perfectionis, quod in viribus meis poſitum ſit illi dare. Hannoverae d. 6. Apr. 1762.

*R. E. Raſpe,*
Bibliothecae regiae ab Epiſtolis,

**NOVA ACTA ERUDITORUM,**

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Maii Anno MDCCLXII.*

*A VIEW OF THE SILVER COIN AND COInage of England, from the Norman Conqueſt to the preſent Time, etc.*

i. e.

*CONSPECTUS NUMMORUM ARGENTEORUM Angliae, eorumque ſignationis, inde ab occupatione regni Normannica, ad praeſens usque tempus: habita ratione typi, inſcriptionis, ſpecierum, raritatis, ponderis, pretii interni atque externi.*

Londini 1762. pl. 14. cum tabb. aen. 17. in fol.

Quo certius inter omnes conſtat, magnam rei nummariae in omni hiſtoria utilitatem, graviſſimum momentum eſſe; cum multa neque obſcura declarari, neque dubia et involuta ſuis liberari difficultatibus, et explicari ſatis commode poſſint, niſi adhibitum nummorum lumen quaè videbantur in tenebris latere in lucem proferat, eorumque ope, quaecunque certam hiſtoricae veritatis cognitionem impediverant, e medio tollantur; hoc pluris facienda doctorum virorum opera eſt, ſi qui huic, profecto non leviſſimo, negotio, ſuos impendere labores, quaeque ſpectare ad materiam iſtam videbantur accuratius tractare voluerint. Quas igitur non laudes merebitur Anglicani Anonymi auctoris inſtitutum, qui in eo, quem indicavimus, libello, hoc unice egit, ut, qui in patria ſua terra, ab occupatione inde Nor-

mannica, ad praeſens usque tempus cuſi nummi eſſent, hos curioſiſſime collectos, ita diligenter pertractaret, ut eorum, quae ſcitu digna ulla ratione viderentur, nihil omnino relinqueret deſiderandum? quod non rerum in patria ſua geſtarum memoriae attuliſſe lumen erit cenſendus? Scilicet eum hoc libro rerum ordinem ſequitur, ut exorſus a Guilielmo illo Conqueſtore, omnium deinceps regum Angliae Anglicos nummos percenſeat enumerando, eorumque primum typum, ſive impreſſum, deinde titulum, ſeu inſcriptionem, additis etiam figuris aeneis, accurate deſcribat; tum ſpecies, porro raritatem, pondus, pretium internum, atque valorem ſingulorum memoret; quaeque hiſce quaſi capitibus ſubiici commode non poſſent, ea ſubiectis margini paginarum notis uberius exponat. Nos, quae prae reliquis notatu digna, et ab excerpendi ratione non abhorrere videbuntur, breviter huc repetemus.

(Pag. 1.) Notabile eſt, effigies Angliae regum per 700. annorum ſeriem reperiri in nummis eorum, ex argento puro conflatis omnibus; id quod peculiare eſt huic uni Nationi. Non autem ſunt certae aliquae notae, quibus nummi a Guilielmo Conqueſtore cuſi poſſint diſcerni ab iis, quos Ruffus, filius eius, curavit excudendos. (Pag. 2.) Illius circa regis caput, variis cum inſignibus repraeſentati, ſcripta leguntur verba: *Pillemus Rex A*, *An*, *Angl*, *Anglo*, vel *Anglor*; item *Pilem*, *Pillem*, *Pillemu*, *Pilelm*, vel *Pillelm*, P littera more Angloſaxonum poſita pro W; quin interdum plane omiſſa, ut ſit *Illemu*. In parte averſa inſcripta leguntur nomina monetarii, et urbis in qua cuſi ſunt nummi, qui itidem mos, paucis aliarum gentium regibus receptus, ab Haroldo, Eduardo Confeſſore, Canutis, et Ethelredo, anteceſſoribus regni Guilielmi, obſervatus, ac deinde per tria fere ſecula continuatus fuit. (Pag. 4.) Hi reges non procuderunt, niſi denarium (penny), nec qui reſtant nummi admodum frequentes reperiuntur. Pondus librae, quod, iam antea Saxonibus uſitatum, in Anglia tum temporis obtinuit, erat libra quam vocant *turrita*, *ſ. monetarii*, (the Tower

wer or Moneyer's Pound,) continens, uti apud Romanos, duodecim uncias; harum autem ſingulae pondus viginti denariorum (20. pennyweight): quae erat partitio introducta primum in Gallofranciam a Carolo M. indeque, ut exiſtimant, translata in Angliam a Guilielmo Conqueſtore; in qua ſola terra etiam nunc obtinet, ita ut nummi ipſius valor cum ponderis quantitate accurate congruat. Ab hac diverſa eſt *libra pharmacopolae*, ſ. *Trecenſis* (Troy Pound,) quam vocant, cuius illa 15. decimas ſextas, ſeu 11. uncias 5. denarios continet: itaque tum temporis denarius ponderabat 22½. grana librae Trecenſis. Pretium horum denariorum internum erat eiusmodi, ut libra, ſeu 12. unciae, conſtaret undecim unciis et duobus denariis argenti puri, et admixti cupri pondere 18. denariorum: qualis pretii moneta *normae veteris* (old Standard), primis quidem temporibus dicta fuit; qua etiam nituntur omnes Auctoris hoc in libro computationes. Librae autem valor cum eiusdem pondere exacte congruit.

(Pag. 5.) Eandem, quam regum antecedentium, difficultatem habent nummi Henrici I. et II. certis criteriis diſcernendi; imo ne conſtat quidem, an nummos unquam ille ſecundus cuderit. Typi ſumma varietas eſt; inſcriptio autem partim nomen regis, partim, ut in ſuperioribus, monetarii et urbis indicat. Summa iam raritas eſt horum nummorum, (pag. 6.) quorum, caeterum, pondus, pretium et valor, a ſuperioribus nihil differt; cum in Gallia pondus librae 12. unciarum, a Carolo M. introductum, intra annos 1075. et 1093. plane abrogaretur, pondere 8. unciarum, marca dicto, in illius locum aſſumto: quae eadem res, circa idem tempus, in Germania legitur eveniſſe. Attamen in Anglia quoque eadem fuit recepta marca, et cum priſtina libra pari modo uſurpata.

Stephani nummorum neque typus, neque inſcriptio, unius generis ſunt, (pag. 7.) raritas ſumma; pondus, pretium, et valor, eadem cum ſuperioribus. Idem fere dictum valet de nummis Henrici II. Caeterum vero notandum,

tritam Anglis vocem *Sterling*, hoc rege regnante primum tabulis publicis reperiri inſertam; cuius etiam nunc obtinentis ponderis internum pretium minime omnium apud Anglos ſua priſtina bonitate eſt deminutum.

Richardi I. nummi, duplex ſcilicet denarii ſpecies, nuper modo in *Leeds*, urbe Comitatus Eboracenſis, fuere detecti, quod omnibus rei nummariae ſtudioſis gratiſſimum accidit. Inſcriptio nomen indicat, typus non unus eſt; raritas omnium maxima; caetera ut in ſuperioribus. (Pag. 9.) Iohannis quamquam multae in Anglia monetae exſtiterunt, nulli tamen inde nummi ſuperant: igitur hunc hiatum Hibernicis eius nummis Auctor explevit: eorum typus et inſcriptio varia; pondus, pretium, et valor, ab Anglicanis non ſunt diverſa.

Henrici III. duplex denarii ſpecies eſt, ſignationis ſcilicet primae, ſeu crucis brevis, ante eius aetatis annum trigeſimum ſecundum; et ſecundae, ſeu crucis longae, poſt hunc annum factae. Ex hac crucis diſtinctione obiter in notis Auctor nummum quendam, Coloniae ab Othone Imperatore Romanor. procuſum, cum, a Tilem. Frieſenio, tertio huius nominis Imperatori tribuatur, quarto vindicat, quippe cruce brevi inſignem. Erat enim Otho IV. Henrico III. proxima affinitate coniunctus, vehementerque favebat Gervaſio illi Tilberienſi. (Pag. 10. et 11.) Pondere, pretio, atque valore, iisdem manentibus; typus contra et inſcriptio variant.

Atque hic adnotatur ab Auctore, nummorum Angliae argenteorum collectionem commodiſſime in quatuor quaſi claſſes diſtribui: quarum prima comprehendens nummos Guilielmi Conqueſtoris et ſequentium regum ad Henricum III. typis et inſcriptionibus admodum variet; altera Eduardi I. et ſucceſſorum ad annum duodevigeſimum Henrici VII. aequalem, atque illa ſimilitudinem ſervet. Tertia porro poſt illum Henrici annum incipiens, cum nummis malleatis deſinit, ipſis in ea nummis non facierum amplius effigiem plenam, ſed dimidiatam ſiſtentibus: quarta deni-

que

que claſſis ab illo inde tempore ad praeſens usque continuatur.

Iterum non eſt certum aliquod criterium, quo nummi Eduardi I. et II. poſſint a ſe invicem diſcerni: niſi quod nummi quorum inſcriptio eſt *Edw*, Eduardo patri, quorum autem *Edwa*, *Edwar*, vel *Edward*, filio attribuuntur. Ceterum typis diverſis, reliqua ut in ſuperioribus obtinuerunt, ad annum Eduardici regni vigeſimum octavum; poſt quod tempus libra numerans primum coepit differre a libra ponderante, ſeu, valor monetae auctus eſt, ut vulgo dicitur; quamquam revera non cenſendus eſt augeri, ſed minui. Libra ſcilicet ponderans crevit una octogeſima, numerans autem tantundem decrevit, ſ. $1\frac{1}{5}$. p. c.

(Pag. 15.) Eduardus III. Angliae regum primus eſt, qui ſic dictum groſſum curaverit procudendum. Qua data occaſione Auctor ſubmonet, primum omnino huncce nummum cuſum fuiſſe Turonis, anno 1226; proximum ab illo eſſe Bohemicum, anni 1290. porro Saxonicum et Miſnicum, anni 1307. qui omnes continuerint 12. denarios (*Pfennige*), cum Eduardi groſſus, cum valeret unam modo tertiam nummi *Schilling*, interno pretio reliquis omnibus praeſtaret, et adhuc praeſtet. Huius regnantis anno decimo octavo libra ponderans crevit una fere decima, numerans decrevit $9\frac{1}{2}$. p. c. anno vigeſimo libra ponderans iterum crevit $11\frac{2}{3}$. numerans decrevit $1\frac{1}{2}$. p. c. (Pag. 16) anno demum vigeſimo ſeptimo libra ponderans accrevit $\frac{1}{5}$. numerans decrevit $11\frac{1}{5}$. p. c.

(Pag. 17.) Quos nummos Henricus IV. ante annum decimum tertium, quosque Henricus VI. ante quadrageſimum nonum procudit, hi auctoribus ſuis aſſignari certo poſſunt: ſed qui ante vel poſt dictos annos cuſi prodierunt, ob criteriorum defectum cum Henrici V. moneta confunduntur. (Pag. 18.) Statuente Henrico IV. libra ponderans rurſus accrevit una quinta; numerans eadem decrevit proportione, ſeu 20. p. c. (Pag. 19.) Rurſus, regnantis Eduardi IV. anno quarto illa crevit una parte quarta, haec decrevit 25. p. c.

(pag. 20.) quae eadem proportio ſub Richardo III. fuit ſervata. (pag. 21.) item ſub Henrico VII, (pag. 22.) et ad Henrici VIII. annum duodevigeſimum. (Pag. 23.) Poſt hunc annum omiſſa libra ſic dicta turrita, quae ſola adhuc in uſu fuerat, recepta fuit libra Trecenſis, excedens illam, pondere, una decima ſexta; quae etiam libra cepit incrementum unius octavae. (P. 24.) Qui idem Henricus anno regni ſui trigeſimo quarto primum cudit nummum vocatum *teſtoon*, quod nomen accepit a capitibus principum Italiae, vel Ludovici XII. Gallofranciae regis, primorum eius auctorum, quibus erat inſignis. (P. 25.) Hoc etiam tempore libra *Sterling* primum pretio ſuo interno eſt deminuta, ita ut iam non caperet niſi decem uncias argenti, et duas uncias admixti cupri. Quae deminutio anno eiusdem regis trigeſimo ſexto ad cuiusvis metalli adeo dimidium abiit; quin trigeſimo ſeptimo libra non fuit niſi quatuor unciarum argenti, et octo cupri.

(P. 27.) Eduardi VI. anno quinto librae Trec. valor quinquies ſuperabat valorem anno trigeſimo ſexto Henrici VIII. obtinentem, adeoque libra *Sterling* a $\frac{3}{8}$. eſt redacta ad $\frac{3}{40}$. librae ponderantis. Verum eodem adhuc anno valor rediit ad unam quartam prioris. (P. 28.) Tum etiam internum nummorum auctum pretium eſt, ita ut undecim unciis unique denario argenti admiſcerentur undeviginti denarii. Idem rex, imitatus aliorum principum exempla, primus procudit coronatos ſic dictos argenteos, aureis pretio aequales.

(P. 32.) Anno regnantis Eliſabethae ſecundo priſtinum illud normae veteris pretium nummis redditum eſt, ita ut continerent 11. uncias 2. denarios argenti puri, 18. denariis admixtis. Vera autem librae *Sterling*, tempore occupationis Normannicae uſitatae, et praeſentis proportio, accurate exprimitur per rationem: 93. ad 32. (P. 34.) Quae eadem perſeveravit regnante Iacobo I.

(P. 35. ſqq.) Carolus I. et varios nummos in variis urbibus, ut Londini, Eboraci, Aberiswithi, Oxoniae, Ceſtriae,

ſtriae, Exoniae, Vigorniae; et primus; quin ſolus, nummos procudit obſidionales, in memoriam Nevarcae, Pontisfracti, Carleoli, Scarburgi, et Colceſtriae expugnatarum. (P. 43.) Ceterum, pretium quod ſpectat, atque valorem, manſerunt illa eadem, quae erant annis ultimis Eliſabethae.

(P. 44.) Quod etiam valet dictum de intervallo illo temporis, quo reipublicae formam Britanniae regnum induerat. Olivarius Cromwellus, Protector, quos nummos procudit, ii et forma praeſtantes, et capite Olivarii laureato notabiles ſunt, quo nemo ante hunc fuerat uſus. Caetera ut in prioribus obtinuerunt. Imo, ad praeſens usque tempus, idem in nummis Anglicis obtinuit pondus, valor, atque pretium internum, quae fuerant poſt annum quadrageſimum tertium Eliſabethae. Eſt autem pondus eiusmodi, ut libra *Sterling* ſit $= \frac{10}{31}$. librae Trec. ſeu, quod idem eſt, capiat 30. uncias, 17. denarios, $10\frac{2}{3}$. grana Trec. Reliqua duo ſuo loco notata ſunt.

(P. 50.) Ultimo loco Auctor quaedam ſubnectit de optima ratione ſublevandae inopiae argenti, quae hoc tempore in Anglia praeſertim ſentiatur; quam in eo ponit, ut aurum minore quantitate argenti permutetur; quamquam vel ſic non niſi ex parte iſtud tolli incommodum poſſit: neque tamen dubitat, quin Legislatorum ſapientia non minus hoc, atque aliis temporibus, ſit apparitura, quo confirmetur honorifica illa graviſſimi iudicis ſententia: paucas, quin nullam fortaſſe reperiri gentem, quae melius rem iſtam calleat Anglicana. Adiectae ſunt quaedam tabulae, a materia tractata non alienae.

Sunt haec paucula quidem, quae nobis huc afferenda maxime viſa ſunt: at quae ſufficiant tamen ad exiſtimandum, quantum ſit pretium ſtatuendum iſti libello, quem cuivis rei nummariae Anglicanae pernoſcendae cupidiori non poſſumus non de meliore nota commendare.

IOSE-

## *IOSEPHI ANTONII BRUNI, ALEXANDRINI, IN regio Taurinenſi Athenaeo Civilium Inſtitutionum Profeſſoris, Diſſertationes in Ius Civile, ad Auguſtiſſimum et Invictiſſimum Carolum Emmanuelem, Regem.*

Auguſtae Taurinorum, ex Typographia regia 1759.
Alph. 3. in 4.

Ut adoleſcentum ſuorum, qui iuris civilis inſtitutiones ſingulis annis excipiunt, votis Conſultiſſimus Auctor annueret, quasdam in Ius Civile Diſſertationes in lucem edere conſtituit: quod et publicum Anteceſſoris munus, et iuvenum iuris ſtudia auſpicantium commoda poſtulare ipſi videbantur. Vix enim a Pontificii ad civilis iuris inſtitutiones tradendas revocatus, animadvertit ſcilicet, adoleſcentes optimos, nova, ipſisque inaudita *Legum Decemviralium, Senatusconſultorum*, *Plebiſcitorum*, *Manumiſſionum*, *Emancipationum*, aliaque huiusmodi vocabula accipientes, haerere; quumque ipſum ad Romanam hiſtoriam, illuſtrandarum inſtitutionum cauſſa, identidem provocare intelligerent, frequentes illum conveniebant, rogabantque, ut, quum in quotidianis ſcriptis propter temporis anguſtias fuſe omnia non haberentur, ipſis librum aliquem indicaret, ex quo ſtudia iuris ineuntes lucem repeterent, ad rite *paragraphos* intelligendos, explicandosque. Ambigebat quidem, nec ſatis noverat, quid reſponderet. Quid enim diffuſos perinde, ac difficiles *Vinnii* Commentarios ipſis proponeret? qui eruditis etiam viris, in iurisprudentiae ſtudiis exercitatis, negotium ſaepe faceſſunt. Veniebant quidem in mentem eruditiſſimi *Heineccii Romanae Antiquitates*, aut elegantiſſimae *Iani Vincentii Gravinae* lucubrationes *de orig. et progreſſ. Iur. Civil.*; ſed videbantur Auctori noſtro quoque illi viri doctiſſimi nonnulla quidem uberius, quam neceſſe eſſet, explicaſſe, alia vero, quae nec iniucunda, neque adeo inutilia futura eſſent, aut attigiſſe leviter, aut omnino praetermiſiſſe. Quid autem proponeret auditoribus ſuis *Cellarii*, aut *Cantelii*, aut etiam *Nieu-*

*Nieuportii*, aliorumque virorum doctorum *de Romanis Antiquitatibus* libros, quorum plerique, praeterquam quod breviores ſunt, ita etiam de illis Antiquitatibus ſcripſerunt, ut potius ad veterum Romanorum Scriptorum opera intelligenda conducant, quam ad iurisprudentiae tractationem. Commodiſſimi enim illi ſunt quidem adoleſcentibus eloquentiae ſtudia perſequentibus, et iuris etiam civilis tironibus non inutiles; ſed his tamen non ſufficiunt. (Videtur ignoraſſe Brunus, V. Cl. doctiſſimor. in Germania virorum, ſuper Iuris hiſtoria et antiquitt. libros egregios, inter quos unus *Bachius* explere ſitim diſcipulorum Taurinenſium poterat.)

Haec, atque alia huiusmodi, in cauſſa fuerunt, cur ad conſcribendas diſſertationes ſuas animum appelleret Auctor. Porro dedit omnino operam ut facilis eſſet, et plana tractatio; tum, ut res quaeque, in immenſa priſcarum Legum farragine diſperſae, ſuo loco conſiſterent. Veretur tamen, ne malam apud pleroſque ineat gratiam, quod initio pro rudibus adhuc adoleſcentibus, iuris ſtudia auſpicantibus, haſce diſſertationes in lucem edidiſſe dixerit; attamen academicorum et forenſium Iuriſconſultorum officia deſcribere, atque explanare praeterea publici iuris, ſeu belli paciſque capita plura non dubitaverit; quarum rerum difficiles profecto diſputationes iis potius ſint exhibendae, qui diutius in auditoriis verſati, tum literarium ſtadium emenſi feliciter fuerint. Sed neutrum reprehenſione dignum videtur. Nam praeterquam quod ad difficultatem diluendam dicere ſufficit, maiorem diſſertationum numerum tironum gratia fuiſſe conſcriptum, ut cuique legenti compertiſſimum fiet, tum adoleſcentes ſtudia perſequentes, quae ipſis in tirocinio conſtitutis non ſatis convenire videntur, eſſe ſuo tempore commode percepturos: Conſiderandum eſt, duplex auditorum Auctoris noſtri eſſe genus, primum eorum, qui, poſt transactum in Academia quinquennale ſpatium, laureae honores referre contendunt; illorum alterum, qui inſtitutionibus quidem per annuum curriculum, ſed eodem ſimul

tempore dant operam cauſſis agendis, quum cauſidicorum, ſeu procuratorum munere fungi contenti ſint, quorum in nonnullis communia ſunt cum Iuriſconſultis officia; aequiſſimum igitur erat, ut, quemadmodum prioribus, exhibita praecipue ſincera interpretandarum Legum ratione, ſatis abundeque proſpexerat, ita poſterioribus quoque conſuleret, ut rectam ſtatim tractandarum cauſſarum methodum diſcerent, re fere univerſa ad regii iuris formam exacta. De publico autem iure ſermonem habere conſtituit, ſive ut integer, numeriſque omnibus abſolutus prodiret Romanarum Legum tractatus, militaribus ſcilicet, *ut conſtat ex tit. 15. 16. 17. 18. ff. lib. 49. ff.* et civilibus Legibus conſtans; ſive ut Iuſtiniano ſuo morem gereret, qui vel in Inſtitutionibus ipſis etiam de militibus quaedam in medium adduxit *Tit. 9. §. 1. tot. tit. 11. princ. tit. 12. tit. 13. lib. 2. Inſtit.*, ut aliam, longeque diverſam publici privatique, tum militaris et paganici iuris diſciplinam eſſe, ſtudioſis adoleſcentibus inſinuaret.

Eſt autem elegantiſſimarum Diſſertationum ordo et ratio haec:

*Prima eſt de origine et progreſſu Iuris civilis.* Hac in re tradenda uſus eſt oratione valde contracta, quae vix voluminis eius ſex paginas occupat, ut quorundam fortaſſe opinionem averteret, qui diſſertationis inſcriptione, quae eadem eſt ac Graviniani operis titulus, inducti exiſtimarent, illum Gravinae Commentarios exſcripſiſſe. Paucis igitur adoleſcentes ex diſſertatione eius aſſequentur civilis univerſi iuris originem atque progreſſum.

*Secunda, de Comitiis Romanorum* Diſſ. aeque brevis eſt, in qua agitur de triplici Comitiorum genere. De Comitiis ſermonem habere opportunum duxit, quatenus in ſolemnibus hiſce Romani populi conventibus negotia quaeque, publica atque privata pleraque, expediebantur.

*Tertia Romanorum* omnium *Magiſtratuum*, maiorum ſcilicet, atque minorum, urbanorum et provincialium, ordinariorum et extraordinariorum, officia poteſtatemque deſcribit.

Quarta

*Quarta Iuriſconſultorum Romanorum* nomina exhibet, eorum vitam moresque exprimit, cuius ſectae fuerint aperit: atque ex hac quisque intelliget, unde profectae ſint tot *Antinomiae*, quibus referti ſunt codices Pandectarum.

*Quinta Academicorum* et *forenſium Iuriſconſultorum* officia deſcribit: illorum in legibus interpretandis, horum in tractandis orandisque cauſſis, potiſſimum conſtituta.

*Sexta* ab obiectis iniuriis *Romanarum Legum codices* vindicat, tum qui, qualesque fuerint, Iuſtinianus, Tribonianus, eiusque Socii Pandectarum compilatores, docet.

*Septima* circa *Romanarum Legum praeſtantiam* tota verſatur, naevos diluit, quos nonnulli, ultra fas acuti et ſcrupuloſi homines, in Romanis Legibus detegunt, et verſus finem vitia illa tum intrinſeca, tum extrinſeca, quae Clariſſ. *Ludovicus Muratorius* Romanis legibus affinxit, diluere curat.

*Octava* refert *Regiarum et Decemviralium Legum Fragmenta*, adiiciturque Legum huiusmodi brevis quidem, ſed perſpicua et accurata paraphraſis; oſtenditque, facta collatione *Legum XII. Tabularum*, cum *iure regio*, quo utimur, ſincerae iurisprudentiae cultoribus non modo utilem, ſed neceſſariam omnino eſſe antiqui iuris notitiam.

*Nona reliquas* complectitur *Romanorum Magiſtratuum Leges*, ad univerſum ius ſacrum, et profanum, publicum et privatum, pertinentes.

*Decima* denique diſſertatio eſt de *Militaribus Legibus*, et perbreve tradit iuris publici ſpecimen. Quinque capitibus ad trutinam revocatis abſolvitur poſtrema haec diſſertatio. Agitur nimirum 1.) de bello in genere, tum de bello iuſto vel iniuſto. 2.) De ratione, qua Romani bellum, ut pium iuſtumque haberetur, indicebant. 3.) De perſonis iubentibus, aut bellum gerentibus, deque eorum officiis, privilegiis, miſſionibus, delictis, et militum iudicibus. 4.) Quae in bello adverſus hoſtes liceant, vel non, deque perſonis et rebus bello captis. 5.) Quando, et quomodo Romani impera-

peratoribus triumphos decernerent, quaeve militibus praemia tribuerent.

Sunt hae decem diſſertationes Bruni noſtri Conſultiſſimi, quarum ſumma tantum capita indicavimus, ne in hoc perbrevi conſpectu totas ipſas compilaremus. Opinamur omnino hoc opus utiliſſimum, magno adiumento fore iurium cultoribus, ad Romanam iurisprudentiam comparandam; quippe quae ſine hiſtoriae, priſcarumque Legum cognitione, acquiri vix ac ne vix quidem poteſt. Dicavit hoc opus ſuum Vir Cl. Auguſtiſſimo et vere invicto Regi Sardiniae, Carolo Emanueli, litterarum praeſidio, cuius in homines doctos benignitatem atque clementiam merito extulit. Addidit etiam Indicem, ſcite factum, et qui lecturis commodo futurus eſt, ipſi libro autem magnae commendationi; propterea quod tales commentarii a paucis admodum a capite ad calcem leguntur.

## *B. S. ALBINI DE SCELETO HUMANO LIBER.*

Lugduni Batavor. apud I. et H. Verbeek, Bibliop. 1762. 2. Alph. plag. 16. in 4to.

Humani corporis hiſtoriam diligentius pleniusque perſcriptam, tum ſpeculationi indulgentium philoſophorum commodis ſervire, tum vero praecipue medentibus prorſus neceſſariam eſſe, nemo facile dubitaverit. Perfunctorie enim negligenterque compoſitae deſcriptiones partium humani corporis non poſſunt non parere frequentiſſimos errores; atque ex his deinceps oriuntur illa Medicorum experimenta per mortes. A quibus quo maius ſingulis fere hominibus inſtat a tot Medicorum millibus periculum, hoc etiam maiores gratiae debentur et caeteris omnibus accuratioribus Anatomiae Magiſtris, et, qui eorum facile princeps exiſtimandus eſt, Celeberrimo *B. S. Albino*, pro ſumma, qua humani corporis interiores receſſus perſcrutati ſunt, diligentia, atque accuratiſſima ſolertia. Quis enim eſt tam parum curioſus hiſtoriae humani corporis, qui Illu-

Illuſtris huius Viri opera ignoret; aut quis eſt, qui humanorum oſſium et ſceleti imagines a Summo Viro expoſitas non admiretur? Quibus cum non niſi nudus brevisque index adiectus ſit, factum eſt, ut ex omnibus illis, ad quae adhibita in iis et ab Auctore, et ab artifice, ſumma diligentia eſt, pauciora cognoſcerentur. Itaque viſum eſt peritiſſimo Viro, pleniorem ſceleti, rationisque atque uſus partium eius, hiſtoriam tradere, in eaque loca notare et deſignare, ubi quaeque in tabulis expreſſa eſſent; hac quidem ſpe non vana, fore, ut diſcendi cupidi, hac hiſtoria tabulisque illis ducibus, ſceletum quem uſum habeat, partesque eius, non ſine fructu ſint conſideraturi. Quam quidem ſpem eos certe nunquam fruſtraturam eſſe plane confidimus. Intelligi autem facile poteſt, et tabulis illis, et hac deſcriptione ſimul opus eſſe, neque alterius operis ſine altero uſum ſufficere poſſe, ſi quis perpulcras curatiusque traditas deſcriptiones oſſium plenius percipere velit. Sed non modo illud, verum etiam hoc intelligitur, ex iſto, quod prae manibus habemus, opere, excerpi nil quicquam poſſe, tum propterea, quod illud de rebus ante plures annos ab Auctore et in illis tabulis, et in ſingulari libro de oſſibus corporis humani 1726. edito, iam propoſitis, ſatis igitur iam cognitis, explicationes uberiores in ſe continet, et ad ipſas quoque Annotationes Academicas Cel. Auctoris lectorem ſaepiſſime remittit; cummaxime vero, quoniam nobis, ſi ut e Nilo canis lambitat currens, librum hunc curſim pererraremus, metuendum eſſet, ne Graviſſimus Auctor, iure ſuo, nos, ſuperficiaria tali cognitione contentos, in numero eorum haberet, quibus hanc operam ſuam non dicaverit. Laude augere eum nolumus, qui de fama ſua ſecurus, noſtris non eget, niſi forte ut intelligat, nos inſignia eius in rempublicam medicam merita merito venerari, atque id ſemper facturos eſſe.

*USUS OPII SALUBRIS ET NOXIUS IN MORBOrum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus a*

*BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Medico Vratiſlavienſi, atque Academ. Caeſareae Nat. Cur. Adiuncto. Sectio quarta et ultima.*

Vratiſlaviae 1762. ſumtibus Io. Ern. Meyeri, 1. Alph. 11. plag. in 4to.

Quarta haec, quae eadem ultima totius laudatiſſimi operis eſt, Sectio, prioribus per omnia ſimilis, tractat *Cap. I. de phthiſi pulmonali et hydrope.* Et phthiſis quidem illius plura genera ſunt. Vulgatiſſimum, et apud antiquos medicos celebratiſſimum eſt id, quod catarrhi ſoboles putatur. In quo opium tempeſtive datum praeſtat plurimum boni, dum tuſſi medetur, placidoque ſomno reficit corpus. Sed tamen, ſi morbus is febrem comitem habet, opium aut plane non, aut nonniſi ſumma cura adhibendum eſt. Illud phthiſis genus, quod pulmonum varia tubercula, cruda illa adhuc et frigida, movet, uſum opii non poſtulat; ac ne tum quidem, cum illa ulceroſa reddita pulmones atterunt atque depaſcunt. Neque ad mitiganda ſymptomata ſatis tuto adhibetur, quamvis a medicis non paucis uſus eius celebretur. Febrem enim auget. Tuſſim vero ſedat quidem, ſimul tamen facit quo minus noxia materia reiiciatur. Ergo morbo iamiam adulto plurimum nocet, dum ſpiritum elidit. Sudores vero hectici neque ab opio, ipſo quippe ſudores movente, cohiberi poſſunt; neque, ſi poſſent, prudenter cohiberentur. At ventris nimius fluxus opio utique minui debet. Hydropis curatio, ſi, dato opio, aliquando bene ac proſpere cedere viſa fuerit, id in fortuitis habendum eſt, neque facile ad imitandum proponi poteſt. *Cap. II.* de uſu opii adverſus *mentis morbos, melancholiam et maniam,* praecipit Clariſſimus Auctor, fateturque, vix unquam eo ſe proceſſiſſe, ut opium melancholicis utile iudicaret. Neque ſi maniacorum vigiliae perpetuae opem medici poſcunt, remedio illi, niſi perparum favet; idque tantum ei maniae generi accommodatum eſſe putat, quod puerperas perterrefactas, aut ira agitatas, interdum mire perturbat. *Cap. III. mulierum men-*

*menſtruatarum et gravidarum morbi* conſiderantur, et, ubi opium locum habere posſit, docetur. Adverſus id autem vitium menſium, quando hi nonniſi parce, ſimul tamen difficilius, et ſub gravibus doloribus prorumpunt, opium, tanquam dolorum ſpaſmorumque remedium, utplurimum prodeſt. Symptomatibus vero gravidarum, non niſi perquam raro, recte obiicitur. Hoc quidem fit ſi nauſea et vomitio a ſolo vitio motuum pendet, et vere hyſterica putanda eſt. Pariter quoque in alvi fluxibus mature ad Opiata deſcendendum, ſi modo ante facta ea ſint, quae fieri oportebat. Idemque agendum eſt ſi continua tusſis gravidam exerceat. At ubi femina in diſcrimen abortus venit, videndum eſt an ſanguis ex laxato uteri orificio prorumpat, nec ne. Si prorumpit, opium vix unquam proficuum eſſe poteſt; quod, quippe ſolis doloribus et ſpaſmis conſopiendis aptum, ſanguinis fluxiones directe non ſiſtit, ſed potius auget. *Cap. IV. morbi parturientium et puerperarum* attinguntur, doceturque, et dolores ad partum ſpurios, dato opio, remittere, et veros augeri, et eos, qui poſt partum moleſti ſunt, minui, dummodo remedium tam efficax a prudente medico tempeſtive adhibeatur. Id vero mirum nonnullis videatur, opio lochiorum fluxum et ſuppreſſum revocari, et iuſto liberalius profluentem cohiberi poſſe. Sed qui veras et proximas morborum cauſas, et remediorum proprias vires bene habuerit perſpectas, mirari deſinet. Alvi fluxus, puerperis ſaepenumero exitialis, prudenter exhibito opio, ſat ſecure ſiſtitur. *Cap. V. infantum morbos* peritisſimus Auctor exponit, docetque, bene monuiſſe medicorum coryphaeos, opium infantibus non niſi ſuſpenſa manu dari oportere; locum tamen habere, ſi vomitus remediis aliis, ad methodi leges adhibitis, cedere nolit; infantum vero diarrhoeae hoc pharmaco mederi non licere, niſi ea ad numerum urgentium ſymptomatum referri iure posſit; neque in doloribus, qui infantum inteſtina torquent, niſi omnibus bene proſpectis ac proviſis, ad tale remedium, quod noxiam materiem cauſamque morbi veluti incarcerat, eſſe deſcendendum; den-

tientiti-

titientibusque gingivis aliquando quidem ſalutare eſſe, ſed tunc tantum, cum febris abeſt, cum aliis remediis nihil profecerimus etc. convulſionibus non niſi iis accommodatum eſſe, quae ab inanitione, nutricis terrore, dentitientium gingivarum dolore, ſimilibusque moveantur; tuſſim denique eam tantum, quae ſummam motuum violentiam coniunctam habeat, pharmaco hoc paululum ſubinde eſſe mitigandam. *Cap. VI. morbi ſenum* comprehenſi ſunt. Quibus quidem non, niſi perquam raro, prodeſſe opium ſolet. Interdum tamen et vehementior tuſſis, et moleſtiſſima renum et veſicae urinariae vitia, medicinam hanc poſtulant. *Cap. VII.* exponitur de *uſu opii topico*, quem propemodum nullum eſſe eruditisſimus *Tralleſius* iudicat, ſi nimirum de dolore in ipſis partibus ſingularibus conſopiendo ſermo ſit. *Cap. VIII.* inſcriptum eſt: *Opium venenorum antidotum, et opio veneno paranda medela.* Opium autem antidotum eſſe poteſt, eo quod et vires vitae ſopit, et venena ſanguini iam commiſta ſpecie ſudoris e corpore expellit. Opii vero ipſius antidota ſunt acida quaecunque, vel intus aſſumta, vel externe adhibita. Pauca haec ex opere non minus utili, quam laborioſo, excerpta ſufficiant. Peritiſſimo ceterum Auctori, et de actis laboribus gratulamur, et nos Actaque noſtra vehementer etiam atque etiam commendamus.

*IO. BAPTISTAE MORGAGNI, P. P. P. P. DE SEdibus et cauſis morborum, per Anatomen indagatis, Libri Quinque. Diſſectiones et Animadverſiones, nunc primum editas, complectuntur propemodum innumeras, Medicis, Chirurgis, Anatomicis profuturas. Multiplex praefixus eſt index rerum et nominum accuratisſimus.*

Venetiis 1762. ex typographia Remondiniana. Tomus primus libros duos priores: alter reliquos tres continet: 13. Alphab. in fol.

Si,

Si, quod omnes fatentur, librorum praecipua commendatio ab eorum, qui conſcripſerunt, eruditione, peritia, diligentia, fide, integritateque proficiſcitur, nihil ſane eſt, quam ob rem librum hunc Illuſtris et ſupra omnem laudem poſiti *Morgagni* laudando ſpatium occupemus. Quapropter omni laudis praefamine ſuperſedentes, in id incumbemus, ut tantum, quantum chartarum noſtrarum anguſtia admittet, de hoc, in omne aevum duraturo opere ill. Viri, perfuſorie dicamus. Ac primo quidem ſcire convenit, huius operis conſcribendi edendique occaſionem Auctori meritiſſimo dediſſe celebre, quod a nemine Medicorum ignoratur, *Sepulcretum anatomicum*, a *Boneto* collectum, *Mangeti* vero cura et ſtudio, parte minimum tertia, auctius evulgatum. Id enim cum Vir celeberrimus, adhucdum iuvenis, diligentius pervolveret, inſpiceretque, non pauca perfunctorie deſcripta negligenterque collecta deprehendit, indices vero tam ſpiſſo operi prorſus neceſſarios deſideravit. Ob has in praefatione plenius dictas cauſas, Auctor inde iam ab annis iuventutis in animo habuit, et cetera in ſepulcreto deſiderata, et indices neceſſarios ſupplere. Quod ipſum propoſitum olim iam cum inclyta illa, quam nunc Inſtituti Scientiarum nomine vocant, Academia communicavit. Id tamen poſtea ita mutavit, ut opus peculiare conſcribere inſtitueret, in quo obſervationes illas, quas animadvertiſſet ſive ex veteribus, ſive ex recentioribus, in Sepulcreto exhiberi potuiſſe, nec tamen exhibitas eſſe, illasque inſuper, quae ab altera eius editione prodierint, ſuis ſub capitibus indicaret, quaecunque ſcilicet inter ſcribendum ſuccurrerent; ac praeterea etiam plurima peccata in eo admiſſa notaret, maximumque et Sepulcreti lectoribus, et futuris editoribus, adferret adiumentum, ſuoque exemplo oſtenderet, qua ratione exiſtimaret Sepulcretum auctius ſimulque utilius aliquando reddi poſſe. Quanquam enim ad ipſos illos Sepulcreto optabiles indices, tam longi gravisque laboris otium venerabili ſeni defuit; operi tamen ſuo praefixit tam multiplicem, accuratum, plenumque, ut veri exempli loco eſſe poſſit, in quod intueantur, qui Se-

pulcretum indicibus ornare velint. Quod ut tandem aliquando fiat, emendatiorque Sepulcreti ipſius editio prodeat, vehementer optamus. Sed non tantummodo ex aliorum ſcriptis collectas obſervationes, ad locupletandum Sepulcretum utiles idoneasque, eximius Cl *Morgagni* liber in ſe continet, verum praecipua eius potiorque pars deſcriptas exhibet diſſectiones mortuorum, vel a *Valſalva*, Praeceptore *Morgagni*, vel ab ipſo hoc laudatiſſimo Anatomes Profeſſore, vel denique ab eius amicis adminiſtratas. Et his quidem aliorum obſervata, aliaque ſcitu utiliſſima iucundiſſimaque ſubiuncta ſunt. Omnia autem, ut fere alias ſolitus eſt vir omnino doctus, per epiſtolas ſcripſit, eo diſpoſitas ordine, quem *Bonetus* tenuit, ſecutus *Alexandrum Trallianum*, qui cum caeteri Auctores morbos perturbate admodum collocaſſent, hos a capite ad calcem diſpoſuit. Eas praeterea digeſſit in libros quinque, quibus, cuique ſuam, praemiſit epiſtolas dedicatorias, datas illas ad celeberrimos viros, ſcientiarum Academiis illuſtribus adſcriptos Socios, quibus grati animi ſenſa publica ſignificatione patefaceret, quod ab Academiis illis inter Socios olim cooptatus eſſet. In earum prima, ad *Chriſtoph. Iac. Trew* data, Cl. Auctor eos refellit, qui cadaverum ſectionibus, quas empirici aeque ac dogmatici, ad morborum cauſas detegendas eſſe adeo utiles cenſent, non magnopere fidendum eſſe pronunciant. Secunda continet quaedam ad hiſtoriam Anatomiae practicae pertinentia; data eſt ad *Guilielm. Bromfeild*, Chirurgum Londinenſem. Tertia aeque ac prior ad Anatomiae practicae obtrectatores iniquos ſpectat, ſcripta ad Illuſtrem *Senacum*, Galliarum R. Archiatrum. In quarta, Illuſtri quondam *Schreibero* dicata, defenditur opinio eorum, qui in obſervationibus vulgatiorum morborum verius forte quam in iis, quae adeo raro occurrunt, pretium eſſe putant. Quinta denique ad *Meckelum*, peritiſſimum Anatomicum Berolinenſium, data, defenſionem Anatomiae practicae abſolvit ſic, ut huius ipſius cauſa artem anatomicam, proprie ſic dictam, ſana ſcilicet corpora examinantem, a Regibus rerumque publicarum moderatoribus pro-

protegi ac promoveri oſtendat. Atque hae ipſae epiſtolae dedicatoriae ita plenae ſunt eruditione, ut et ipſarum mentionem faciendam eſſe cenſuerimus. De iis autem epiſtolis, quae opus ipſum conſtituunt, quid nunc dicamus, fere neſcimus. Nam cum omnes ac ſingulae eadem doctrinae eximiae copia inſtructae ſint, quae alteri praeferenda ſit dici non poteſt; et cum ipſae obſervationes per epiſtolas ſcriptae compendium reſpuant, difficile omnino eſt nonnulla ſeligere, quae caeteris notatu digniora videantur. Ne tamen opus tam utile tamque eximium parum inſpexiſſe videamur, aliqua ſaltem ex eo, quaſi obiter et a fugientibus delibata, deguſtemus propinemusque. Itaque in *epiſt. I.* animadvertimus, Cl. Auctorem in dubium vocare omnes illas hiſtorias, quae lumbricos, aliosque vermes, cimices, et ſi ſuperis placet ſcorpiones, intra humana, ſecundum naturam undique ſeſe habentia, crania proponunt, ab iisdemque beſtiolis repetunt capitis dolores. Pariter etiam parum aut nihil Auctor tribuit illis narrationibus, quibus dicitur, ex fuligine aut herbae nicotianae polline aliquid inventum intra cranii caveam fuiſſe. Cl. Auctor ſuſpicatur, eorum, qui reapſe talia vidiſſe ſe ſcribunt, aliis quidem plani alicuius fraude, aliis caſu, aliis incuria, plerumque fuiſſe impoſitum. Verum, quanquam Summi Viri auctoritas apud nos plurimum valet, atque nos quidem non ii ſumus, qui omnibus huius generis narratiunculis fidem habendam eſſe putemus; ſemper tamen aut fraudem, aut errorem ſubeſſe, credere non poſſumus. Neque omni ratione res ipſa caret. Cum enim vix recondita aliqua pars aut cavitas vivorum animalium ſit, in qua non certa fide inventa fuerint varia genera animalculorum; et praeterea hiſtoria animalculorum minorum nondum abſoluta ſit: nulla profecto adeſt cauſa, quae nos adducat, ut vivorum intra calvariam animalculorum generationem ad ἀδύνατα referendam eſſe iudicemus. *Epiſt. II.* quae de apoplexia eſt, aeque ac tertia, confirmat et alia, et eam quoque ſententiam, quae eſt de illo chiaſmo nervorum. *Epiſt. III.* praeterea veterum Medicorum, Hip-

pocratis maxime, iudicium, de acri ac cerebrum rodente materia, cauſa apoplexiae, novis obſervationibus firmat. Eademque epiſtola memoriae traditus eſt ſtatus ille epidemicus anni 1729. quo ſub Maii initium, Patavii, pene quotidie, magno omnium terrore, ex improviſo aut ſtatim, aut certe intra horas non multas, commoriebantur, cum poſt diuturnas ſubfrigidas humidasque tempeſtates, pluvioſus enim autumnus, pluvioſa hyems, pluvioſum hactenus ver fuerat, tunc primum, idque repente, acris calor rediiſſet, atque humores in capite ſub frigido coelo congeſtos ita raros reddidiſſet, ut vaſa ab humido aere debilitata laxataque facile rumperentur, ſanguinemque effunderent intra cerebri cavitates. Ex hac ipſa apoplexiae ſpecie, epidemica dicendá, intelligitur, quantum iis immineat periculum, qui ſubitis mutationibus caloris frigorisque ſeſe obiiciunt. Poſteaquam *Epiſt. III.* et *IV.* de apoplexia ſanguinea et ſeroſa dictum eſt; *Epiſt. V.* dicitur de ea, quae neque a ſanguine, neque a ſero eſt. Quae quidem multiplex eſt. Aut enim pus, aut ſanies, partem ſubſtantiae cerebri deſtruit, aut aer vaſa encephali diſtendit, aut cerebri ſubſtantia flaccida eſt et quaſi reſoluta. *Epiſt. VI.* caeteros affectus ſoporoſos a ſimilibus cauſis proficiſci docet. *Epiſt. VII.* in qua de phrenitide, paraphrenitide et delirio ſermo eſt, oſtenditur, poſt hos affectus vaſa in meningibus non ſemper reperiri diſtenta. *Epiſt. VIII.* diſſectiones maniacorum, melancholicorum, rabie affectorum complectens, docet, maniacorum et hypochondriacorum cerebrum interdum nimis humidum, longe ſaepius nimis durum, cerebellum contra molle et flaccidum eſſe; ſaepe vaſa cerebri diſtenta ſanguine, ſaepius aquam ſub meningibus aut in ventriculis collecta; ex hydrophobis autem fuiſſe, in quibus craſſa et in quibus utraque meninx magis minusve inflammata, et turgidis nigro ſanguine vaſis reperta ſit, nec ſine parva quadam in uno ad verticem ſuppuratione; imo in cane rabido non ſine ulceribus; cerebrum ipſum aliquando inflammatum, aut eius cortex, et hic quidem leviter, et magis fuſcus, aut eius medulla ſanguineis punctis conſperſa;

ventri-

ventriculi autem in uno aut altero minime humidi apparuere; ſpinalis medulla ſolito ſiccior; ſed et corpus omne in uno aridum et inflammatum, in altero ſuperficie tenus ab inflammatione violaceum; quin fuiſſe inter frequentiores obſervationes annotatam ſingularem ſolidarum partium, membranarum praecipue omnium, ariditatem et tenſionem; ſanguine autem in uno arterias quidem plenas, ſed et venam cavam, in altero autem omnem ſanguinem in venis fuiſſe, eumque ſero caruiſſe, etc. Quibus obſervatis Cl. Auctor adducitur, ut huius morbi principem ſedem eſſe nervos et cerebrum ſibi perſuadeat. Nec ſilentio praetereundum eſt, ex illis hydrophobis ab A. diſſectis fuiſſe quinque, qui aerem non minus quam aquam horrerent. *Epiſt. IX.* epilepſiae cauſam aliquando, neque raro, plane nullam, aliquando vero in cerebri duritie, in apoſtemate, in ſui generis abſceſſu, in vaſorum diſtentione, in aqua aut multa, aut pauca, aut flava, aut limpida, reperiri docet. Eademque propemodum in *Epiſt. X.* de convulſionum motuumque convulſivorum cauſis dicuntur. *Epiſt. XI.* paralyſis cauſae, apoplecticis non diſſimiles, proponuntur, ſimulque comprobatur obſervatio *Williſii*, qui inſpectis aliquoties cadaveribus, a longa paralyſi et graviſſima nervorum reſolutione defunctorum, vidit, ſemper corpus ſtriatum prae aliis cerebri partibus minus firmum, inſtar amurcae diſcoloratum, et ſtriis multum obliteratis. Sed in hac noſtra brevitate neque Cl. Auctoris obſervata tam graphice, ut ipſe plerumque ſolet, deſcribere, neque ea, quae animadverſione dignisſima nobis videntur, omnia excerpere nos poſſe, vehementer dolemus. Plurima enim ſunt, aut medicis practicis, aut Anatomicis ſcitu neceſſaria. Nam Cl. Auctori ſermo non ſiccus eſt, ſed animadverſionibus utilisſimis veluti ſucco et ſanguine ſuffertus. Leges etiam, quae miraberis. Cuiusmodi eſt obſervatio de iis, qui gonorrhoea virulenta affecti fuerunt. De his enim Cl. Auctor, etſi pauci forte ſint Anatomici, inquit, a quibus tot fuerint, quot a ſe, urethrae viriles diſſectae, et diligenter perluſtratae; tamen aut rarius, quam vulgo exi-

Ee 3 ſtimant,

ſtimant, luculentiora in eo canali vitia occurrunt, quae contagioſam luem comitentur, aut neſcio, quo caſu factum eſt, cum magnus hominum hac labe infectorum ſit numerus, illa ego vitia tam luculenta vix unquam, aut ne vix quidem conſpexerim, etc. Sed modum adhibere debemus recenſentes librum, cuius ſola inſcriptio lectores allicere, Auctoris nomen et docta ſolertia tenere poteſt.

*GEORGII LUDOVICI BOEHMERI, POTENTISS. M. Britann. Regis, Electoris Brunſuico-Lüneb. Conſil. Aulici, et Iuris Anteceſſor. in Academia Georgia Auguſta, Principia Iuris Canonici, Speciatim Iuris Eccleſiaſtici publici et privati, quod per Germaniam obtinet.*

Göttingae, apud viduam Abrami Vandenhök 1762. Alph. 1. plag. 16. in 8.

Quem hic Librum proponimus illuſtris atque celeberrimi Boehmeri, praeter auctoris nomen, etiam ipſa gravitas argumenti, atque in commune utilitas, magnopere commendant. Nemo certe facile, quidquid huc pertinebat, tanta lectionis copia, tam concinne, tamque eleganter, in tam tenue volumen coegit, quemadmodum ab auctore hic factum eſt. Igitur dabimus ex ipſius praefatione, etiam ipſius verbis, oeconomiam operis, reliqua legentium aſſiduitati relicturi. Animus ei non fuit, Iuris Canonici, quaqua patet, principia tradere; ſed haec metiri inprimis ex uſu, quem ſervat in Germania. Fuerunt et iuris canonici perinde ac iuris Romani eadem fata, ut tamquam ius peregrinum, in ſolio Italiae natum, compoſitumque, in Germania uſu et experientia ſit receptum: receptum vero mutationes plurimas ſubierit, tum inter Pontificios, tum inter Auguſtanae confeſſioni addictos. Fuit itaque praecipuum conſilium Illuſtris atque doctiſſimi Boehmeri, deligere, et apte componere, quae ad utriusque Eccleſiae, Romanae et Evangelicae, ſtatum in Germania intelligendum per-

pertinerent, et tradere iuris eccleſiaſtici externi, publici et privati, principia, et exponere non minus quae inter utriusque religionis conſortes inter ſe conſtituta ſunt iura. Utiliſſima eſt ea ſcientia, et facit nexus eccleſiarum in Germania, ut Iureconſultus ſuperſedere nequeat intelligentia eorum, quae tum diverſae Eccleſiae iura reſpiciunt, tum inde uſu ſervata, et in obſervantiam deducta ſunt. In iure Eccleſiaſtico Proteſtantium exponendo uſus eſt Noſter principio: iura poteſtatis eccleſiaſticae, quae tum penes eccleſiam, qua talem, ab origine ſunt, tum eidem imperantium beneficio data, indeque eccleſiaſtica effecta ſunt, in Principes et Magiſtratus Evangelicos delata eſſe ipſa eccleſia deſiderante, et conſentiente, et eius ſalute id exigente, eaque non minus pactis publicis eſſe firmata; denique ſupereſſe iura, quae et cum Eccleſiae conſenſu ſint peragenda, ab iisque omnibus ſedulo ſeparanda eſſe, quae ſunt iura imperantium, et iura maieſtatica circa ſacra.

Antiquum eſt illud principium, ipſis rerum argumentis, et eccleſiae inſtitutis, et ipſo diſtincto exercitio eorum, quae ſecularis et eccleſiaſticae poteſtatis ſunt, comprobatum, nec non ab ipſis Principibus Evangelicis publice agnitum, qui in ipſo exercitio poteſtatis eccleſiaſticae ſummi epiſcopi perſonam ſe ſuſtinere ſtilo publico profeſſi ſunt; hoc videlicet artis termino, eoque in deſignandis iuribus poteſtatis eccleſiaſticae dudum recepto, ſignificaturi, ſe ea non iure imperii civilis, ſed poteſtatis eccleſiaſticae, in ſe ab eccleſia delatae, exercere.

Originem acquiſitionis ab eccleſia reſpicit illud principium, eique firmando acceſſerunt pacta publica, Pacesque Religioſae, quibus de tollenda vel ſuſpendenda Praelatorum Catholicorum iurisdictione per eccleſiam Evangelicam transactum; tum pacta Provinciarum fundamentalia, quibus de legitimo poteſtatis eccleſiaſticae exercitio cum Statibus provincialibus ſubditisque conventum eſt. Itaque et pacta publica ſpecialem titulum iurisdictionis eccleſiaſticae Statuum imperii Evangelicorum praeſtant, eodemque non minus uti ſolent

ſolent Status Imperii Evangelici, ceu docent literae eorum ad Imperatorem datae a. d. 4. Aprilis 1750. in *Io. Car. Koenigii ſelectis iuris publ. noviſſ. tom. XXIII.* p. 356. in quibus *iurisdictio eccleſiaſtica* vocatur: *eins der edelſten Rechte Evangeliſcher Statuum, welche dieſelben nach denen obhandenen pactis publicis in dero Landen privative exerciren.*

Obſervare iuvat, hoc loco, in illo mitiori iurium poteſtatis eccleſiaſticae exercitio, quo uſi ſunt Status Imperii Evangelici, honorem frequenter habitum eſſe clericis, in iisdem in rerum eccleſiaſticarum conſilium adhibendis, partibusque adminiſtrandae iurisdictionis eccleſiaſticae ipſis demandandis. Sed emerſit inde in hominibus dominandi ingenio ductis, idem fere clericalis auctoritatis abuſus, quo premitur Eccleſia Romana, ut iura commiſſa velut propria exercere, in iisque obeundis arbitrium, immunitatem, et exemtionem tueri contenderent. Eius rei exempla vidit ſuperioris ſeculi aetas, et nonnulla recenſet *Ioannes Schwarzkopp*, Sereniſſimi Ducis Brunſuico Guelpherbytani Miniſter et Cancellarius, in conſilio ea de re dato, quod exhibet *Chriſtianus Thomaſius*, in *Iuriſtiſchen Haendeln, Parte II.* p. 340., qui et ipſe vim Clericorum, ipſorum malo, expertus eſt, ceu docent fata et litigia ab ipſo eodem loco *Parte III. p. 1. ſ.* expoſita. Quos conatus, cum graviter ferrent multi, tum ad eosdem oppugnandos animi converſi ſunt. *Samuel Puſendorſius*, praeſtantis doctrinae vir, in libello *de habitu religionis ad vitam civilem*, Papatum velut impugnaturus, impugnabat clericorum ſuae eccleſiae affectatum imperium, *miniſterii et poteſtatis eccleſiaſticae* diſcrimina oſtendens, et illud quidem clericis commiſſum, hanc vero penes Eccleſiam eſſe, et poteſtati civili ſubordinatam. Sed ulterius progreſſus *Thomaſius*, adoptata eorum ſententia, qui iam multum auctoritati Principis tribuerant, nec habita eorum, quae Eccleſiae, quae Principi, qua Principi, competunt, ratione, omnem etiam poteſtatem eccleſiaſticam impugnaturus, *imperium civile*, fontem iurium in Eccleſiam conſtituit, ex *ſuperioritate territoriali*, non qualem fert S. R.

Impe-

Imperii formula, ſed qualem ipſe exiſtimavit, iura principis Evangelici in ſacra deſcendere opinatus. Nacta eſt haec opinio fautores, quamvis a multis deinceps temperata, et ad aequiora principia revocata; ſed et illa aliis viris doctis locum fecit eam examinandi accuratius, et ſeparandi quae invicem miſcentur, iura imperii in Eccleſiam, et ipſius Eccleſiae iura. Quae quamquam ab eodem principe Evangelico exercentur, tantum tamen abeſt, ut ideo eodem titulo competant, ut potius iura poteſtatis eccleſiaſticae Eccleſiae, qua Eccleſiae, competentia, Principi non alia ratione, quam ex eccleſiae conſenſu, obvenire potuerint. Rectiora omnino ſunt eorum principia, qui iura poteſtatis et iurisdictionis eccleſiaſticae, quae poſt repurgata ſacra Statibus Imperii Evangelicis obvenerunt, non iure Superioritatis territorialis, quae iſtiusmodi iura ex formula imperii non comprehendit, ſed vi ſpecialis tituli, pactis publicis comprobati, competere ſtatuunt. Nec habent, qui his principiis in iurisprudentia Eccleſiaſtica Evangelicorum inſiſtunt, quod de male cohaerente iurisprudentia conquerantur: quod utique facere oportet eos, qui ex aſcititio peregrino principio Superioritatis territorialis aeſtimant iura et inſtituta, quae per eam non determinantur, ſed alios natales habent.

Tentavit eius rei periculum facere *Illuſtris Auctor* in per-[illegible]adis, quae in lucem prodeunt, iurisprudentiae eccleſiaſticae principiis. Et feliciter quidem. Ordine uſus eſt naturali, qui praeponenda eſſe iubet, quae ad reliqua intelligenda viam muniunt. In *parte generali* perſecutus eſt principia, quae tum in genere ad indolem Eccleſiae, eiusque nexum cum republica, tum in ſpecie ad utriusque Eccleſiae in Germania approbatae origines, ad utriusque nexum legibus publicis conſtitutum, et ad hiſtoriam legum eccleſiaſticarum pertinent.

In *parte ſpeciali*, quatuor libris, complexus eſt ſpecialia iuris eccleſiaſtici principia. In Eccleſia videlicet, quae univerſitas eſt, religionis Chriſtianae colendae cauſſa conſociata, et miniſterio inſtructa, tria maxime momenta conſideranda



ſunt,

ſunt, tum ea, quae miniſterium, tum quae poteſtatem eccleſiaſticam, tum quae cultum divinum reſpiciunt. Praemiſſa ſunt libro I. quae ad miniſterii poteſtatem ſpectant, quae ordinationi tribuitur, a qua quippe ſtatus clericorum, eorumque iura in genere, dependent.

Ab his, quae ordinis ſunt, perventum eſt libro II. ad poteſtatem, ſeu iurisdictionem eccleſiaſticam, in cuius exercitio regimen eccleſiaſticum verſatur. Cum ratione eorum, qui regimini eccleſiaſtico praeſunt, prorſus diverſa ſit Eccleſiae Romanae et Evangelicae politia, ſeiuncta eſt regiminis eccleſiaſtici in utraque Eccleſia tractatio, per ſpeciales ſectiones. Tandem in poſtrema ſectione partes regiminis eccleſiaſtici generales expoſitae ſunt, quae in poteſtate leges ferendi, in iurisdictione contentioſa, et in viſitandi poteſtate conſiſtunt.

Iura circa cultum publicum enarrata ſunt libro III. expoſitisque utraque priori ſectione iuribus, quae circa actus ſacros, eorumque celebrationem, quaeque circa matrimonium verſantur; ſectione tertia de univerſitatibus, religionis cauſa inſtitutis; ſectione quarta de officiis et beneficiis eccleſiaſticis, quae maxime cultus divini cauſſa ordinata ſunt; denique poſteriori ſectione de rebus bonisque cultui divino inſervientibus, et eccleſiae acquiſitis, actum eſt. His tandem libro IV. ſubiuncta tractatio eſt eorum, quae iurisdictionis eccleſiaſticae exercitium in iudicio concernunt. Quibus non minima pars eorum, quae in fora ſecularia tranſierunt, continetur.

In ſingulis explicandis ea ratione Illuſtris et celeberrimus Auctor verſatus eſt, ut traditis cuiuslibet negotii notionibus et originibus, iura et obligationes inde deſcendentes, et quae ad modum illa exercendi pertinent, expoſuerit, memor artis, quam Servii Sulpitii exemplo imitandam proponit *Cicero* in Bruto, c. 41. *quae doceret, rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando: ambiguam primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera et falſa iudicarentur,*

et

*et quae quibus propoſitis eſſent quaeque non eſſent conſequentia.* Fontes, ex quibus fundamenta iuris tutiſſime hauriuntur, indicati ſunt diligenter, interſperſis quoque ſcriptorum cuiuslibet argumenti idoneorum allegationibus, maxime ubi de inſtituti eccleſiaſtici originibus, vel de oſtendendo iurium uſu, vel de controverſiis agebatur. — Nos vehementer optamus, ut, ſtudioſae iuventutis commodo, praelectiones in Academiis, hoc egregio Libro duce, frequentes inſtituantur; neque negligantur impoſterum, quemadmodum adhuc, ea ſtudia, quae, etſi non ſunt de pane lucrando, deque implendo rumine, tamen ad noſcendam civitatis perfectae faciem neceſſariae debent videri.

## *MONIMENTA MEDII AEVI, EX BIBLIOTHECA Regia Hanoverana produxit, et praefatus eſt CHRISTIANUS GUIL. FRANC. WALCHIUS, S. Th. D. et P. P. Ord.*

Faſciculi Quatuor.

Goettingae, ſumtibus Boſſigelianis, A. 1757-1760. 3. Alph. 7. plagg. octonis.

Quo magis intereſt florentis hodie Eccleſiae Chriſtianae, ut intelligatur ab omnibus, quam foedis vitiis, et abominandis, res omnis et religio Chriſtianorum contaminata fuerit proximis ante perfectam divinitus ſacrorum repurgationem ſeculis; tanto diligentius curarunt viri docti et veri amantes, ut e latebris ſuis protraherentur monumenta quaevis, e quibus haec triſtiſſimorum temporum imago perſpici, neque adeo locus relinqui poſſet vel negantibus audacter, vel doloſe minuentibus aetatis illius calamitatem. Atque iſtud, poſt ingentem *Matthiae Flacii* conatum, adeo liberaliter adiuti a fortuna praeſtiterunt, ut exhauſtum pene hoc genus veterum ſcriptorum noſtro aevo videretur. Sed alia omnia docuit feliciſſima diligentia viri doctrina et ingenio clariſſimi, *Hermanni von der Hardt*, Academiae Iuliae Caro-

linae Theologi, qui incredibilem fere multitudinem eorum collegerat, iisque partim *Acta Concilii Conſtantienſis*, victurum opus, exornaverat, partim coeperat ex iisdem ſtruere *Hiſtoriam litterariam Reformationis*, quatuor voluminibus abſolvendam. Horum tamen cum primum duntaxat publicatum ab illo fuerit, quae reliquis deſtinaverat, in ſplendidiſſimam bibliothecam Regiam Hanoveranam translata ſunt, Voluminibus XVI. comprehenſa. Ea iam edenda, prout videretur, Illuſtriſſimus vir, et maior Maecenate Maecenas, *Münchhuſius*, conceſſit Ven. *Walchio*: qui, cum duplex illorum genus eſſe cerneret, alterum nondum omnino, vel mendoſis e codicibus, luci redditorum; alterum quae ipſum haberent auctorem *Hardtium*, eo conſilio uſus eſt ſane laudando, ut ex poſteriori genere praefationes unice in rem ſuam verteret, decerptis iis quae congeſſerat in illas *Hardtius* de ſcriptoribus ſingulis, eaque nunc contraheret in anguſtias, nunc novis obſervationibus amplificaret, reliquam autem farraginem, ingenii exuberantis luſibus nitentem, miſſam faceret. Ita commoda faſciculorum diſtinctione adhibita, in his Seculi XIV. et XV. reliquiis edendis verſatus eſt, praefationibus autem copioſis, quae ſcitu videbantur neceſſaria, lecturis propoſuit. Age autem ſingulos enarremus.

*Faſciculo* quidem *Primo* exhibentur: I. *Matthaei de Cracovia*, Epiſcopi Vormatienſis, de ſqualoribus Romanae curiae tractatus. Antiquum errorem, qui eum Polonum fecit, primus ſuſtulit *Ludewigius*, docens Pomeranum fuiſſe, e nobili Cracoviorum familia; quod confirmatur obſervatione *Hardtii*, orationem eius ſaepius linguam germanicam redolere. Epiſcopatum Vormatienſem adeptus eſt anno cIↃ CCCCV. Dignitatem Cardinalis Eccleſiae Rom. repudiaſſe videtur propterea, quod ea valde dubia eſſet eo tempore, quo bini Pontifices eccleſiam turbabant. Mortuus eſt anno Seculi illius X. Inter eius opuſcula, diligentiſſime recenſita ab *Oudino*, principatum tenet quod hic ſecundis curis editur. Ac ne quis παραχρονισμὸν ſibi in eo videre videatur, docet Ven. *Walchius*, hos a recentioribus deſcri-

ptori-

ptoribus adiectos fuiſſe, nec legi in codice auguſtae bibliothecae Guelpherbytanae, quo una cum Helmſtadienſi uſus eſt *Hardtius*. Primus edidit *Wolfg. Wiſſecurgius*, cum *Petri de Alliaco canonibus de emendatione eccleſiae*, Baſileae 1551. 8. cuius fidem ſecutus *eſt Brownius*, qui *Ortuini Gratii Faſciculum rerum expetendarum et fugiendarum*, Lond. 1690. fol. iterum typis exſcribi iuſſit. - Sed cum exemplum illorum ex Codice longe corruptisſimo petitum ſit, fecit operae pretium *Walchius* noſter, hac accuratiore editione curata. Habet autem hic libellus non modo candidam Romanae curiae, qualis ſub Bonifacio IX. fuit, deſcriptionem, h. e. acerrimam reprehenſionem flagitiorum, quae cum ſummo eccleſiae detrimento ab ea patrabantur; ſed etiam ſententias de poteſtate et auctoritate Epiſcoporum Romanorum eas, quae his ipſis opponi ex proprio coetu posſint. II. *Gravamina nationis Germanicae adverſus curiam Romanam, Iohanni Cardinali S. Angeli, Nicolai V. Pontif. Rom. legato, exhibita.* Anecdoton, quod Viri doctiſſ. *Iac. Frid. Georgii*, a quo Nationis German. Gravamina collecta ſunt, diligentiam fugit. Deſcripſit *Hardtius* ex codice Helmſtadienſi, qui hunc titulum praefixum habebat: *Aviſamentum ſuper Reformatione univerſali facienda et celebratione concilii generalis.* Mutari autem voluit illum in aptiorem. Sed idem quod exiſtimat, haec gravamina oblata fuiſſe Cardinali *Iohanni Carvajal*, Nicolai V. P. M. in Bohemiam legato, conciliare Noſter non poteſt cum miſſo eodem tempore in Germaniam Card. *Nicolao Cuſano* A. 1450. niſi forte credas, Germanos haec gravamina *Cuſani* conſiliis inimica, ad Card. *Iohannem* Romam miſiſſe. Acerbisſimae ſunt, et lectu dignae maiorum noſtrorum de miſero Eccleſiae ſuae ſtatu, de curiae Romanae vitiis, de intolerabili indulgentiarum nundinatione, aliisque huius generis querelae. III. *Iohannis de Veſalia adverſus indulgentias diſputatio.* Clarum nomen Seculi XV. et confeſſoribus veritatis accenſendum. Legerat hunc eius libellum *Flacius*, et quaedam ex illo inſeruit Catalogo ſuo: e cuius codice deſcriptum hic primum prodire ait

*Walchius.* Sed agnovit poſtea in Praefatione Faſciculi II. eum iam ab *Hardtio* editum fuiſſe a. 1737. in libro tamen paucorum manibus vel trito, vel etiam terendo: quo magis haec illius repetitio probanda eſt. Docet autem vir egregius, cuius libros ſe magno cum fructu legiſſe fatetur *Lutherus* noſter, omnem de indulgentiis doctrinam vanam eſſe et Script. S. contrariam: cum qua ſententia coniunxit pluſculas, quae oſtendunt quam ſtudioſus fuerit veritatis Chriſtianae. IV. *Iacobi Iunterburgii de negligentia Praelatorum libellus.* Carthuſianus hic monachus Erfordienſis, qui in eadem urbe theologiam docuit, et anno 1465. diem ſuum obiit, plura ſcripſit, partim iam edita. Commentariolus praeſens deſumtus eſt ex codice Helmſtadienſi, qui olim *Flacii* fuerat. Multa graviter et ingenue dicit vir bonus de praeſulum ſacrorum ſuae aetatis, ſed maxime de monachorum virginumque ſacrarum vitiis. Reformationem eccleſiae fatetur eſſe maxime neceſſariam. Illud autem memorabile inprimis eſt, quod poteſtatem tribuit imperantibus, bona clericorum ſubtrahendi illis, et ad alios uſus, etiam profanos convertendi, ſi male iis utantur.

*Secundi Faſciculi* libellos cognoſcite nunc, Lectores. I. *Iohannis Novarienſis* oratio, in Concilio Piſano habita. Nimirum totus eſt hic Faſciculus in orationibus expromendis, quae in Conciliis Sec. XV. habitae fuerunt, dignis profecto, quas aetas noſtra collectas ante oculos habeat. In iis autem quae in Piſano et Conſtantienſi Conciliis recitatae ſunt, tria maxime commendantur Patribus: exſtinctio ſchiſmatis, eccleſiae in capite et membris reformatio, haereſeos denique Huſſiticae et Wicleſiticae, (vel potius hominum libertatis Chriſtianae ſtudioſorum,) oppreſſio. Quae licet multa ſtuporis infelici ſeculo proprii ſigna edant; tamen de corruptelis ſimul eccleſiae, celerrimam medicinam flagitantibus, non minore ſaepius παῤῥησίᾳ verba faciunt, quam illi quos infenſiſſimos ſibi hoſtes iudicavit Eccleſia Romana. Primae quidem huius orationis, a *Ioh. Novarienſi Epiſcopo* habitae, particulam *Hardtius* iam publicavit, eandemque repetiit

tit Cl. *Manſius* in Suppl. Concil. T. III. nunc integra editur. Hoc agit maxime orator, ut malorum, quae ex ſchiſmate Pontificio percepit Eccleſia, magnitudinem exponat, deinde novi Epiſcopi Rom. iam eligendi virtutes perſequatur. II. *Matthaei Roederi, S. Paginae Prof. Galli, Oratio in Concilio Conſtantienſi habita*, quae Eccleſiae generalem ac neceſſariam Reformationem ſumma vi ſuadet ſuſcipiendam. III. *Pauli Valentini, Praeſulis Telonenſis, Oratio in eodem Concilio recitata.* Habet inter nugas plurimas bona nonnulla: Sed alia eiusdem Epiſcopi oratio ibidem habita, qua vehementiſſime Pontificem aggreſſus eſt, latet adhuc ignotis in ſcriniis. IV. *Theodorici de Monaſterio, Theol. Prof. Colonienſis, Panegyricus, in Concilio Conſtantienſi dictus.* Laudat Gregorium XII. qui ſe ipſe Pontificis dignitate exuerat, ſimul et Concilii neceſſitatem atque auctoritatem tuetur. V. *Bertrandi Vaqueri, Theol. Prof. Ordinis b. Mariae de Monte Carmeli, Conventus Montispeſſulani, ſermo, eodem in Concilio habitus.* Exagitat corruptos ſacerdotum mores, et ad eos emendandos hortatur Concilium. VI. *Auctoris anonymi oratio de corruptiſſimis Eccleſiaſticorum moribus, in Concil. Conſtantienſ habita.* Queritur de amiſſa Eccleſiae dignitate, et cauſas eius rei aperit. Quamvis autem de Eccleſiae poteſtate magnificentius ſentiat quam verius, legendus tamen eſt ob latentia in eius oratione documenta redditi ex parte magiſtratibus Chriſtianis iuris ſacrorum. VII. *Alia Anonymi Oratio ibidem habita.* Corrigendos ſacri ordinis mores oſtendit, notatque in eo litterarum etiam ſacrarum negligentiam, et ignorationem rerum divinarum. VIII. *Hotrici Abendoni, Prof. Acad. Oxonienſis, Panegyricus in Concilio Conſtantienſi habitus.* Auctor reliquis ingenio et doctrina ſuperior, qui de Anglicae Eccleſiae ſtatu ita diſſerit, ut intelligatur, eam non minoribus, quam reliquas, malis preſſam fuiſſe. IX. *Auctoris anonymi oratio, in eodem Concilio habita.* Praemonſtratenſis hic monachus non contemnendam Script. Sacrae ſcientiam, aliaque oratoris bona prodidit, eo tempore rariſſima.

Perve-

Pervenimus ad *Faſciculum Tertium*, qui haec nobis offert. I. *Iacobi de Miſa, ſeu Iacobelli*, (qui primus divinitus inſtitutum Calicem in S. Euchariſtiam revocavit,) *Opuſculum de purgatorio animarum.* Scriptum videtur contra Waldenſes, oſtenditque virum in veri cognitione et profesſione longius provectum, tamen inveteratos adhuc quosdam eccleſiae errores defendiſſe. Ceterum iisdem fere, quibus poſtea *Bellarminus*, pro ficto illo igne armis militat. II. *Auctoris anonymi oratio de vitiis Clericorum, in Concilio Conſtant. dicta.* Praeclare diſputat de officiis miniſtrorum Eccleſiae, eosque, quos illa aetas protulit, parum illis ſatisfacere ſignificat. III. *Iohannis Zachariae, Ord. Eremitarum S. Auguſtini*, *Oratio de neceſſitate Reformationis, in Concilio Conſtant. habita.* Dicuntur quaedam a celebri hoc Io. Husſi, (ſi diis placet,) victore; e quibus pravi mores Clericorum illius aevi ſatis elucent. Sed ipſa oratio, ut recte iudicat Doctiſſ. Editor, illuſtre exemplum eſt corruptelarum, quas falſo dicti praecones verbi divini ſeculis illis contraxerant. IV. *Theodorici de Monaſterio Panegyricus, de infanda Eccleſiae corruptione, in eodem Concilio dictus.* Libere exprobrat Clericis turpem Script. S. negligentiam, et, quod inprimis dignum obſervatu eſt, nimiam Iuris Canonici auctoritatem redarguit. V. *Leonardi Statii, e familia Dominicanorum, oratio prô maturanda Reformatione, in Concilio Conſtantienſi habita.* Homo Italus, et familiaris Pontificum Romanorum, non negat ille quidem, indigam eſſe emendationis rem ſacram Romanam, imo ad vitia Clericorum proſcribenda patres cohortatur; ſed addit tamen idem, primum omnium eligendum eſſe novum Pontificem, nec ſpernenda Iuris Canonici decreta. Quo ipſo confirmatur, quod pridem monuerunt viri docti, Italorum aſtutiae potisſimum tribuendum eſſe, quod Concilium Conſtant. ea in emendatione Eccleſiae non perfecerit, quae ab illo Europa univerſa exſpectabat. Ceterum idem *Leonardus* ineptisſimam opinionem tuetur, Dei filium, etiam ſi numquam lapſus eſſet Adam, tamen humanam naturam induturum fuiſſe. VI. *Auctoris anonymi Oratio pro maturanda*

*randa*

*randa Reformatione, in Concilio Conſtantienſi habita.* Multo rectius ſuperiore illo de emendatione eccleſiae ſentit. Eam perfici vult ab Eccleſia ipſa, et ad normam doctrinaeque vitaeque Chriſti conformari. VII. *Auctoris anonymi Sermo de meliori Clero, in Concilio Conſtant. recitatus.* Reprehendit nundinationes munerum eccleſiaſticorum, in curia Romana uſitatas, et vitia doctorum eccleſiae plerorumque. VIII. *Hugenetti de Metis, Iuris Doct. Avenionenſis, Panegyricus* pro maturanda *Eccleſiae Reformatione, in Concilio Conſtantienſi dictus.* Excitat Patres ad ſuſcipiendam reformationem eccleſiae, cuius triſtem ſatis imaginem delineat, et aperte eos negligentiae accuſat, qui per triennium nihil adhuc effecerint, quod ſalutari illi conſilio inſervire poſſit. IX. *Luciferi ſeu Satanae Epiſtolae binae:* a) *ad Clerum*, qua mores eorum inſectatur. Hanc *Flacius* Magdeburgi 1549 8. luce donavit, ex quo alii repetiere. Sed uſus erat exemplo, ut videtur, interpolato. Cum breviorem Codicem nactus eſſet *Hardtius*, communicavit cum *I. A. Schmidio*, qui eam Epiſtolam, una cum ſecunda, in Diſſert. de libris et epiſtolis coelo et inferno delatis, Helmſt. 1704. excudi fecit. b) *Ad Iohannem Dominici, Cardinalem Raguſinum.* Hic cum princeps fere amicorum Gregorii XII. eſſet, et impedire hunc crederetur, quo minus conſiliis de ſchiſmate tollendo obſequentem ſe praeberet: aſperrimis verbis in hac epiſtola notatur, vel potius ridetur ſatyrice. Utramque epiſtolam, non alienam ab argumento reliquorum monumentorum, recte illis adiunxit Ven. *Walchius.*

*Faſciculum* denique *Quartum*, qui *Tomum primum* huius collectionis claudit, ſcriptis non minus dignis, quae conſervarentur, V. Cl. exornavit: quorum hic index eſt. I.) *Auctoris anonymi Oratio, de Reformatione infeliciter dicta, in Concilio Conſtantienſi dicta.* Hic ipſe quoque vitia ſacri ordinis ingenue notat, atque adeo in Patribus Concilii reprehendit

 cupi-

cupiditatem, qua quisque flagret, commodis ſuis inſerviendi, manifeſtaque vitae dedecora; unde mirandum non ſit, cur nihil adhuc celebratiſſimus hic conventus in emendanda eccleſia profecerit. Ceterum, eruditionis ſuae vel lectionis potius copiam intempeſtive effudit Orator hic, et Sigismundum Caeſarem, tum praeſentem, ita laudavit, vel, ut verius dicamus, omnium virtutum encomiis oneravit, ut prorſus riſum legentibus ſuſcitet. II.) *Auctoris anonymi Panegyricus, de dignis Clero virtutibus, in Concilio Conſtantienſi dictus.* Habitus videtur fuiſſe a viro praecipuae dignitatis, cum ad praeſules et patres purpuratos ita loquatur, ut eos ſibi fere pares eſſe non obſcure innuat. Itaque etiam liberrimo dicendi genere utitur, quod talis auctoritatis virum deceat, flagitia Cleri graviter perſtringit, adminiſtrationem munerum et bonorum Eccleſiaſticorum, lectionem Scr. S. aliaque vel negligentius tractata, vel abiecta penitus, emendanda et reſtituenda commendat. III.) *Iohannis Gochii, de quatuor erroribus circa legem evangelicam exortis, et de votis et religionibus factitiis, dialogus.* Hunc velut lunam micare inter ignes minores, vere dixerimus. Vitam optimi viri, qui purioris doctrinae partes bene multas magno animo profeſſus eſt, ex ſparſis Scriptorum locis enarravit in praefatione Cl. Editor. Vita functus eſt Mechliniae A. 1475. praefectus ſacris virginibus familiae Auguſtinianae. Cum eſſet ex eorum numero ſane paucorum, qui tum religionem ex ipſis ſacris litteris haurirent, multa rectius ceteris vidit, laudatusque propterea eſt a *Flacio.* Quare etiam ſcripta eius in indicem librorum prohibitorum, eiusque claſſem omnino primam, retulit Eccleſia Romana. Publicavit eorum nonnulla *Cornelius Grapheus*, Eraſmi amicus, qui Senatui Antverpienſi ab epiſtolis fuit; ſed nec horum, nec ἀνεκδότων eius opuſculorum cenſus ſatis certo inſtitui poteſt. Hunc quidem eius dialogum a ſe primum in lucem proferri arbitratur Noſter. Eſt autem iis de ſcriptura ſacra, unico reli-

religionis fonte, de viribus naturalibus hominum ad veram pietatem procreandam minime idoneis, de cultus divini externi pretio moderando, de votis monaſticis; de ſacramentorum virtute percipienda, de diſcrimine inter Presbyteros et Epiſcopos a Romanis iniuria introducto, aliisque ſententiis refertus, ut ſemina doctrinae a *Luthero* reſtauratae tenuiſſe iudicandus ſit. IV.) *Bernardi Weſterrodi Planctus.* Fatetur noſter, nihil ſe de auctore compertum habere; ſed verſus ipſos Seculo demum XIV. ſcriptos fuiſſe, probabili coniectura docet. Hos licet iam *Flacius, Wolfius*, et *Berneggerus* ediderint, repetendos tamen duxit: non modo propter eorum praeſtantiam et ingenuam orationis ſimplicitatem, cum paucis omnia fere complectantur, quae de Clericorum moribus corruptiſſimis queſti erant olim viri cordati; ſed etiam quod *Harttii* codex, quem ſecutus eſt *Walchius*, rectius nonnulla legit ſuperioribus editionibus. Tamen cum hae quoque nonnumquam veram lectionem adſervaſſe videantur, varias lectiones earum ſubiecit.

Intelligent nunc Lectores, quam utilem hiſtoriae Chriſtianae operam navaverit V. S. Rev. edendis aut recudendis monumentis, de quibus adhuc diximus. Qua in re plurimum diligentiae et accurationis, ſed neque minus veritatis ſtudium declaravit. Neque eum in his initiis ſubſiſturum eſſe docet quem nuper publicavit *Tomi Secundi Faſciculus primus*, de quo propediem dicemus.

*ELEMENTORUM ANALYSEOS INFINITORUM IOAN. ANDREAE SEGNERI, Ser. Regi Bor. a Conſiliis intimis, Mathemat. et Phil. Nat. in Acad. Fridericiana Profeſſ. Primarii etc. PARS II. pagg. 572. cum V. tabb. aeneis in 8.*

Halae Magd. in Offic. Rengeriana, 1762.

 Om-

Omnium, qui Mathemata amant et colunt, deſiderium, elegantiſſimum eorum ſyſtema Segnerianum totum tandem conſequendi, nimis quidem lente expletur; partium tamen eius ſingularum, quarum altera alteram tam longo temporis intervallo excipit, ea eſt praeſtantia, ut, cum fere extinctum ſit, prodeunte nova parte denuo ſuſcitetur, atque harum rerum cultoribus ardentiſſima exprimat vota, quo illuſtri Auctori placeat, in reliquis eius partibus edendis feſtinare, diuque deſiderato ſyſtemate calculi integralis, eius meditationibus profundis digeſto, orbem litterarium exhilarare. Tertiam hanc Analyſeos Mathematicae partem, et quidem Sect. XI. et XII. illuſtris Segnerus a pertractanda accuratiori conſideratione Logarithmorum incipit. Satis diu controverſia de Logarithmis, Leibnitium inter ac Ioan. Bernoullium exorta, Mathematicos ſuſpenſos tenuit. Quorum ille non ſolum imaginariarum, ſed etiam negativarum quantitatum Logarithmos, imaginarios eſſe defendebat: hic contra Logarithmos affirmativarum et negativarum poſitivos ſtatuebat, ut ex eius ſententia $l-a = l+a$. Utrinque iis res agebatur argumentis, ut difficile diiudicatu eſſet, cuius ſententia vera. Illuſtris tandem Eulerus, conſiderata intimiori Logarithmorum natura, ſententiam Leibnitii veram eſſe demonſtravit, eaque occaſione inſignes Logarithmorum, ac antea plane incognitas proprietates, detexit. Quae cum, quantum nobis quidem cognitum, in nullum adhuc ſyſtema, diſcentium uſibus deſtinatum, inſertae, ac eorum ingenio, (cum inventores non niſi Mathematicis primi ordinis ſcribant,) accommodatae ſint: tanto maiorem huic libro ornatum conciliant, quo accuratius illuſtris Auctor eas a primis originibus deduxit. Docens nimirum primum, omnes quantitates, impoſſibiles aeque ac poſſibiles, affirmativas ac negativas, per ſinus ac coſinus exprimere; indicat ſimul methodum, quantitates ita expreſſas multiplicandi, atque datae quantitatis radices puras dati ordinis omnes, etiam cuius expo-

nens

nens ſit infinite magnus, per has circulares quantitates exhibendi. Deinde vero ſingulas has propoſitiones tam luculentis exemplis illuſtrat, ut nulla in concipiendis his maxime ſubtilibus veritatibus difficultas, attentis, ac eorum quae in antecedentibus partibus tradita ſunt peritis lectoribus, etiamſi eas ſine doctore legant, ſubnaſci poſſit. Quibus demonſtratis, Problemate quarto conficitur, eiusdem numeri plures poſſe eſſe Logarithmos, quorum omnium idem ſit modulus: omnium quantitatum negativarum Logarithmos eſſe omnes impoſſibiles, aeque ac Logarithmos imaginariarum; ſingulorum vero horum Logarithmorum, cuilibet numero reſpondentium, non ſolum formae, ſed et ſyſtemata exhibentur, et exemplis declarantur. Sectio XIII. continet utiliſſimam, de aequationibus differentialibus completis, doctrinam. Haec quidem in ſcriptis eorum, a quibus elegantia calculi differentialis compendia habemus, non omiſſa, ſed ab omnibus fere iuſto brevius pertractata ſunt. Illuſtris vero Segnerus tam copioſe expoſuit, ut ex iuventute academica etiam illi, quorum res non permittunt ut praelectionibus in Matheſeos paulo reconditae partes intereſſe poſſint, proprio marte, ſi has res amant, et commodiori, quam in Academia fieri poteſt, tempore, ex ea addiſcere queant. Quo reſpectu inprimis totum Syſtema Segnerianum Matheſeos nunquam ſatis commendari poteſt. Ardua enim in eo, ſubtilia, et a primis principiis longe remotiſſima Matheſeos capita, ita clare, dilucide, ac copioſe, ex genuinis principiis, et ſolide proponuntur, ut illud commentarii loco adhiberi poſſit, in quo ea, quae alibi aenigmatum more propoſita ſunt, inſignem conſequuntur lucem. Quorum veritatem Lectores, ſi Noſtrum in plurimis capitibus conſuluerint, ipſi comperient; imprimis vero eam intelligent perlecta hac eminente differentialis calculi parte, cuius apud alios vix aliqua extant veſtigia. Poſt enucleatam enim aequationum differentialium completarum ideam, regulas primum expedite

ex quavis aequatione algebraica ac tranſcendente capiendi differentialia completa demonſtrat; ſelectis aequationum exemplis ac ſchematiſmis geometricis illuſtrat; ipſa differentialia completa ad certas claſſes ac ordines reducit ac revocat, earumque univerſales proprietates eruit. Quarum palmariae huc redeunt: Aequationes differentiales completae, quae naſcuntur ex algebraicis, in quibus variabilis nulla vel ſub ſigno radicis eſt, vel in denominatore, ſemper determinato quodam ordinum differentialium numero conſtabit, eo ſcilicet, qui aequalis eſt indici ordinis, ad quem aequatio pertinet. Quae ex aequatione ſecundi ordinis naſcitur differentialis completa, praeter differentialia primi et ſecundi ordinis nulla continet: quibus aequatio tertii ordinis inſuper differentialia tertii ordinis addit; quarta quarti, et ita porro. Si vero in aequatione data variabilium aliqua exponentem dignitatis negativum gerat, vel affirmativum quidem ſed fractum; vel ſi functio tranſcendentalis ſit in aequatione ea: aequatio differentialis, quae methodo expoſita producitur, infinito terminorum numero conſtat, et infinitos continet differentialium ordines. Tandem vero, ut haec theoria pulcerrima quam ſit in omni Geometria utilis oſtendatur, Sect. XIV. illuſtris Auctor fuſe difficile illud problema ſolvit. Cuiuscunque aequationis variabilis $x$ et $y$ continentis differentiali completa, ſecundum regulas traditas formata, rationem evaneſcentium $dx$ et $dy$, ſive rationum $dy:dx$, ultimam per eas variabiles et conſtantes exhibere ad quamcunque $x$ et $y$, eiusque ope detegere curvae apud quodlibet punctum datum directionem, punctaque per aequationem datam non ſimplicia et in ſpecie duplicia, triplicia — ntuplica. Porro, cum aequationes differentiales completae incrementa omnium ordinum complectantur, eaeque, ſi utiles eſſe debeant, ad maiorem ſimplicitatem revocantur ponendo aliquam variabilium, quae eis inſunt, infinite magnam vel infinite parvam: maximopere tum intereſt noſſe certa principia notas-

que

que, ex quibus ſine errore cognoſci poſſit, qui termini aequationis prae aliis evaneſcant. Ea quidem principia ac notae, magna iam ſui parte, initio ſtatim Analyſeos infinitorum, et quidem Cap. I. ſolide tradita ſunt ac demonſtrata: illuſtris tamen Segnerus, ne quid eius ſyſtemati deeſſet, alias adhuc tradit notas, quibus negotium illud ſummi momenti facilitetur, in inſigni de comparatione infinitorum Sectione, oſtenditque, illud aliquando pendere a Logarithmorum interiori natura, quae vel ideo de novo ac profundius expoſita eſt. Ubi vero termini aequationis diverſis litteris conſtant, facilius ac certius illud cognoſci nequit, quam ex Parallelogrammo Newtoniano, de quo itaque in hac Sectione brevem ſuccinctamque demonſtrationem Lectores invenient. Quae ſequuntur Sectiones, eae applicationibus theoriarum ſolide expoſitarum abſolvuntur. Et quidem primum ad res Geometricas, ubi varia lectu digniſſima, et quae alibi fruſtra quaeſiveris, occurrunt: de inveſtigatione punctorum, quae in lineis conſiderari ſolent, ſingularium omnis generis; de detegendis applicatis curvarum maximis ac minimis, radiis atque angulis curvedinum, rarius in infinitum excurrentibus, ac horum aſyptotis. Mox deinceps ſubiungitur applicatio ad Arithmeticam. Theoria enim aequationum differentialium completarum utilis admodum eſt ad declarandam ſerierum continuarum genuinam indolem. Foecundiſſimae itaque Sect. XX. ac ſolidiſſimae meditationes, ideis generalibus, proponuntur illuſtri ab Auctore, de ſerierum termino generali, de ſeriebus differentialibus, ſumatricibus, de approximationibus ad radices aequationum, de ſeriebus recurrentibus, harumque uſu in detegendis aequationum radicibus. Quarum rerum ſingularum ſupra quam dici poteſt ſubtiliter pertractatarum pulcritudinem dum mente perpendimus, merito in ſequentibus huius ſyſtematis partibus adhuc praeſtantiores, dum iamiam egregia earum in his ſtamina videmus, expectamus: et cum pauci ad eas tali ordine et ſoliditate

dige-

digerendas, diſcentiumque ingenio accommodandas nati ſunt, non aegre laturum illuſtrem Auctorem ſperamus, ſi eum, nomine omnium qui hiſce ſtudiis favent, rogemus, ut, inprimis cum difficilia illa ac luctuoſa tempora divina clementia cum pace commutata ſint, quae ſunt egregii ſyſtematis reliqua, acceleret, atque ita omnino exiſtimet, non ſe maius donum, aut exoptatius, poſſe litterato orbi offerre, qui talis beneficii memoriam, gratiſſimo animo, et propaganda tam praeclari nominis fama ad poſteros, certiſſime compenſaturus eſt.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iunii Anno MDCCLXII.

Pars I.

## *CALLIMACHI HYMNI EPIGRAMMATA et Fragmenta, cum notis integris H. Stephani, B. Vulcanii, Annae Fabri, Th. Graevii, R. Bentleii: quibus accedunt Ezechielis Spanhemii Commentarius, et notae nunc primum editae Tiberii Hemſterhuſii et Davidis Ruhnkenii. Textum ad fidem MSS. recenſuit, Latine vertit, atque notas ſuas adiecit IOH. AUG. ERNESTI.*

Lugd. Bat. ap. Sam. et Ioh. Luchtmans, Academiae typographos, 1761. octonis. To. I. 1. Alph. 12. plagg. To. II. 2. Alph. 10. plagg.

*Erneſtius*, Vir celeberrimus, iam ante multos annos conſtituerat Hymnos Callimachios edere, quum miram eorum venuſtatem et elegantiam cognoviſſet et adamaſſe coepiſſet iam adoleſcens, vidiſſetque, eos multis modis contaminatos et deformatos eſſe negligentia librariorum aliorumve mala ſedulitate, neque diligenter ſatis vel emendatos, vel illuſtratos ab editoribus recentioribus. Atque primo quidem voluerat id ſic facere, ut adiiceret breves notulas, quibus vitioſa emendarentur, et obſcura explicarentur, ut eſſet copia exemplorum, quibus uterentur auditores in lectionibus: ſed deinde quum Stubelius apud Germanos, et apud Britannos Thomas Bentleius, Hymnos Callimachi et Epigrammata edidiſſent, coactus tum eſt *Erneſtius* abii-

cere iſtud conſilium. Quae mora atque ſapiens cunctatio et Callimachi Carminibus admodum ſalutaris fuit, et ſtudioſis Graecarum litterarum vehementer utilis. Etenim quum Luchtmanni vellent ante annos aliquot repetere, ſumtibus ſuis, Graevianam editionem una cum Spanhemii Commentario: adierunt *Erneſtium* atque rogarunt, a *Ruhnkenio*, ut opinamur, admoniti, ut vellet, ſuae doctrinae copiis, conciliare et addere novae editioni nova ornamenta, novum ſplendorem. *Erneſtius* igitur, qui librariis hoc, pro incredibili ſuo erga bonas litteras atque Callimachum amore, negare nollet, ab eo tempore id ſibi ſerio agendum putavit, ut contraheret copias idoneas, quibus Carmina Callimachia adiuvarentur ornarenturque. Hae autem copiae, de quibus ipſe Vir ſummus diligenter egit in Praefatione, fuerunt et editi libri antiqui, et ſcripti manu Codices: quos eo magis conſulendos vidit, quum nullus editorum iis uſus ſit, praeter Stephanum, cuius tamen Codex novitius fuit et manifeſto interpolatus, ita ut textum fecerit, non meliorem, ſed longe vitioſiorem. Florentiae in bibliotheca Medicea nullus reperitur liber calamo ſcriptus; neque ille Codex vetus, e quo adornata eſt prima editio, hodie ibi comparet, ſublatus haud dubie cum caeteris Codicibus, bibliothecae per fraudem detractis. Sed e bibliotheca Ambroſiana, quae Mediolani eſt, accepit Cel. *Erneſtius* lectiones duorum antiquorum Codicum, qui ſaeculo fere undecimo ſcripti videntur, per *Ioh. Checcotium*, Virum Graece doctiſſimum, cuius amicitiam ei conciliavit, *Breitingeri* rogatu, *Iac. Chriſtophorus Beckius*, Baſilienſis Theologus. Idem *Checcotius* ſpem fecerat impetrandorum excerptorum Codicis, qui eſt in bibliotheca S. Marci Venetiis, ſed irrita fuit ſpes iſta. Miſit tamen lectiones duorum Codicum Vaticanorum in locis lacunoſis; et *Barſottus*, Collegii Scholarum Piarum in urbe Roma Rector, communicavit cum *Erneſtio* lectiones eorum locorum, quae ipſi notata miſerat, e totidem Vaticanae bibliothecae Codicibus, quorum alter N. CXLV. ſignatus eſt, alter N. MCCCLXXIX, ex quo ipſo *Checcotius* excerptum miſe-

miſerat, quum alterum eſſet e Codice N. XXXVI. ſignato. Scripti ſunt omnes ſaeculo XV. et unus eſt membranaceus. Praeterea celeb. *Ruhnkenius* miſit lectiones Cod. Reg. Pariſ. et Voſſiani, qui eſt in bibliotheca Leidenſi, et in Epigrammatis lectiones Cod. Palatini e Salmaſiano exemplo. Sed ex uſu et comparatione lectionum horum Codicum cognovit *Erneſtius*, Ambroſianos et Vaticanos eſſe meliores caeteris, et ab interpolationibus magis liberos; Codices non interpolatos omnes fluxiſſe ex uno exemplo; quosdam de Vaticanis forte ex ipſa editione Florentina manaſſe: nam unus eorum ſcriptus eſt a. 1496, et ſaepe ſaeculo quinto decimo factum conſtat, ut e libris editis primis, qui rariores et cariores eſſent, deſcriberentur alii. Praeter hos Codices in manus *Erneſtii* venit exemplum Vaſcoſani, quod olim Pe. Francii fuit, et quo iam Graevius filius uſus eſt, [vid. ad h. in Apoll. 31. et alibi], atque editio Aldina, in cuius margine a Germano quodam notatae erant ut lectiones editionis Frobenianae et Stephanianae primae, ita etiam quaedam emendationes. Sed notarum *Stanleii*, quae a *Barneſio* [ad Hom. Il. *i*, 414.] commemorantur, et quae nuper Londini venditae ſunt, fruſtra ſe profeſſus eſt emtorem, quem iam ante eum invenerant. Praeter haec auxilia ſcriptorum Codicum adhibuit libros editos principes, eoque magis, quia eos nec a *Graevio* ſatis diligenter inſpectos eſſe vidit. Prima editio adornata eſt per *Laſcarim* Florentiae a. 1494. cuius lectiones a Graeviana diverſas accepit Londino, ubi *Henr. Gally*, Vir clariſſimus, eas notavit ex Askewiano exemplo, *Ruhnkenii* rogatu. Editionem Florentinam a. 1513. 8. totam repetiit, cum larga acceſſione vitiorum typographicorum, *Aldus*. Quod ipſum fecit a. 1532. 4. *Frobenius*: quae tamen editio multo melior eſt Aldina, nam et vitia typographica ſublata ſunt, et multa mutata, nunc praeclare et feliciter, nunc perperam et temere: quae correctiones aut operis debentur, aut *Matthaeo Aurigallo*, qui exemplum Callimachium Frobenio exprimendum dedit, ut monet in Praefatiuncula *Gelenius*. Sed non ſatis conſtat,

emendationes iſtae e libro ſcripto fluxerint, an ex ingenio. quod tamen *Erneſtio* multo probabilius videbatur. In eadem editione primum coeperunt expleri lacunae h. in Cerer. 16. et 19. Eam excepit Pariſina a. 1549, apud *Vaſcoſanum*, ad calcem Oppiani: cuius textus fere totus eſt Frobenianus: raro diſſidet ab eo, nec libris antiquis auctoribus. Sequuta eſt *Stephaniana* a. 1566. in Corpore poetarum epicorum, in qua prima lacunae omnes expletae exhibentur. Repetita eſt Pariſiis a. 1574. 4. apud *Benenatum* cum Latina Verſione *Nic. Gulonii*. Sed a. 1577. *Stephanus* adornavit editionem alteram Genevae, cum notis ſuis et *Friſchlini*, cuius Verſio et proſaica et poetica acceſſit, cum Epigrammatis XXXIII. et Fragmentis quibusdam. Textus Graecus ipſe ſumtus eſt e prima editione, niſi quod in h. in Cer. etiam alter verſus [16.], Τρὶς δ' ἐπὶ καλλιχόρῳ κ. λ., adiectus eſt ei [15.] qui e manuſcripto libro in ſuperiori adſcitus erat. Atque huius exempli textus repetitus eſt poſtea ab omnibus editoribus; ita ut nulla controverſia mota ſit explementis lacunarum; quae tamen novitia ſunt atque adeo eiicienda. Nam partim ingenio Marci Muſuri debentur, partim e Verſione Cruciana poetica facta ſunt, et Codicibus manuſcriptis recentioribus, ut Voſſiano, inſerta. Editio ipſius Verſionis Latinae *Iac. Crucii* extat ſine loco et anno. *Saxius* tamen eam Mediolani prodiiſſe opinatur, annis ſaeculi quinti decimi poſtremis. Repetita eſt Bononiae nono anno ſequentis ſaeculi, quaternis: cuius editionis exemplum eſt in bibliotheca Paullina Lipſienſi. Ipſa Verſio videtur, ut Politiani Verſio Hymni in Lau. Pal., facta eſſe e libro manuſcripto. nam in notulis, quae adiectae ſunt, ſaepe proferuntur quaedam e libris Graecis, qui tum nondum ſubierant prela typographorum. Sed quum *Crucius* in ea adornanda hoc ſpectaverit, ut ſententia verborum Graecorum exprimeretur: ſaepe vix iudicari certo poteſt, quid in ſuis libris habuerit. Verſionis proſaicae, quae eſt in editione Benenati, auctor eſt, ut ante diximus, *Nic. Gulonius*, gener *Ioh. Aurati*, eiusdemque ſucceſſor in Profeſ-

ſione

ſione Graeca in Academia Pariſienſi. Quae etſi non aſſequitur ubique Graeci textus ſenſum: tamen locis multis accuratior eſt et melior Friſchliniana.

Iam, quomodo uſus ſit Vir ſummus multis his atque idoneis copiis, videbimus. Prima autem eius et maxima cura in hoc verſata eſt, ut textui Graeco, quantum fieri poſſet, priſtina integritas, nitor priſtinus, redderetur, ut, niſi omni labe careret, certe tamen et paucioribus et minoribus vitiis contaminatus legeretur. Unde non modo lectiones primas revocavit e libris ſcriptis et editis antiquis, atque tuitus eſt quas eiecerat recentiorum editorum vel temeritas inepta, vel inſcitia; ſed recepit etiam multas, quae non extant in libris ante editis, auctoritate Codicum calamo ſcriptorum, nonnullas etiam de coniectura. Adiecit enim coniecturas proprias non paucas, quas interdum confirmavit locis poetarum aliorum, quos Callimachus imitatus eſt, ut Homeri, Aeſchyli, aut qui Callimachi verba expreſſerunt, ut Apollonii Rhodii, Nonni, Dionyſii Periegetae, Arati: e quo fonte coniecturas emendationesque hauriri et peti poſſe, *Hemſterhuſius* maxime oſtendit aetate noſtra, quem deinde, hoc etiam in genere, multi eius diſcipulorum, ut *Ruhnkenius* et alii, ſequuti ſunt. Ipſumque Erneſtum ea de re quaedam diſputare voluiſſe in Praefatione, intelligitur e notis ad h. in Del. 125. ſed oblitus eſt id facere. Sed de coniecturis alienis fere ſic iudicium fecit eruditiſſimus Callimachi editor, ut eas reiiciendas docuerit, quod repugnarent et adverſarentur vel ingenio linguae, vel rei ipſi: quod accidit *Daweſii* maxime et *Reisquii* coniecturis. Multas tamen aliorum emendationes, *Ruhnkenii* in primis et amicorum eius, ut *Lennepii*, *Pierſoni*, probat ſaepe, atque adeo laudibus extollit. Cuiusque generis exempla quaedam, ſed promiſcue, apponemus, quae iniiciant et excitent lectoribus noſtris ſitim et cupiditatem legendi et cognoſcendi omnes notas Viri ſummi, ex iisque diſcendi rationem ſapientis et modeſtae Critices. H. in Iov. 13. pro ἐπινίσσεται, quod primus recepit *Benenatus*, vel potius

*Stephanus*, reſtituit ἐπιμίσγεται, quod eſt in editionibus ante Benenatum omnibus, et quod etiam in MSS. Reg. Vat. et Ambroſ. utroque extabat. Ibid. 52. pro Κρητές γε, quod debetur *Frobenio*, non *Vaſcoſano*, reſcripſit e Flor. et Ald. Κρητές σε ut iam *Stephanus* corrigendum vidit, et re ipſa poſtulante, quum τό γε inepte frigeat, et MSS. omnibus conſentientibus. V. 84. revocavit ἐν δ' ἄλις ὄλβον e MSS. Ambroſ. Voſſ. et editionibus primis, quod Frobenius, non Benenatus, mutavat in ἐν δ' ὄλβῳ. H. in Dian. 37. pro ἐν αἰπάσησιν, quae erat etiam MSS. Vat. Ambr. Reg. Voſſ. lectio, ſcripſit, de ſententia Virorum doctorum, ἐν πάσησιν, et v. 235. Ἀζήνια pro Ἀζείνια. V. 48. pro ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο putat ipſum Callimachum dediſſe ἐπ' ἄκμοσι δ' Ἡφαίστοιο. V. 55. pro ἐπεὶ μέγα, quod reperit in omnibus libris, edidit ἐπὶ μέγα, *Stephano* et *Bentleio* auctoribus. quod ipſum ab eo factum eſt v. 61. Sed v. 69. tuetur ſcripturam Ἑρμείης contra *Dan. Heinſium*, qui corrigebat ἐρχείης, et contra *Ruhnkenium*, cui ἑρζείης placebat. V. 98. pro μετὰ καὶ κύνες ἐσσεύοντο ei ſcribendum videtur μετὰ δὲ κύνες ἐσσεύοντο· quod locus Callimachi expreſſus ſit ad locum Homeri Iliad. ζ, 296. Βῆ δ' ἰέναι· πολλαὶ δὲ μετεσσεύοντο γεραιαί. V. 108. pro Ἥρης αἰνεσίῃσιν repoſuit Ἥρης ἐννεσίῃσιν. nam primo αἰνεσίῃσιν eſt verbum nihili, quod tamen etiam in aliorum poetarum libris occupavit, librariorum negligentia, locum alterius vocabuli. vid. Homer. Η ε, 894. et Apollon. Rhod. 1, 7. 3, 29. 817. 4, 646. 1445. Deinde diſerte ἐννεσίῃσιν legebatur in MS. Vat. Ambr. 2, Voſſ., nec aliter laudat Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad 1, 995. Accedit quod Dionyſius Periegeta, imitator Callimachi, v. 141. hoc ipſum hemiſtichium habet e Callimacho. Sed in libris eius legitur etiam Ἥρης ἐννεσίῃσιν. Aeque certum putari debet, v. 133. ſcribendum eſſe τρώει γένος e MSS. Vat. Reg. Ambr. Voſſ., non τρώγει, quod quum in ſuo exemplo primus recepiſſet Frobenius, non Vaſcoſanus, poſtea ſervarunt reliqui editores, ita ut nullus dubitarit de veritate huius lectionis. At Callimachus videtur in animo ha-

habuiſſe locum Homeri Od. φ', 293. Οἶνός σε τρώει μελιηδής. V. 150. ex edd. Flor. Ald. et Vaſcoſ. receptum eſt ἢ ὅγε χλεύνην pro ἢ ὅτε χλεύνην. Fundus huius elegantiae eſt Homerus Il. γ', 409. Εἰσόκε σ' ἢ ἄλοχον ποιήσεται, ἢ ὅγε δούλην. Mox v. 153. pro ἵνα θνητοῖσι βοηθὸν non dubitavit recipere *Erneſtius*, de ſententia Huetii aliorumque, ἵνα θνητοί σε βοηθὸν, etſi omnes libri editi et ſcripti conſentiunt in altera lectione. nam manifeſtum ſcripturae vitium eſt, quum reſpondeant clare σὲ et v. 154. ἐμέ. H. in Del. 41. legitur ſine ſenſu ἀπὸ Ζάνθοιο πολίχνης. *Ruhnkenius* in Epiſt. Crit. 2. p. 28. correxit ἁλιζάντοιο πολίχνης *urbe maritima*, hanc correctionem magni amici ſui *Erneſtius* veriſſimam putat. Sed ad v. 88. reiicit emendationem *Tho. Bentleii*, qui pro ἐλέγχεις legendum coniiciebat ἐφέλκεις, quod tum frigeat ὅ αὔτικα, vulgatamque lectionem ſervandam et probandam cenſet, hoc ſenſu, *Quid propinquum, imminens tibi fatum ſciſcitaris, ſcire cupis ante tempus?* V. 94. recepit pro τομώτερον, de coniectura *Theod. Canteri*, τορώτερον quam emendationem probarunt etiam *Tho. Bentleius, Dorvillius* ad Charit. p. 465. et *Ruhnkenius* Epiſt. Crit. 2. p. 29. V. 115. putat pro ἐπ' ἐμεῖο Μοῦνοι ἐλαφρίζουσι eleganter legi poſſe ἐπ' ἐμεῖο Μούνοι' ἐλαφρίζουσι; ut μούνοιο dictum ſit pro μούνης, frequentiſſima apud poetas inde ab Homero figura. V. 125. non modo oſtendit, coniecturam *Ruhnkenii*, qui pro Δαψιλὲς ἠπείλησεν opinabatur legi debere Δασπλὴς ἠπείλησεν, confirmari poſſe auctoritate loci Nonni lib. 30. p. 776. ed. Cunaei, Οὐδὲ χόλον δασπλῆτα καθεψαμένης φύγεν Ἥρης, qui Callimachum ſaepe imitatus ſit: ſed affert etiam rationes, quibus defendi Vulgata lectio poſſit. Idem facit ad v. 249. ubi ille ipſe *Ruhnkenius* μέλποντες ἀοιδοὶ mutari volebat in μέλποντες ὀπηδοί, V. 192. pro οὐχ ἐνὶ χώρῳ legendum coniicit οὐχ ἐνὶ χώρα, quod ipſum in mentem venerit Viro docto in margine ed. Vaſcoſ. V. 246. reſtituit pro τοσσάδε οἱ, quod ex editione Benenati venit in reliquas, lectionem veram, quam habent edd. Flor. Ald. Frob. Vaſcoſ., Τόσσα δέοι. H. in Cer. 46.

pro

pro *παραψύχοισα* correxit cum aliis recepitque adeo *παραψήχοισα*. nam vulgatum *παραψύχοισα* alienum eſt ab iſto loco, et librarii ſaepe confuderunt inter ſe verba *ψύχειν* et *ψήχειν*. Atque ex his exemplis ſperamus Lectores noſtros facile intellecturos eſſe, quam rationem ſequutus ſit doctiſſimus Callimachi editor in conſtituendo formandoque textu poetae Graeco. Explementa lacunarum non eiecit quidem, praeter v. 136. h. in L. P., ſed incluſit tamen uncis, ut appareret eo magis, ea aliena atque ſpuria eſſe. Saepe etiam verſus vel de ſua, vel de aliorum ſententia ſpurios notavit, oſtenditque, cur viderentur tales, cur non. vid. H. in Iov. 55. H. in Apol. 44. 64. in Cer. 71. etc. H. in Lau. Pal. 63. 64. praeponendos cenſet v. 61. 62. et omnino in Hymno illo aliquoties lectionem vulgatam Ionicae formae mutavit in formam Doricam. Idem fecit in Hymno in Cererem, eiusque mutationis rationem in Praefatione dedit. Caeterum non modo e libris ſcriptis et editis collegit lectiones variantes: quo tamen in genere deſideratur nonnunquam diligentia, v. c. H. in Apol. 31. et 113. omiſit monere, iam in Frob. legi *ἀείδει* et *φθόγγος*· ſed etiam e libris Grammaticorum et Criticorum veterum, qui laudant loca Callimachi. Qua in re eum maxime adiuvit *Ruhnkenii* felicitas et humanitas, Is enim communicavit cum eo multas particulas, e libris iſtorum hominum ineditis deſcriptas. Vid. ad h. in Iou. 8. h. in Dian. 77. 253. etc. Quo pertinet etiam Epigramma Paulli Silentiarii ineditum, ad v. 33. h. in Apol.

Sed *Erneſtius* de Hymnis Callimachi etiam ſic meritus eſt optime, ut compoſuerit adieceritque Verſionem eorum Latinam novam, eamque proſaicam, ſuperiorum Verſionum vitia et peccata notarit correxeritque paſſim, multa denique vocabula formasque loquendi obſcuras, neque notas ſatis, illuſtrarit explicaritque egregie. H. in Iov. 5. *γένος* non eſt *genus*, de quo male ceperant interpretes, ſed *locus natalis* vel *patria*. ut apud Eurip. Bacch. 121. *διογενέτορες ἔναυλοι* ſunt *antrum ubi Iupiter natus*, non *Ioue geniti incolae*, ut

Verſio

Verſio Latina habet inepte. V. 52. ἶλα ὀρχεῖσθαι, quod *Dan. Heinſius* ad Sil. 3, 347. male interpretatur *in numerum ſaltare*, referri poteſt ad motum pedum, ut ſit περιπλεκτοῖς ποσὶ, ut loquitur Theocritus Idyl. 18, 8. intelliganturque quos Onomacritus εἰλιγμοὺς ποδῶν vocat, tribuitque ſaltantibus Curetibus in h. in Curetas v. 5. Nam ἶλον eſt, ut Scholiaſtes Theocriti Idyl. 7, 68. explicat, καμπὰς ἔχον, et *criſpum*, πολύγναμπτον. Putat tamen *Erneſtius*, poſſe etiam intelligi *varios orbes implicantes*, ut loquitur Virgilius, quod et ſignificationi verbi ἶλα conveniat, et ſaltationi ἐνόπλῳ. V. 56. ἀνηβᾶν non eſt *repueraſcere*, neque *repubeſcere*, ſed *pubeſcere*; quum notum ſit, ἀνὰ in compoſitis verbis centies redundare, ut in ἀναπείθειν, ἀνασταυρῶν, et aliis. Locus Theognidis, quem Lexica laudant, pro ſignificatione repubeſcendi, eſt v. 1001. Sed et ibi eſt pro ἡβᾶν *pubeſcere*. V. 81. ἄκρης ἐν πτολίεσσιν non eſt *celſis in civitatibus*, ut perperam vulgatus interpres explicat, ſed *altis in urbibus* vel *in arcibus*. nam ἄκρη πόλις, vel ἀκρόπολις eſt *ſumma urbs* h. e. arx. Unde Iupiter [illegible]ιεύς, et Minerva Πολιὰς, non, cui civitas curae, ut [illegible] etiam Stanleius ad Aeſchyl. S. c. Theb. 69. interpretatur, ſed *arcis praeſes*. H. in Apol. 12. docet Vir ſummus, breviter quidem, ſed egregie tamen, differre κίθαριν a κιθάρᾳ ſic. *Lyram* enim, quae eſt apud Callimachum κίθαρις, invenit Apollo, *citharam* Mercurius, conſentientibus Graecis, ut bene monet Scaliger in notis ad Manilium p. 379. Lyra Apollinis non habet chordas tentas ſuper teſtudinis cavo, ut Mercurialis, cuius deſcriptio eſt apud Homerum H. in Mercur. 47. ſed inter cornua in ponticulo, qui cornua iungit, ſeu tranſtillo, ſine ſubiecta teſtudine: quod diſcrimen etiam in monumentis antiquis exprimitur. V. 47. Anna Fabri dubitat, an apud Homerum reperiatur locus ſimilis Callimachio, Ἐξέτι κεῖνο ἐξότ'. At *Erneſtius* praeclare obſervat, ſimilem ei eſſe locum Homeri hunc (Il. ι, 106.) Ἐξέτι τοῦ ὅτε διογενὲς —, monetque, ex eodem loco refelli *Arnaldum*, qui (Animadv. p. 62.) volebat ſcribi ἐξ ὅτ', quaſi ἐξότ'

eſſet pro ἐξότε. V. 62. bene refellitur Cel. *Reiskius*, qui ad Antholog. ep. 398. per βωμὸν κεραοῦχον putabat intelligi *aram corneam*, ad ſimilitudinem Apollineae factam: quum tamen κεραοῦχος non ſit *corneus*, ſeu *factus e cornibus*, ſed *habens cornua, cornutus*. V. 75. docet contra *Fabrum*, ἀπόκτισις probum eſſe et uſitatum verbum. nam ſaepe occurrit apud Dionyſium Halicarnaſſeum, v. c. 1. p. 36. Καπύας Αἰνέου τε καὶ Τρώων ἀπόκτισιν εἶναι. Ibidem p. 43. πόλεώς τινος ἀπόκτισις. H. in Dian. 105. in verbis πέντ' ἔσαν αἱ πᾶσαι non redundat τὸ πᾶσαι, ſed ſignificat *omnino* ut apud Theocrit. epigr. 10, et Pſeudo Orph. Argon. 335. Imitati ſunt Latini, ut Gratius Cyneg. 16. *Acceſſere tuo comites ſub nomine Divae* Centum omnes *nemorum*, centum *de fontibus* omnes *Naides*. V. 124. illuſtratur verbum ἐμμάρπτεσθαι, doceturque id ſignificare *cum vi et impetu immittere, iniicere*. Schol. Cod. Reg. interpretatur ἐμβάλλειν. Uſus eſt Nicander de phalangio v. 766. Αὐτὰρ ὁ κέντρῳ αὐχένι — ἐνεμάξατο Φωτός. ubi tamen Gorraeus edidit ἀνεμ...ατο. Eſt porro hoc verbum apud Oppian. Halieut. 2, 5... ακὴν ἐνεμάξατο κῆρα, in MSS. Pal. et Sylb. Reſtituendum id putat *Erneſtius* Theocrito Idyl. 17, 36. τᾶς μὲν κύπρον ἔχοισα Διώνας πότνια κώρα Κόλπον ἐς εὐώδη ῥαδινὰς ἐνεμάξατο χεῖρας. V. 177. explicat vocabulum γυῖα, quod de omnibus quidem membris dicitur, ut ait Scholiaſtes Nicandri, ſed maxime de manibus et pedibus, nempe in quibus maxime vis corporis. Hom. Il. ν, 61. Γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρὰ, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν. Sed maxime et ſaepiſſime de pedibus, inprimisque genubus, in quibus et laſſitudo fere ſentitur. De pedibus eſt apud Homer. Il. ν, 435: apud Apollon. Rhod. 1, 1008. coll. 1010. V. 191. illuſtratur verbum προεῖσθαι. H. in Del. 56. obſervatur, et multis exemplis confirmatur, poetas ſaepenumero verba, quae proprie de beſtiarum clamore dicuntur, honeſte transferre ad deos hominesque, ad exprimendam aliquam vehementiam irae; ſonumque terribiliorem. V. 88. eſt copioſa nota de verbo ἐλέγχειν, quod exquiſite dicitur

non-

nonnunquam pro *ſciſcitari et (per quandam etiam ſuavem vim) elicere verum, cogere quem ut verum dicat.* Sed quum voluerimus quibusdam tantummodo exemplis oſtendere praeclaras divitias, et copias notarum huius generis Viri ſummi, quibus invitarentur lectores noſtri ad cognoſcendas eas omnes: ſatisfeciſſe iam conſilio noſtro ſperamus. Omnino ſumus auctores iis omnibus, qui non tantum Hymnos Callimachi intelligere, ſed naturam ſermonis et poeſeos Graecae cognoſcere velint, et videre, quanta diligentia, quam incredibilis induſtria, quam ſingularis doctrina, quam exquiſita ſcientia rerum paene innumerarum, eſſe debeat in bono interprete ſcriptorum veterum, ut animadverſiones Cel. *Erneſtii* in hunc poetam ſtudioſe legant. Sed etiam *Hemſterhuſii* notae dignae ſunt quae cognoſcantur diligenter, ut ad H. in Dian. 69. de uſu multiplici verbi *χρῆσθαι*, et ad H. in Del. 128. de elegantia verbi *ἴτω*. Caeterum Hymnos Callimachi, et Virorum doctorum in eos notas; e quibus tamen eiectae ſunt, idoneis de cauſſis, Friſchlini et Voetii notae; ſequuntur Excurſus duo, alter ad verba *ἠοῖ νοήσῃ* v. 87. H. in Iov., alter ad H. in Cerer. v. 26. ſs. *de luco Cereris et Eriſichthone Callimachio et Ovidiano.* Excurſus denique excipiunt notulae breves ad Scholia vetera. Sed ſatis dictum videtur de excellentia meritorum *Erneſtii* in Hymnos Callimachios. Ad Epigrammata et ad Fragmenta, partem quaſi alteram Carminum Callimachi, veniamus.

Neque enim tantum ſervata eſt, in hac nova editione, Collectio Epigrammatum et Fragmentorum Bentleiana, quae eſt in editione Graeviana, ſed luculenter etiam adaucta. Atque Epigrammatis quidem acceſſerunt tria alia, ex inedita Anthologia, et octo ex Anthologia edita, quae coniecturis Virorum doctorum referuntur ad Callimachum, inprimis Salmaſii, cuius notas eo pertinentes *Erneſtius* accepit a *Ruhnkenio.* Caeterum in recenſendo textu Epigrammatum uſus eſt, ut ſupra diximus, eiusdem Ruhnkenii beneficio, lectionibus Codicis Palatini ex apographo Salmaſiano; itemque excerptis e MS. Lipſ. et Schedis Rittershuſianis. Notae

tae autem quas adiecit, breves ſunt, quaeruntque fere de lectione vera locorum aut ſuſpectorum, aut corruptorum. Tales etiam ſunt eae, quibus ei viſum eſt Fragmenta illuſtrare, quae praeterea auxit quinque et quadraginta aliis. Pleraque tamen debentur diligentiae *Ruhnkenii*, qui non modo ea excerpſit ex ineditis Grammaticis, ſed etiam ornavit notis longioribus: quales etiam ſunt eae, quae Hemſterhuſium, ſummum Virum, auctorem habent.

In Indice Graecorum verborum, qui eſt ad calcem Tomi primi, multa verba omiſſa, multa loca male, ut fit, laudata ſunt. Et ſicut in notis ad Hymnos *Erneſtius* diligenter notavit verſus Callimachios, qui ab auctore Etymologici M. laudantur, admonitus fere ab aliis: ita multis locis id neglectum eſſe reperimus. ut H. in Iov. 66. laudat Etymol. M. p. 383: H. in Dian. 190. p. 214: H. in Del. 286. p. 230. — Sed textus Graecus ipſe accuratiſſime deſcriptus eſt ab operis. Quo quidem beneficio eum non minus, quam Commentarium Spanhemii, qui, una cum notis *Rich. Bentleii*, Tomo ſecundo continetur, et de quo non attinet plura dicere, quum elegantia eius et ubertas omnibus ſatis notae ſint, ornavit diligentia *Ruhnkenii:* cui Viro et gratias agimus propterea publice, et ut vita ei a Deo longiſſima contingat, litterarum maxime Graecarum cauſſa, cum Cel. *Erneſtio* vehementer optamus.

## *ELEMENTA PHYSIOLOGIAE CORPORIS HUmani. Auctore ALBERTO DE HALLER, Praeſide Societatis Reg. Scient. Götting. etc. TOMUS IV. Cerebrum. Nervi. Muſculi.*

Lauſannae 1762. ſumtibus Franciſci Graſſet, Alphab. 3. pl. 6. in 4to.

Illuſtris *Hallerus* alacriter pergit, quod coepit, pertexere phyſiologicum opus. Hoc Tomo quarto doctrinam omnium intricatiſſimam ita explicat, ut eorum, quae doctiſſimi homines inde usque ab origine philoſophiae naturalis

ſis ad noſtra tempora repererunt, et litteris mandarunt, vix quicquam praeteriiſſe videatur. E quibus pro noſtra brevitate quaedam delibabimus. *Cap. X. Sect. I.* comparantur inter ſeſe cerebra variorum animalium, oſtenditurque, ſatis inverſa in ratione voluminum univerſi corporis cerebra eſſe; nec, quod ab omni retro tempore ſcriptum eſt, dubitari poſſe, quin homini inter animalia maximum cerebrum ſit conceſſum. Velamentum illud, quod cerebri ventriculos inveſtit, pro peculiari membrana proponitur. Vaſcula minima, in A. etiam experimentis manifeſtiora, in cortice tenerrima, tomenti ſimilia, numeroſiſſima, totum pene corticem videri componere, ita quidem, ut ex arteriolis, venis, et tenerrima celluloſa tela, maximam corticis partem conſtare recte dixeris. Ventriculum tertium cum ventriculis anterioribus, quando omnia integra ſunt, non communicare, cum illi aqua pleni, ipſe inanis repertus ſit. Dubitari quoque poſſe, num cavum ſit infundibulum; in cerebro enim gelu conſtricto diſſectum caveam non habuiſſe, quam oportebat ex glaciali nucleo prodi, neque in alio cadavere aquam continuiſſe, cum in ventriculo eſſet plurima. *Sect. II.* cerebelli: *Sect. III.* medullae ſpinalis deſcriptionem continet. *Sect. IV.* de dura matre exponit, et praeiudicatas illas de motu huius membranae opiniones rationibus idoneis e medio tollit, nullaque ſentiendi movendive facultate eam gaudere lectoribus perſuadere conatur; neque nervoſi quidquam in ea admittit, monetque, cadavera ab Illuſtri Auctore inciſa eſſe, in quibus nullae ullius generis glandulae eſſent, ut eo facilius pro morboſis concrementis haberi poſſent, cum praeterea in ſenibus, et longo morbo confectis, evidentius apparerent. *Sectio V.* arterias et venas encephali eiusque propagines omnes, minutiſſimas fere, enumerat, et ſanguinis, qui cerebrum adit, et copiam et indolem, ita determinat, ut copiam quidem ad quartam propemodum partem totius maſſae ſanguineae de corde expulſae non falſo aeſtimari, indolem vero a reliquo ſanguine e corde expreſſo parum aut nihil differre putet. A. ab eorum ſententia ſtat, qui a

ſinubus durae meningis non accelerationem, ſed tarditatem motus ſanguinis a natura quaeſitam eſſe perhibent. *Sect. VI.* nervos proponit, horumque membranam, quam durae meningis propaginem vulgo putant, nihil aliud quam opus cellulosum eſſe confirmat; nervos ipſos irritabiles eſſe negat; neque muſculoſam et tendineam gangliorum a *I. M. Lancisio* propoſitam fabricam, pennatumque tendinem per axin ganglii ductum, fibras parallelas ad angulum ſurſum obtuſum ei tendini inſertas, aut praeterea duas muſculoſas tunicas, A. experiundo obſervandoque ſolerter reperire potuit; neque ſuccum inter utramque ganglii membranam, a Cl. *Gortero* commemoratam, unquam vidit. Auctorem deinceps nervorum propagines minute perſequentem non licet ſequi. Itaque tantummodo Viri ill. ſententiam, de nobili illo ramo nervi intercoſtalis, adducimus, quae eo continetur, ut conſtanter et omnibus ſuis obſervationibus ſibi conſtare dicat, nihil umquam ab ea quidem quinti nervi propagine ad intercoſtalem truncum veniſſe, cauſamque erroris videri in arteriola latere, quae eo omnino in loco, in quo aiunt nervum a quinti ramo ad intercoſtalem ire, ex carotide, proxime ophthalmicum, ſupra ſextum in nervum quintum exeat; nervum vero intercoſtalem ex ſexto pare naſci; itemque cervicalibus accenſeri debere nervum illum, quem cerebralibus *Willisius* accenſuit, parque ſuum decimum fecit, cum habeat duplices omnino radices, quas poſt priora dubia Auctor certus conſtituit; anteriores vulgo receptas duas, tres, etiam plures, ad octo, ſub nono pare, fere continuo; deinde poſteriores, illis quidem debiliores, iterumque duas treſve, a ſumma medulla ſpinali ſub quarto ventriculo; has autem duorum ordinum radices in ſulco atlantis confluere in ganglion, quod ſuper atlantem eſt, indeque nervum abire in duos truncos. *Sect. VII.* vivi cerebri phaenomena proponuntur, ita ut Auctor ſaepius iam expoſitam theoriam de partibus humani corporis ſenſibilibus et irritabilibus defendere ſatagat, argumenta pro ſua opinione militantia incredibili lectionis varietate cumulando. *Sect.*

*VIII.*

VIII. de actione nervorum leguntur coniecturae, ſcilicet non per membranas ſenſus perferri, neque per ſolidam nervorum naturam, ſed per eorum liquidum humorem, qui ſit mobiliſſimus, absque cordis poteſtate, a voluntate ſenſuumque impreſſione in motum ciendus, fluidiſſimus, tenuiſſimus, quadam ad nervum adhaeſione gaudens, carens quidem omni ſapore, odore, colore, aut alia quacunque demum qualitate, quae ſenſus noſtros vehementer feriat; non tamen aqueum albuminoſum, neque ſpirituoſum acidum, ſulphureum, neque aereum aut aethereum; eum autem moveri per liberos nervorum tubulos, non ſpongioſos; atque in his fieri duplicem liquoris eius motum, alterum perpetuum, a corde impreſſum, utique lentum, alterum rapidiſſimum, vel ab obiectis ſenſus ferientibus, vel ab anima motum muſcularem volente excitatum; ipſorum ſpirituum nullum eſſe diſcrimen. De animae ſede Illuſtris Auctor ita diſſerit, ut eam neque in calloſo corpore, neque in ſepto lucido, neque in glandula pineali, neque in corporibus ſtriatis, neque in ulla peculiari cerebri regione, neque in meninge aut in ſinubus cerebri, verum in medulla cerebri et cerebelli quaerendam eſſe iudicet: nondum tamen poſſe diverſas diverſarum animae functionum provincias determinari, aut ulla cum veri ſpecie definiri de complicatis animae functionibus, aut in encephalo imaginationi ſuam ſedem, ſuam ſenſui communi, ſuam memoriae aſſignari, aut de tuberculorum, quae in cerebro ſunt, finibus utilitatibusve quidquam pronuntiari, neque natibus, neque teſtibus, aut iſthmo, aut ponti, aut caudici medullari, aut corporibus ſtriatis, aut cerebro ſeorſim, aut cerebello peculiariter propriam aliquam tribui utilitatem, quae a communi totius encephali utilitate differat; variarum autem medullae cerebralis per funiculos tranſverſos aut rectos coniunctionum communem utilitatem videri, ut ſana pars cerebri ſuppetias ferat morboſae, et ad nervos, quorum propria regio obſtructa eſt, alias fiſtulas integras a partibus non laeſis adducere, iterumque, magna cerebri parte laeſa, ſenſuum motuumque integritas aliqua ſupereſſe poſſit.

poſſit. Ventriculorum fabricationem ideo factam videri, quoniam colliculorum quorundam figura et diſtinctio eas intercapedines poſtularet. Gyros autem ſerpentinos illos multiplices eo conſilio factos eſſe, ut ad innumerabilia veſtigia memoriae humanae cerebro impreſſa, maior etiam medullae copia, grandiusque cerebrum exiſteret. *Lib. XI. Sect. I.* agit de fabrica muſculi in univerſum, atque adductis celebrium virorum de fibra muſculari ſententiis, eam cylindricam, non nodoſam, eſſe ponit, carnem vero ullam a fibris muſculi diverſam dari negat; nec tendineas fibras cum carneis continuas eſſe, ſed cum iis varia ratione coniungi putat. *Sect. II.* phaenomena muſculi vivi enarrantur. Ubi quidem, omnibus antea diligenter penſitatis, praecipua muſculorum vis ab eius irritabili natura repetitur, ita tamen, ut nervorum actio in vivo corpore accedere debeat. *Sect. III.* motus muſcularis cauſae et ſcaturigines ſolertiſſime indagantur. *Sect. IV.* tandem motus muſcularis utilitates, tum proximae, tum remotae, enumerantur explicanturque. Quoniam vero Auctor ſolertiſſimus, in prioribus anatomen comparatam cerebri paſſim excitaverat, eam in *Addenda* ſub finem huius Tomi quarti coniecit, et cyprini quidem potiſſimum deſcripſit cerebrum, ita ut reliquorum piſcium fabricam cum eius ſtructura compararet. In praefatione Celeberrimi *Albini* accuſationes refellere adgreſſus eſt.

## *DE CURVIS, PUNCTUM INFLEXIONIS VEL REgreſſus habentibus. Auctore IO. IACOBO HENTSCHIO.*

Curvae, quae ex parte *convexae*, et ex parte *concavae* ſunt, referuntur vel ad rectam quamvis aſſumtam, vel ad punctum fixum, cui modo partem concavam, modo convexam obvertunt. Punctum, quod utramque Curvae dividit partem, nunc *Inflexionis*, nunc *Regreſſus* audit; prouti Curva a principio mota usque ad diviſionis punctum, vel ad *dextram* progreditur, mutata ſolummodo forma, vel ad

divi-

diviſionis punctum usque promota, ad *ſiniſtram* regredi ſupponitur.

Sic Fig. I. n. 1. n. 2. Curva *AFK*, cuius pars *AF* ad diametrum *AB* eſt concava; reliqua *FK* convexa ad eandem diametrum *AB*, vel punctum fixum *B; dicitur habere in F punctum inflexionis*, ob mutatam formam: ſed idem punctum *F* dicitur *regreſſus*, ideo, quod Curva ad ſiniſtram verſus principium motus regredi concipitur. Hinc videre eſt: 1. Diviſionis punctum *F*, quo pars Curvae concava dirimitur a parte convexa, eſſe *punctum inflexionis*, ob mutatam Curvae faciem, rectae aſſumtae, vel puncto fixo obverſam. 2. Idem *Diviſionis* punctum *F* dici *punctum regreſſus*, ob mutationem motus, qui ordine fit retrogrado, et verſus principium, a quo Curva moveri coeperat, reſpicit.

Hoc utrumque inflexionis vel regreſſus punctum, ut methodo univerſali adhibita definiatur, primum diſpiciendum eſt, quaenam Curvis, inflexionis vel regreſſus punctum habentibus, ſint propria, quibus ab aliis Curvis, punctis huiusmodi deſtitutis, diſcernantur. Huc faciunt ſequentes Propoſitiones.

## Propoſ. I. Theor.

*Si Curva, cuius Semiordinatae inter ſe ſunt parallelae, habeat Inflexionis Punctum, erit pars diametri AL, comprehenſa ſub A initio abſciſſarum, et puncto occurſus L Tangentis FL ex inflexionis Puncto F ductae, Maxima omnium rectarum, ſimili modo formatarum.* Tab. II. Fig. 1.

## Demonſtr.

Ducatur per punctum inflexionis *F*. Semiordinata *FE*, et per idem punctum Tangens *FL*, quae ſecet diametrum Curvae prolongatam in *L*. Praeterea ſumatur punctum *M* quodvis in Curva *AF*, ex quo ducatur Semiordinata *PM*, una cum Tangente *MT*.

Si iam punctum *M* continuo accedere ad punctum inflexionis *F* ſupponatur, ita ut ſucceſſive arcum *MF* percur-

 rat;

rat; abſciſſa *AP;* nec non *AT*, pars diametri compreheнſa ſub *A* initio abſciſſarum et *T* puncto occurſus Tangentis *TM*, continuo maiora capient incrementa, adeo ut, ſi punctum *M* cadat in ipſum inflexionis punctum *F*, punctum abſciſſae *P* tranſeat in *E*, et ex recta *AT* fiat recta *AL*.

Si punctum *M* transgreſſum inflexionis punctum *F*, progrediatur eadem via ad dextram verſus punctum *K*; ductis, ut antea, ſimili modo Tangentibus et Semiordinatis, pars diametri prolongatae *AL* intercepta a Tangente *FL* et ab initio abſciſſarum *A* computata, ob Curvae faciem convexam diametro obverſam, decreſcet.

Cum igitur partes diametri prolongatae, a tangentibus interceptae, et ab initio abſciſſarum computatae, continuo creſcant, ſi Curva concavitatem diametro obvertat; deinceps vero dictae diametri partes continuo decreſcant, ſi Curva convexitatem ſuam diametro opponat: erit utique Recta *AL* comprehenſa ſub *A* initio abſciſſarum et puncto occurſus *L* Tangentis *FL* ex inflexionis puncto *F* ductae, *Maxima* omnium rectarum, ſimili modo generatarum.

## Propoſ. II. Theor.

Fig. I. *Si Curva, cuius Semiordinatae inter ſe ſunt parallelae, habeat Regreſſus punctum, erit Abſciſſa AE, cui reſpondet Semiordinata EF verſus regreſſus punctum F ducta, Maxima omnium rectarum, ſimili modo formatarum.*

### Demonſtrat.

Ductis iisdem rectis, uti Tangentibus et Semiordinatis, quibus abſciſſae et partes diametri prolongatae definiuntur; ſi punctum *M* continuo accedere ad regreſſus punctum *F* ſupponatur: ob eandem rationem pars diametri *AT* comprehenſa ſub *A* initio abſciſſarum et *T* puncto occurſus Tangentis *TM* nec non abſciſſa *AP* continuo maiora capient incrementa, usque dum punctum *P* cadat in *E*, et pun-

punctum *T* cadat in *L;* id quod fit, puncto *M* curvae *AMF* coincidente cum ipſo regreſſus puncto *F.*

Si punctum *M* transgreſſum punctum *F,* ab ipſo regreſſus puncto *F* vergat verſus punctum *K* ad ſiniſtram, ductis, ut antea, ſimili modo Tangentibus et Semiordinatis; pars diametri prolongatae *AL* intercepta a Tangente *FL* et ab initio abſciſſarum *A* computata, continuo quidem creſcet, ſed Abſciſſa *AE* decreſcet.

Cum igitur abſciſſae *AP* primum continuo creſcant, usque dum punctum *P* cadat in *E;* deinceps vero abſciſſa *AE* continuo decreſcat, ſi punctum *M* a puncto regreſſus *F* vergat verſus punctum *K* ad ſiniſtram: erit Abſciſſa *AE*, cui reſpondet Semiordinata *EF* verſus regreſſus punctum *F* ducta, *Maxima* omnium rectarum, ſimili modo formatarum.

## Propoſ. III. Theor.

*Si Curva, cuius Semiordinatae inter ſe ſunt parallelae, habeat inflexionis punctum; differentiale Semiordinatarum, intervallis infinite parvis iisque aequalibus a ſe invicem diſſitarum, continuo decreſcit, ſi Curvae concavitas axi obverſa eſt; ſed continuo creſcit, ſi Curvae convexitas axem reſpicit.*

Sit Curva *AMZ Fig. II. n. 1.* cuius Semiordinatae, uti *PM*, *pm*, *qn*, *lo*, etc. ſint inter ſe parallelae, et a ſe invicem diſſitae intervallis infinite parvis, iisque aequalibus, $Pp = pq = ql$ etc. dico: Differentiale $Rm < rn$ et differentiale $rn < to$ etc. ſi Curvae *AMZ* concavitas axi *AB* obverſa eſt. Contra, ſi Curvae *AMZ Fig. II. n. 2.* convexitas axem *AB* reſpicit, erit differentiale $Rm > rn$ et differentiale $rn > to$ etc. *Fig. II. n. 1. n. 2.*

## Demonſtr.

Per puncta Curvae *M, m* et *n* ducantur axi *AB* parallelae *MR*, *mr*, et *nt*. Iunctis punctis *R* et *r*, item punctis *r* et *t*, ducantur per puncta Curvae *m* et *n* rectis *Rr* et *rt* parallelae *mk* et *ni*.

 Cum

Cum Semiordinatae *PM*, *pm*, *qn* et *lo* inter ſe ſint parallelae (*hyp.*) et per puncta Curvae *m* et *n* ductae ſint rectis *Rr* et *rt* parallelae, *mk* et *ni* (conſtruct.) erit *mkRr* Parallelogrammum. cuius latera oppoſita uti *Rm* et *rk*; nec non *Rr* et *mk* ſunt aequalia, Propoſ. 34. elem. I. Sed *kr* $>$ *rn*; ideo *Rm* $>$ *nr*.

Eodem modo oſtenditur, *rn* eſſe maiorem *to* etc. unde in univerſum differentialia Semiordinatarum, intervallis infinite parvis iisque aequalibus a ſe invicem diſſitarum, continuo decreſcunt, ſi Curvae *AMZ* concavitas axi *AB* obverſa eſt.

Iisdem poſitis *Fig. II. n.* 2. ſi comparentur inter ſe Parallelogramma ſimili modo formata; ob eandem rationem erit differentiale *Rm* $<$ *rn*, et differentiale *rn* $<$ *to* etc. Eſt enim ex natura Parallelogrammorum *Rm* $=$ *rk*: unde cum *rk* $<$ *rn*; erit *Rm* $<$ *rn*. Quodſi igitur Curvae *AMZ* convexitas axem *AB* reſpicit, differentialia Semiordinatarum, intervallis infinite parvis iisque aequalibus a ſe invicem diſſitarum, continuo creſcunt.

Corol. I. Hinc liquet: Si Curva primum concavitatem ſuam, deinceps vero convexitatem axi obvertat; *differentiale* Semiordinatarum, intervallis infinite parvis iisque aequalibus a ſe invicem diſſitarum, in *Puncto inflexionis*, eſſe *Minimum*. Decreſcunt enim differentialia Semiordinatarum dictarum usque ad inflexionis punctum, Curva concava ſumta verſus axem; deinceps vero, inflexionis punctum transgreſſa, continuo creſcunt, parte Curvae convexa vergente ad axem.

Corol. II. Si Curva primum convexitatem ſuam, deinceps vero concavitatem axi obvertat, *differentiale* Semiordinatarum dictarum *in puncto inflexionis* eſſe *Maximum*. Curva enim primum convexa ſumta verſus axem, differentialia Semiordinatarum continuo creſcunt usque ad inflexionis punctum; deinceps vero, punctum iſtud transgreſſa, denuo decreſcunt.

Propoſ.

## Propoſ. IV. Lemma I.

*Subtangens in Curvis, quae talem habent naturam, ut abſciſſarum ad Semiordinatas relatio per aequationem quamcunque exprimatur, eſt quarta Proportionalis ad differentiale Semiordinatae, differentiale abſciſſae ad Semiordinatam, qua Subtangens ex una parte intercipitur, ex altera parte a Tangente ducta.*

### Demonſtr.

Ducantur in Curva *AMZ Fig. III*, quae talem habeat naturam, ut abſciſſarum ad Semiordinatas relatio per aequationem quamcunque exprimatur, Semiordinatae *PM* et *pm* intervallo infinite parvo *Pp* a ſe invicem diſſitae. Per punctum *M* ducatur axi *AB* parallela *MR*; nec non per punctum *M* Tangens *MT*, quae ſecet diametrum Curvae prolongatam in *T*. *Fig. III.*

Cum Semiordinatae *PM*, *pm*, intervallo infinite parvo *Pp* ſeu *MR* a ſe invicem diſtent, arcus *Mm* trianguli *MRm* pro recta haberi poteſt. Comparando igitur triangulum *MRm* comprehenſum rectis infinite parvis, uti *MR*, *Rm* et *Mm*, cum triangulo *MPT*, cuius latera conſtituunt Tangens *TM*, Subtangens *PT*, et Semiordinata *PM*; erit angulus *MRm* = angulo *MPT*, ſunt enim recti; angulus *PMT* = angulo *MmR* (Propoſ. 29. elem. 1.) ideoque angulus *PTM* = angulo *RMm*. Cum igitur in duobus triangulis *MRm* et *MPT* anguli reſpective ſint aequales; erit per Propoſ IV. Elem VI. *Rm* : *RM* = *PM* : *PT*. Hoc eſt: Differentiale Semiordinatae (*Rm*) eſt ad differentiale Abſciſſae (*RM*), uti Semiordinata (*PM*) ad Subtangentem (*PT*).

Corol. I. Si $PM = y$, $AP = x$, $Rm = dy$ et $RM = Pp = dx$; liquet, valorem Subtangentis *PT* per $\frac{y\,dx}{dy}$ exprimi poſſe.

Corol. II. Inventa recta *PT*, quae Subtangens dicitur, Tangentem per datum quodvis Curvae punctum duci

 poſſe.

poſſe. Dantur enim duo puncta $M$ et $T$, quae rectam determinant.

Coroll. III. Rationem Differentialium, ſeu Quantitatum omni data et aſſignabili minorum, eandem eſſe poſſe cum ratione quantitatum finitarum.

## Propoſ. V. Lemma II.

*Differentiale primi Ordinis in Curvis, ubi Semiordinata maxima eſt vel minima, nihilo aequatur, ſeu quod idem:* $dy = o$.

### Demonſtr.

*Fig. IV. n. 1. 2.* Ducatur utcunque Semiordinata $PM$ et tangens $TM$, quae ſecet diametrum $AB$ productam in $T$, erit $PT$ Subtangens punctis $P$ et $T$ comprehenſa; nec non per punctum $F$, ubi Semiordinata maxima eſt vel minima, ducatur tangens $LK$.

Si puncta $P$ et $M$ ſemiordinatae $PM$ continuo accedere ſupponantur ad ſemiordinatae maximae vel minimae puncta $E$ et $F$, evidens eſt, Subtangentem $PT$ continuo fieri maiorem. Quodſi punctum $M$ cadat in $F$, et punctum $P$ cadat in $E$, ubi Semiordinata maxima eſt vel minima, erit Subtangens $PT$ infinite magna. Hoc enim caſu Tangens $LK$ axi $AB$ eſt parallela. Valor igitur Subtangentis $\frac{ydx}{dy}$ Propoſ. praec. inventus exprimit fractionem infinite magnam; ideo numerator fractionis $ydx$ denominatorem $dy$ infinities ſuperat; quare $dy = o$. Hoc eſt: Differentiale primi Ordinis Semiordinatae maximae vel minimae datur nullum.

Corol. I. Semiordinata in Curvis maxima vel minima eſt *Quantitas conſtans.* Definitam enim habet magnitudinem, ita ut eadem maneat, reliquis Semiordinatis magnitudine variantibus. Idem valet de Differentialibus Semiordinatarum maximis vel minimis, vi Corol. I. et II. Propoſ. III. quae ob eandem rationem pro quantitatibus conſtantibus recte habentur.

Corol.

Corol. II. Si Curva talis ſit, ut Tangens cadat in ipſam Semiordinatam, nulla dabitur Subtangens. Intercepta enim intelligitur a Tangente et Semiordinata. Evaneſcente vero Subtangente, valor ipſius erit nullus, hoc eſt: $\frac{y\,dx}{dy} = 0$. Si autem haec fractio, quae exprimit Subtangentis valorem, eſt nulla, denominator fractionis, qui notat differentiale ſemiordinatae maximae vel minimae, hoc in caſu Infinito aequabitur, ſeu quod idem: $dy = \infty$.

## Propoſ. VI. Theor.

*Differentiale ſecundi Ordinis in Curvis, ubi Semiordinata verſus Inflexionis Punctum ducta eſt, nihilo aequatur, ſeu quod idem: $ddy = 0$.*

## Demonſtr.

Cum in Curvis, Inflexionis punctum habentibus, pars diametri $AL$ *Fig. I.* comprehenſa ſub $A$ initio abſciſſarum et puncto occurſus $L$ tangentis ex inflexionis puncto $F$ ductae, ſit *Maxima* omnium rectarum, ſimili modo formatarum (Propoſ. I.) recta $AL$ tanquam quantitas conſtans nullum habebit differentiale. (Corol. I. Propoſ. V.)

Cum vero $AL = LE - AE = \frac{y\,dx}{dy} - x$. (Corol. I. Propoſ. IV); poſitis iam diſtantiis ſemiordinatarum infinite parvis iisque aequalibus, ſeu quod idem: $dx = 1$; erit $ddx = 0$ et differentiale rectae maximae $AL$, quod nihilo aequatur, habetur $\frac{dy^2\,dx - y\,dx\,ddy}{dy^2} - dx = 0$.

Reducendo terminos ad eandem denominationem et addendo fit $\frac{dy^2\,dx - y\,dx\,ddy - dx\,dy^2}{dy^2} = 0$.

Dividendo per $dx$, eſt $-\frac{y\,ddy}{dy^2} = 0$ et multiplicando per $dy^2$ et dividendo per $-y$; provenit $ddy = 0$; id quod notat differentiale ſecundi ordinis. Hinc in puncto infle-

inflexionis; quod Curva habet, Semiordinatae differentiale ſecundi Ordinis eſt nullum, ſeu quod idem: $ddy = o$.

Idem ex eo poteſt oſtendi principio, quod differentiale primi Ordinis Semiordinatarum, intervallis infinite parvis iisque aequalibus a ſe invicem diſſitarum, in Puncto inflexionis ſit *minimum* vel *maximum*, prouti Curva concavitatem vel convexitatem ſuam primum axi obvertit (Cor. I. et II. Propoſ. III.) Unde, cum differentialia primi Ordinis Semiordinatarum maxima vel minima ſint quantitates conſtantes, (Corol. I. Propoſ. V.) nullum admittent differentiale ſecundi Ordinis, ſeu quod idem: $ddy = o$.

Corol. I. Ob eandem rationem Corol. II. Propoſ. V. allatam, in Curvis quibusdam accidit, ut $ddy = \infty$, ſeu quod idem, ut differentiale ſecundi Ordinis Semiordinatae ſit infinito aequale.

Corol. II. Si igitur $ddy = o$, quaeſtioni propoſitae non ſatisfacit, ſumendum $ddy = \infty$, ut finis praefixus obtineatur.

## Propoſ. VII. Probl.

*Invenire inflexionis vel regreſſus punctum in Curvis, quarum Semiordinatae inter ſe ſunt parallelae.*

## Solutio.

Si *Fig. I.* inflexionis vel regreſſus punctum $F$ inveniendum, mediante Semiordinata $EF$ definitur; haec autem Semiordinata $EF$, cum per Abſciſſam $AE$ expreſſam per quantitates conſtantes innoteſcat: rem omnem redire ad *Methodum de Maximis et Minimis*, per ſe patet. Quare

1. Aequatio Curvae data primum differentietur, exprimendo differentiale Semiordinatae $(dy)$ per $dx$.

2. Haec inventa differentialis Aequatio, ſumta $dx$ pro conſtante, denuo differentietur, ut prodeat valor aequipollens differentiali ſecundi Ordinis Semiordinatae, ſeu $ddy$.

3. Poſito iam $ddy = o$, vel $ddy = \infty$, ulteriori Reductione facta, proveniet valor abſciſſae $AE$, cui reſpondet Semi-

Semiordinata $EF$ verſus inflexionis punctum $F$ ducta, qui, per quantitates conſtantes expreſſus, quaeſtioni propoſitae ſatisfaciet.

Has Regulas generales lubet ſequentibus exemplis illuſtrare.

I. Sit Curva *AFD Fig. 5.* cuius naturam exprimit aequatio $ax^2 = x^2y + a^2y$. Inveniendum eſt punctum inflexionis $F$ ex data huius Curvae natura.

Sit igitur $ax^2 = x^2y + a^2y$ ſeu $ax^2 = (x^2 + a^2)\,y$. erit $y = \frac{ax^2}{x^2+a^2}$; cuius differentiale primi ordinis $dy = \frac{2a^3 x\,dx}{x^4+2a^2x^2+a^4}$.

Poſita iam $dx = 1$, differentiale ſecundi Ordinis fractionis propoſitae, ſecundum regulam communem erit $\frac{(2a^7 - 6a^3x^4 - 4a^5x^2)\,dx^2}{(x^2+a^2)^4} = ddy = 0$.

Quae Aequatio diviſa per $dx^2$ et multiplicata per $(x^2 + a^2)^4$ dat $2a^7 - 6a^3x^4 - 4a^5x^2 = 0$. Terminis ſingulis diviſis per $2a^3$; provenit $a^4 - 3x^4 - 2a^2x^2 = 0$. Diviſo $a^4 - 3x^4 - 2a^2x^2$ per $a^2 + x^2$ fit $aa - 3x^2 = 0$. Et facta reductione $x = \sqrt{\tfrac{1}{3}a^2} = a.\sqrt{\tfrac{1}{3}}$.

II. Sit Curva, cuius naturam exprimit aequatio $y - a = (x-a)^{\frac{3}{5}}$; erit $dy = \frac{3}{5}(x-a)^{\frac{2}{5}}$ $\frac{dx = 3dx}{5(x-a)^{\frac{2}{5}}}$.

Poſita $dx = 1$, erit $ddx = 0$, unde differentiale ſecundi Ordinis erit

$$ddy = \frac{-6(x-a)^{\frac{3}{5}}\,dx^2}{25.\,(x-a)^{\frac{4}{5}}} = 0.$$

Potentias eiusdem radicis dividendo, fit $ddy = -\frac{6}{25}.$ $(x-a)^{\frac{7}{5}}\,dx^2 = \frac{-6dx^2}{25.\,(x-a^{\frac{7}{5}})} = 0.$ Multiplicando

Ll per

per 25. $(x-a)^{\frac{7}{5}}$ provenit $-6dx^2 = o$ et dividendo per $dx^2$, fit $-6 = o$. Hinc videre eſt, quacunque reductione aequationis utaris, pro $x$ nullum dari valorem per quantitates conſtantes expreſſum.

Sit igitur $\frac{-6dx^2}{25.\ (x-a)^{\frac{7}{5}}} = \infty$; erit denominator 25. $(x-a)^{\frac{7}{5}} = o$. Dividendo igitur per 25, fit $(x-a)^{\frac{7}{5}} = o$, unde $x = a$.

### Propoſ. VIII. Theor.

*Fig. VI. n. 1, 2.* Si in Curva Semiordinatae $BM$ et $Bm$ ex puncto fixo $B$ ducantur et ad punctum $B$ Semiordinatarum $BM$ et $Bm$, quae comprehendant angulum infinite parvum, conſtituantur perpendiculares $BT$ et $Bt$, quibus occurrant Tangentes ex punctis Curvae $M$ et $m$ ductae; partes per Tangentes abſciſſae $Bt$ et $Bo$ in eadem recta perpendiculari ad Semiordinatam $Bm$, diverſae erunt magnitudinis, adeo, ut ſi Curva partem concavam puncto fixo $B$ obvertat, $Bt > Bo$. Contra ſi Curva partem convexam puncto fixo $B$ obvertat, ſit $Bt < Bo$.

### Demonſtr.

*Fig. VI. n. 1.* I. Si Curva partem concavam puncto fixo $B$ obvertat, creſcente Semiordinatâ $PM$, tangens $tm$ ex puncto $m$ ducta a puncto fixo $B$ ad ſiniſtram magis cadet, quam Tangens $TM$. Cum vero tangens $TM$ interſecet ſimul rectam perpendicularem ad Semiordinatam $Bm$, in $o$; evidens eſt, hoc in caſu eſſe $Bt > Bo$.

*Fig. VI. n. 2.* II. Si Curva partem convexam puncto fixo $B$ obvertat *Fig. VI. n. 2.* creſcente Semiordinata $PM$, tangens $TM$ ex puncto $M$ ducta a puncto fixo $B$ ad ſiniſtram magis cadet quam tangens $tm$. Cum vero eadem tangens $TM$ interſecet ſimul rectam perpendicularem ad Semiordinatam $Bm$ in puncto $o$; partes per Tangentes abſciſſae $Bt$ et $Bo$ diver-

diverſae erunt magnitudinis, et hoc in caſu Recta perpendicularis $Bt < Bo$.

Coroll. I. Hinc liquet, differentiam harum partium per Tangentes abſciſſarum eſſe $Bt - Bo = ot$ in primo caſu. Sed $Bt - Bo = -ot$ in ſecundo caſu, negativam nempe, ſi a recta $Bt$ minori auferatur recta $Bo$ tanquam quantitas maior.

Coroll. II. Partem $Bo$ per Tangentem $TM$ abſciſſam in recta perpendiculari ad Semiordinatam $Bm$ *Fig. VI. n. 1.* continuo creſcere, ſeu fieri maiorem, quo magis Curvae punctum $M$ in parte concava verſus polum $B$ progredi ſupponatur. Puncto enim $M$ tranſeunte in $m$, ex $Bo$ fit $Bt$ etc.

Coroll. III. Partem $Bo$ per Tangentem $TM$ abſciſſam in recta perpendiculari ad Semiordinatam $Bm$ *Fig. VI. n. 2.* continuo decreſcere, ſeu fieri minorem, quo magis punctum Curvae $M$ in parte convexa verſus polum $B$ progredi ſupponatur. Puncto enim $M$ tranſeunte in $m$, ex $Bo$ fit $Bt$ etc.

Coroll. IV. In Puncto inflexionis vel regreſſus $M$ nullam partium dictarum per tangentes abſciſſarum dari differentiam, ſeu quod idem $to = o$. Suppoſitis enim punctis $M$ et $m$ infinite propinquis, tangentes ex punctis $M$ et $m$ ductae, efficient angulum, omni dato et aſſignabili minorem.

## Propoſ. IX. Probl.

*Invenire in Curvis inflexionis vel regreſſus punctum habentibus, et quarum Semiordinatae ex unico puncto fixo B ducuntur, differentiam partium per tangentes abſciſſarum in recta perpendiculari ad Semiordinatam Bm.*

## Solutio.

Deſcripto ex centro $B$ intervallo $BT$ arcu $TH$, erit $to = tH + Ho$ *Fig. VI. n. 1.* Quare $to$ differentia rectarum $Bo$ et $Bt$ quaerenda eſt, et exprimenda per $tH$ et $Ho$. *Fig. VI. n. 1. 2.*

 Iam

Iam in triangulo $THo$, cuius latera ſunt $TH$, $Ho$, et $oT$, arcus $TH$ pro recta habetur, ob angulum infinite parvum $HBT$; rectilineum igitur eſt triangulum $THo$. In hoc autem triangulo $THo$ comparato cum triangulo $TBM$, angulus $THo$ eſt rectus; ſemidiameter enim $BH$ ad peripheriam circuli eſt perpendicularis. Eſt autem in triangulo $TBM$ angulus $TBM$ etiam rectus (per conſtruct.). Igitur angulus $THo =$ angulo $TBM$. Porro angulus exterior $HoT =$ angulis $oBT + BTM$. Propoſ. 32. Elem. I. et ob angulum infinite parvum $oBT = o$; erit angulus $HoT =$ angulo $BTM$; quare et angulus $HTo =$ angulo $TMB$. Cum igitur triangula $HTo$ et $TBM$ ſint aequiangula, erunt latera, quae circum aequales angulos, proportionalia, Propoſ. IV. Elem 6. Eſt igitur $BM : BT = TH : Ho$.

Ut per tres priores terminos in Proportione, terminus quartus $Ho$ exprimatur, deſcribatur ex centro $B$ intervallo $BM$ arcus $MR$, qui pro recta haberi poteſt ob angulum $MBm$ infinite parvum.

Comparando iam triangulum $TBM$ cum triangulo rectilineo eoque infinite parvo $MRm$, angulus exterior $TMB =$ angulis $MmR + MBm$. Propoſ. 32. Elem. I. et ob angulum $MBm = o$; erit angulus $TMB =$ angulo $MmR$. Porro angulus $MRm$ eſt rectus, ſemidiameter enim $BR$ ad peripheriam circuli eſt perpendicularis. Sed angulus $TBM$ etiam rectus (per conſtruct.) ideoque angulus $TBM =$ angulo $MRm$, et angulus $BTo =$ angulo $RMm$. Cum igitur triangula $TBM$ et $MRm$ ſint aequiangula, erunt latera, quae circum aequales angulos, proportionalia. Propoſ. 4. Elem. 6. Eſt $mR : MR = BM : BT$. Si igitur $mR = dy$, $MR = dx$, et Semiordinata $BM = y$ ponatur, erit $BT = \frac{y\,dx}{dy}$; qui eſt terminus ordine ſecundus in fundamentali Proportione.

Ut terminus tertius $TH$ in dicta Proportione inveniatur, comparetur triangulum $BHT$ cum triangulo $MBR$.

Angu-

Angulus $MBT$ rectus (per conſtr.) $=$ angulis $MBt + tBT$; totum enim partibus ſuis ſimul ſumtis eſt aequale. Angulus $mBt$ rectus (per conſtr.) $=$ angulis $mBM + MBt$, ex eadem ratione. Anguli igitur $MBt + tBT = mBM + MBt$. Ablato angulo communi $MBt$, erit angulus $tBT = mBM$. Sed anguli $THo$ et $MRB$ ſunt recti, uti iam oſtenſum; ideo angulus $THo =$ angulo $MRB$. Denique angulus $HTB =$ ang. $BMR$. Cum igitur triangula $BHT$ et $MBR$ ſint aequiangula, erunt latera, quae circum aequales angulos, proportionalia. Propoſ. 4. Elem. 6. Eſt igitur $BM : MR = BT : TH$. Quare tertius terminus in dicta proportione $TH = \frac{dx^2}{dy}$ et quartus quaeſitus $Ho = \frac{dx^3}{dy^2}$.

Porro $tH$ ob puncta Curvae $M$ et $m$ infinite propinqua, ex quibus tangentes $TM$ et $tm$ ducuntur, pro differentiali rectae perpendicularis $BT$ ad Semiordinatam $BM$ poteſt haberi. Eſt autem $BT = \frac{ydx}{dy}$, uti modo inventum; quare differentiale, poſita $dx = 1$, erit $\frac{dxdy^2 - ydxddy}{dy^2} = tH$.

Hinc differentia partium per tangentes abſciſſarum $Ot$ ſeu $Ho + tH = \frac{dx^3 + dxdy^2 - ydxddy}{dy^2}$.

## Propoſ. X, Probl.

Invenire Inflexionis vel Regreſſus punctum in Curvis, quarum Semiordinatae ex unico puncto ducuntur.

### Solutio.

Quoniam Curvis huiusmodi proprium eſt, ut differentia partium per Tangentes abſciſſarum in Recta perpendiculari ad Semiordinatam in puncto inflexionis ſit $= o$ vel $= \infty$ Corol. IV, Propoſ. VIII. res omnis eo redit, ut valorem

praec. Propoſ. inventum $\frac{dx^3 + dxdy^2 - ydxddy}{dy^2}$ $=$ *ot:*

*Nihilo* vel *Infinito* aequalem ponamus. Quare, ut obtineatur formula concinnior, multiplicando per $dy^2$ erit $dx^3 + dxdy^2 - ydxddy = o$, et dividendo per $dx$, erit $dx^2 + dy^2 - yddy = o$.

1. His ſuppoſitis, Aequatio Curvae data, primum differentietur, exprimendo differentiale Semiordinatae $dy$ per $dx$.

2. Haec inventa differentialis Aequatio, ſumta $dx$ pro conſtante, denuo differentietur, ut prodeat valor aequipollens differentiali ſecundi Ordinis Semiordinatae, ſeu $ddy$.

3. Subſtitutis his valoribus in $dx^2 + dy^2 - yddy$, et reſultante hinc quantitate poſita $= o$, vel $= \infty$; ulteriori Reductione facta proveniet pro $BF$ *Fig. I. n. 2.* valor et quidem talis, ut ex centro $B$ intervallo $BF$ deſcripto circulo, punctum Inflexionis vel Regreſſus $F$ definiatur.

Generalis haec, quam expoſui, Methodus, inveniendi Inflexionis vel Regreſſus Punctum Curvarum, ideis innititur ſimpliciſſimis et maxime vulgaribus, id quod nemo non ex hactenus traditis intelligit.

Propoſui autem *Principia*, quibus computus fundatur analyticus, ea, qua fieri potuit, perſpicuitate, ut, quibus modis Geometria *Euclidea* ſeu *Elementaris* cum natura et Paſſionibus Curvarum cohaereat, diſtincte appareret. Qua quidem in re veniam me facile impetraturum eſſe ſpero, quo magis ex his elucet, ea, quae in Geometria Curvarum tanquam abſtruſa et difficiliora a nonnullis proponuntur, eadem facilitate, *adhibita Methodo Veterum*, ad ſimpliciſſimam formam reduci poſſe.

## IO. HENR. WINKLERI, PHYS. IN ACAD. LIPS. Prof. Ordinar. tentamina circa ſoni celeritatem per aerem atmoſphaericum.

Soni per aerem atmoſphaericum progredientis celeritatem exploraturi Phyſici, tonitrua fieri curarunt pulvere pyrio ex tormentis bellicis, ab iisque in definita diſtantia numerarunt penduli oſcillationes inter viſam flammam et auditum fragorem. Sed non eandem ubivis ſoni celeritatem invenerunt. *Gaſſendus* a) narrat, *Merſennum* b), in emetienda ſoni velocitate ſtudioſe occupatum, deprehendiſſe, ipſum uno horae ſecundo 230. hexapodas Pariſinas, ſeu 1380. pedes, percurrere. Florentini c) in diſtantia unius milliaris Italici a tempore viſae flammae ex tormentis ad tempus auditi ſoni numerarunt circiter decem vibrationes integras penduli, quarum quaelibet peragebatur dimidio minuto ſecundo. In Commentario, quo Tentamina Florentina illuſtravit *Muſſchenbroekius*, ſubiectam tabulam dedit, exhibentem diverſos numeros pedum Londinenſium, quos uno minuto ſecundo ſonum emenſum eſſe varii exploratores obſervarunt.

| | Pedes | | Pedes |
|---|---|---|---|
| Florentini | 1185 | Flamſteed | |
| Galli celebres | 1172 | et Halley. | 1142 |
| Robbervallius | 560 | Boyleus | 1200 |
| Gaſſendus | 1473 | Roberts | 1300 |
| Merſennus | 1474 | Walker | 1338 |
| Idem | 1281 | Newtonus | 96 |
| | d) | | |

Poſt tentamina, quibus Florentini celeritatem ſoni per aerem atmoſphaericum exploratum iverunt, anno 1677. die 23. Iu-

a) Phyſices Sect. I. lib. 6. c. 10. p. 418. b) De Arte Balliſtica prop. 39. c) Tentaminum Florentinorum P. 2. p. 111.
d) Sodales Academiae Scientiarum Pariſinae multo ſtudio detexerunt,

23. Iunii *Caſſinus*, *Hugenius*, *Picardus* et *Roemerus*, in Gallia examen inſtituerunt, et ſoni propagationi intra unum minutum ſecundum viam 1097. pedum Pariſinorum aſſignarunt *e*), cum inter Obſervatorium Pariſienſe, et locum, qui *la Greve* nominatur, per pedes 7680. ſonum bombardarum aut crepitus ignium miſſilium intra ſeptem minuta ſecunda percurrere obſervaſſent.

Sed cum velocitas haec adhuc iuſto maior videretur, *Maraldi*, Abbas *de la Caille*, et *Caſſinus de Thury* A. 1738. iuſſu Academiae Pariſinae nova tentamina ſuſceperunt *f*). Delegerunt intervalla maiora, ut, ſi quis error in metiendo tempore committeretur, is per maius intervallum diſtributus perquam exiguus fieret. Prima tentamina fecerunt in Inſula Franciae, in *Obſervatorio Pariſino*, in oppido *Montmartre*, et in mola oppidi *Fontenay* aux *Roſes*. Mola ab *Obſervatorio* 3268. *Obſervatorium* a pyramide in *Montmartre* 2931. et *Montmartre* ab oppido *Fontenay* 5788. hexapodas diſtat. Pyramis illa in linea meridionali poſita eſt. Ad excitandum ignem et ſonum pulvis pyrius in tormentis maioribus bellicis in dictis locis incenſus eſt. Tentamina quoque inſtituta ſunt in caſtello *de Lay*, quod a linea meridionali parum abeſt; et in *Mont-Lehery*, qui locus ab *Obſervatorio* 11756. hexapodas diſtat. Via a *Mont-Lehery* ad *Montmartre* 14636. hexapodas complectitur. In his locis tentamina inſtituta et reciprocata ſunt eodem die, quo aut aer tranquillus eſſet, aut ventus in viam ſoni oblique incurreret. Collatis inter ſe obſervationibus, non niſi unius minuti ſecundi deprehenſa eſt differentia. Quod documento eſt,

xerunt, ut *Luloſius* in libro: *Einleitung zur Erkänntniſs der Erdkugel*, §. 639. refert, pedem Londinenſem ad Pariſinum eſſe = 107 : 114. Itaque, ſi vnus pes Londinenſis ponitur $\frac{107}{114}$ pedis Pariſini, ſequitur, 1142. Londinenſes pedes, quos ſonus uno minuto ſecundo percurrit, 1071 $\frac{100}{114}$ Pariſinos aequare.

*e*) *Du Hamel* in Regiae Scientiarum Academiae Hiſtoria, lib. 2. Sect. 3. c. 2. p. 170. et 171.

*f*) Memoires de l' Ac. R. A. 1738.

eſt, in dimetienda velocitate ſoni nihil aberratum eſſe; aut, ſi error irrepſerit, eum adeo parvum eſſe, ut pro nihilo haberi poſſit. In minuta ſecunda diſtributo tempore, quod inter viſam flammam et auditum ſonum ope pendulorum notaverant, pro velocitate ſoni per unum minutum ſecundum in Inſula Franciae poni poſſe cognoverunt 173. hexapodas, ſeu 1038. pedes Pariſinos.

Paulo ante vidimus *g*), in Anglia ſoni velocitati datos eſſe 1072. pedes Pariſinos. Quae celeritas celeritatem a *Flamſtedio* et *Halleyo* ſono tributam 34. pedes ſuperat Haec differentia non pendet ab errore Gallorum in numerandis pendulorum oſcillationibus. Nam *Mont-Lehery* et *Montmartre* intervallo 14636. hexapodarum, ſeu 87816. pedum disiunguntur. Itaque ſonus, ſi uno minuto ſecundo 1072. pedes percurrat, viam a *Mont-Lehery* ad *Montmartre* emetiri debuiſſet intra $81\frac{984}{1072}$ minuta ſecunda. Sed eum per hanc viam adhibere Galli obſervarunt $84\frac{1}{2}$ ſecunda. Quis ſibi perſuadeat, eos, in notando tempore inter viſam flammam et auditum ſonum, errorem trium minutorum ſecundorum commiſiſſe; cum obſervationes, in quibus nihil curae et ſtudii neglectum eſt, non niſi unius dimidii minuti ſecundi differentiam indicarint? Suſceptis A. 1739. experimentis in *Provincia*, in duobus locis littoralibus 22572. hexapodarum intervallo disiunctis, Geometrae *de la Caille* et *Caſſini de Thury* experti ſunt, ſonum per hoc intervallum, in quo eius celeritas nec monte nec alio obſtaculo intercipiebatur, caelo tranquillo, intra 130. minuta ſecunda percurrere. Diviſis 22572. hexapodis ſeu 135432. pedibus per 130. ſecunda, quotus celeritati, qua ſonus in locis littoralibus *Provinciae* tempeſtate tranquilla uno minuto ſecundo utitur, 1041. pedes aſſignat. Celeriorem *de la Condamine h*) invenit ſonum in Americana inſula *Cayenne*, cum A. 1740. menſe Februario in monte *Courou*, qui in

 urbe

*g*) In ſcholio d.
*h*) In eius Commentario gallico: Voyage de la Rivière des Amazones p. 205. et 206.

urbe *Cayenne* cernitur, ex tormentis bellicis exploſiones fieri curaret. Duobus diebus tentamina inſtituit. Quinque exploſionum tonitrua per intervallum 20230. hexapodarum, ſeu 121380. pedum ex monte in urbem *Cayennam* intra 110. minuta ſecunda perlata ſunt. Ex celeritate venti *de la Condamine* collegit, ſonum ſingulis ſecundis $183\frac{1}{2}$ hexapodas, ſeu 1101. pedes Pariſinos peragraſſe. Contra tardior fuit ſonus in urbe Americana *Quito*, ubi non niſi 175. hexapodas, ſeu 1050. pedes, uno minuto ſecundo emenſus eſt.

Galli A. 1738. tentamina fecerunt, cum ventus viam ſoni ſub angulo recto ſecaret. Sed eadem ferme obſervata eſt celeritas, qua ſonus uſus eſt in aere tranquillo. Illa enim ad hanc fuit $= 85''$ : $84\frac{1}{2}''$ minuta ſecunda. Quam rationem docuerunt obſervationes in quatuor locis, *Montlehery*, *Lay*, *Obſervatorio Pariſino.* et *Montmartre*, in quibus primus *Mont-Lehery* meridiei, et ultimus *Montmartre* ſeptemtrioni proximus eſt. A primo *Mont lehery* ad ſecundum *Lay*, ab hoc ad *Obſervatorium*, et ab hoc ad *Montmartre* via patet. In aere tranquillo ab oppido *Mont-lehery* ad oppidum *Lay* curſus ſoni 48″, a *Lay* ad *Obſervatorium* 20″ et ab hoc ad *Montmartre* $16\frac{1}{2}''$ adhibuit. Summa eſt $= 84\frac{1}{2}''$. Tempore, quo venti via viam ſoni directe ſecuit, poſt viſam flammam ex tormento in *Obſervatorio*, ſonus auditus eſt in *Montmartre* intra $16\frac{1}{2}''$ in *Lay* intra 20″ et in *Mont lehery* intra $68\frac{1}{2}''$. Summa ſecundorum $16\frac{1}{2}$ et $68\frac{1}{2}$ eſt $= 85''$.

Vento ſecundo ſonum accelerari, et adverſo retardari, ex obſervatis *Derhami i)* conſtat. Novis tentaminibus idem edocti ſunt Galli A. 1738. Cum die 13. Martii exploſio ex tormento in *Montmartre* fieret, ventus borealis vehementior ſonum comitatus effecit, ut hic 2″ prius audiretur, quam die 14. Martii, cum nullus eſſet ventus. Nam die 13. Martii duae factae ſunt exploſiones in oppido *Montmartre*,

i) Philoſophical-Transactions, p. 313.

*martre*, quarum prima intra $82\frac{1}{2}''$ et altera intra $83''$ in *Mont-lehery* ad aures pervenit. In eandem vero viam exploſio die 14. Martii in *Montmartre* facta poſt viſam flammam $85''$ inſumſit.

Die 19. Martii excitatus ſonus in via ex oppido *Mont-Lehery* ad oppidum *Montmartre* vento comite $4''$ acceleratus eſt. Facta enim in oppido *Mont-Lehery* exploſio audita eſt in *Montmartre* intra $80\frac{1}{4}''$. Sed quae die 14. aere tranquillo in oppido *Montmartre* facta eſt exploſio, in progreſſu ad *Mont-Lehery* $85''$ conſumſit; et quae die 16. Martii, cum ventus viam ſoni ſecaret, ex tormento in *Montmartre* prodiit exploſio, in dictam viam $84\frac{1}{2}$ impendit.

Medicinae rerumque naturalium ſcientia celeberrimus *Bianconi* tentaminibus *k*) didicit, in aere calidiori celerius quam in frigidiori ſonum progredi. A. 1740. die 18. Auguſti, noctu, in arce Bononienſi *Urbana* ex tormentis bellicis tonitrua fieri curavit, cum in monaſterio a Bononia dimidiam horam diſtante obſervaret. In arce, quae ab hoc monaſterio occaſum verſus 30. milliaria Italica abeſt, dicta nocte, qua caelum ſerenum erat, et aer adeo tranquillus, ut non niſi tenuis ſpiritus ſeptemtrionalis ſentiretur, quinque ex tormentis bellicis exploſiones factae ſunt, quas ſingulas audivit horae minuto ſecundo 76. poſt conſpectam flammam incenſi pulveris. Altitudo Mercurii in Tubo Torricelliano fuit 28. graduum et unius lineae, et altitudo ſpiritus vini in Thermometro Reaumuriano 28. graduum ſupra punctum glaciale. Proxima hieme, die 6. Februarii, noctu, cum caelum hic illic nubeculis tectum eſſet, valideque flaret Favonius, et aliquot horis ante nix cecidiſſet, rurſus in arce *Urbana* quinque exploſiones ex tormentis bellicis fieri iuſſit. Hae ſingulae poſt viſam flammam in monaſterio auditae



*k*) Expoſitis in epiſtola Italica, ad *Scipionem Maffei:* Della diverſa Velocità del ſuono, in Venezia 1746, cuius epitome extat in Commentariis Germanicis: *Hamburgiſches Magazin*, T. XVI. p. 476.

ditae ſunt minuto ſecundo $78\frac{1}{2}$. quod idem pendulum ſignificabat, cuius oſcillationes in tentaminibus aeſtivis tempus indicaverant. In Tubo Torricelliano altitudo Mercurii 27. graduum et ſex linearum fuit. et ſpiritus vini in Thermometro Reaum. ad gradum $1\frac{2}{10}$ ſub puncto glaciali haeſit. Soni celeritas igitur in hac tempeſtate frigida, ad eam, qua uſus eſt in illa tempeſtate calida, fuit $= 76 : 78\frac{1}{2}$.

Soni celeritates caelo ſereno et nubilo, die et nocte, inque aere graviori et leviori, parum aut nihil inter ſe differunt. Die 14. Martii An. 1738. hora nocturna nona, cum plueret, aere placido, ex oppido *Montmartre* profectum tonitru tormenti poſt flammam viſam minuto ſecundo 16. in *Obſervatorio*, 36″ in *Chateau Lay*, et 85″ in *Mont-Lehery*; dieque 16 Martii hora nocturna nona, caelo ſereno, vento haud valido viam ſoni ad perpendiculum ſecante, in oppido *Montmartre* excitatum tonitru minuto ſecundo $16\frac{1}{2}$, in Lay $36\frac{1}{2}$″ et in *Mont-Lehery* $84\frac{1}{2}$″ auditum eſt. Itaque eadem propemodum celeritate per aerem pluvium et ſerenum uſus eſt ventus. Die 21 Martii hora ſexta poſt meridiem, ante occaſum Solis, leniter flante vento ſeptentrionali, facta in oppido *Mont-Lehery* exploſio audita eſt in *Obſervatorio* minuto ſecundo 68, ex quo flamma oculis nudis haud conſpicua per tubum apparuit. Circa minutum 30. poſt horam ſextam veſpertinam nova facta eſt exploſio. Inter flammam oculis nudis obſervatam, et tonitru auditum, itidem numerata ſunt 68 ſecunda. Die 14. Martii hora decima veſpertina facta in oppido *Mont-Lehery* exploſio in *Obſervatorio* auribus percepta eſt minuto ſecundo $67\frac{1}{2}$, ex quo flamma in oculos incurrit. Tempore diurno et nocturno igitur eadem prope fuit ſoni celeritas. Die 16. Martii altitudo Mercurii in Tubo Torricelliano fuit 27. digitorum et 11. linearum, ſed die 21 Martii tantum 27. digitorum et $2\frac{1}{4}$ linearum. Obſervata vero nulla eſt differentia celeritatum. Nam die 16. Martii tonitru tormenti in oppido *Mont-Lehery* hora 10. veſpertina excitatum minuto ſecundo 68. in *Obſervatorio* auditum eſt, et die 21. hora 6. veſpertina fa-

ctum

dum eandem viam pari numero ſecundorum abſolvit. Solertiſſimus *Bianconi* An. 1741. die 12. Februarii, noctu, aere tranquillo, ſed ita nubilo, ut fulmen tormentorum ex arce *Urbana* in monaſterio, quod 30. milliaria italica ab ea aberat, oculis uſurpari non poſſet, tum in arce, tum in monaſterio, exploſiones fieri curavit, id agens in arce, ut, cum tonitru tormenti ex monaſterio profectum audiret, eo ipſo momento pulvis pyrius in tormento incenderetur, pendulique oſcillationes numeraret, usque dum novum tonitru ex monaſterio perciperet. Similiter obſervatores in monaſterio, cum exploſionem facerent, ab eius initio penduli oſcillationes numerare coeperunt, continuantes usque dum tonitru tormenti ex arce audirent. Quatuor eiusmodi experimenta capta ſunt. In ſingulis, ab exploſione facta in monaſterio, ad tempus quo in eo audiretur proxima exploſio in arce concitata, 157. minuta ſecunda numerata ſunt. Collatarum poſtea inter ſe numerationum differentia, haud maior fuit tribus ſecundis. Quae ſi a 157. ſecundis ſubtrahantur, ſumma relicta bifariamque diviſa indicat, ſonum a monaſterio ad arcem curſum confeciſſe 77. ſecundis. Obſervata haec ſoni per aerem nubilum progreſſi celeritas maior quidem eſt uno minuto ſecundo cum dimidio, quam celeritates quibus ſoni A. 1740. d. 18 Auguſti, et 1741. die 6. Februarii excitati vias abſolverunt. Sed fortaſſe ratio differentiae quaerenda eſt in differentia caloris et frigoris. Nam in Therm. Reaum. Spiritus vini A. 1741. die 12. Febr. attigit punctum glaciale.

Sonus debilior eadem celeritate fertur, qua fortior. Quod primo *Derhamum*, deinde Gallos, obſervationes docuerunt. Fragor ex tormento, quod *Pöller* appellatur, oriundus in *Obſervatorio* Pariſino poſt viſam flammam in *Montmartre* intra $16\frac{1}{2}''$ et fragor ex tormento maiori in *Montmartre* excitatus itidem intra $16\frac{1}{2}''$ poſt viſam flammam in *Obſervatorio* auditus eſt die 16. Martii A. 1738. In tormento maiori ſex librae pulveris incenſae ſunt, in minore (*Pöller*) non niſi ſelibra. In *Montmartre* duae exploſiones factae ſunt dicta

 nocte,

noćte, cum ventus haud validus viam ſoni ſecaret. *Derhamus l*) pulſum mallei, et ſclopum parvi ſclopeti, ad milliare Anglicanum uno tempore auribus percepit.

Ex *Derhami*, Florentinorum, et Gallorum obſervatis, quae ſupra enarrata ſunt, intelligitur, ſonum per aerem ferri motu aequabili, ſeu ſpatia ſoni inter ſe eſſe uti tempora, quibus abſolvuntur. *Derhamus m*) in littore Eſſexio, in cuius planitie ſex milliaria Anglicana dimenſus erat, ex tentaminibus ad cuiuslibet fere milliaris terminum factis comperit, ſonum per unum milliare Anglicanum migrare tempore $9\frac{1}{4}$ ſemiſecundorum, per duo milliaria tempore $18\frac{1}{4}$ ſemiſecundorum, per tria milliaria tempore $27\frac{1}{2}$, atque ita deinceps. Florentini, cum ſonum ex intervallo unius milliaris Italici obſervarent, decem penduli oſcillationes integras abſolvi viderunt. Repetitis exploſionibus, in diſtantia dimidii milliaris Italici a tempore viſae flammae quinque oſcillationes numerarunt. Duarum in oppido *Montmartre* A. 1738. die 16. Martii factarum exploſionum fragor ſpatium 87816. pedum ad oppidum *Mont-Lehery* tempore $84\frac{1}{2}$ minutorum ſecundorum percurrit. Die 14. Martii curſus ſoni ab oppido *Mont-Lehery* ad *Obſervatorium* Pariſinum 70536. pedes tempore $68\frac{1}{4}$ ſecundorum abſolvit. Haec vero duo tempora in eadem propemodum ratione ſunt, in qua ſpatia percurſa.

Nam

$$84\tfrac{1}{2} = \tfrac{169}{2} \text{ et } 68\tfrac{1}{4} = \tfrac{273}{4}.$$

Sed

$$87816 : 70536 = \tfrac{169}{2} : \tfrac{273}{4}.$$

NOVA

---

*l*) Philoſophical Transactions n. 313.
*m*) In Scholio priori I.

## *NOVA LITTERARIA.*

Prodiere nuper admodum, ſumtibus Luchtmanſiorum et Iohannis le Mair: *Origines Hebraeae,* ſive Hebraeae linguae antiquiſſima natura et indoles, ex Arabiae penetralibus revocata ab *Alberto Schultens.* Editio Altera. Cui adiectum opuſculum de Defectibus hodiernis Linguae Hebraeae: 3. Alph. 22. plagg. quaternis. Pauci ſunt inter libros hoc ſeculo editos, quorum aeque erat optanda repetita deſcriptio, ac huius operis, adeo quidem clari, et doctiſſimi cuiusque conſenſu praeſtantis, ut principatum in hoc genere facile tueri poſſit. Quis eſt enim qui veram et veterem diſcendae docendaeque Linguae Hebraeae rationem obſcuratam aliquamdiu revocavit in lucem; qui pauperem et mutilam locupletavit non tam novis theſauris, quam antiquis et vere ſuis; qui, ne fluctuandum eſſet amplius in tractanda illa, providit feliciter; qui textus ſacri Hebraei interpretandi graviſſimum praeſidium, quod e dialectis adfinibus, ſed maxime Arabica, petitur, et explicavit confirmavitque accurate, et ipſo uſu feliciſſime commendavit, niſi hoc factum a Schultenſio fateare, cum aliis in libris, tum primum et praecipue hoc in Opere, quo quaſi ſignum praetulit LL. Orientalium ſtudioſis, quod deinde frequentiſſimi ſecuti ſunt, nonnulli etiam de ſuis copiis illuſtrius certiusque praeſtitere. Sed cum harum Originum Tomus I. Anno 1724. Franequerae, alter Lugd. Batavorum A. 1738. editus fuerit, factum eſt, ut poſt tot annos rariores in librariorum tabernis occurrerent, multis autem in locis omnino deſiderarentur. Nunc igitur uno Volumine comprehenſas, forma maiore, chartis nitidis, litterisque probis excudi denuo iuſſerunt librarii intelligentes, et amantes rei litterariae. Nihil hic demtum aut mutatum; ſed additum tamen laudando conſilio *Opuſculum de Defectibus hodiernis Linguae Hebraeae, eorumque reſarciendorum tutiſſima via ac ratione,* ſeparatum exſcriptum A. 1730. Huius enim argumentum coniunctiſſimum eſt ipſis Originibus; et quae in his pro illo nectuntur Vindiciae, magis etiam inſeri illud poſtulabant. Ceterum

terum non urgebimus hoc loco, Originum opus inchoatum potius eſſe ab Auctore, quam abſolutum. Sciunt enim, qui illas, et reliqua Schultenſii ſcripta legerunt, non ſolum Libro primo, quem unice perfecit, iacta eſſe fundamenta firmiſſima univerſi Operis, eaque longe uberrimis obſervationibus et acceſſionibus munita, ut ſufficere poſſint iis, qui ingenio ſuo uti didicerint; ſed addita etiam eſſe ab illo larga manu Supplementa quaedam Originum libris poſterioribus, inprimis duplici illo Commentario nobiliſſimo, quo difficillimorum par librorum biblicorum enarravit. Reſtat, ut inveniatur inter doctos, qui hoc beneficio obſtringat ſibi litterarum Orientalium ſtudioſos, ut, collectis ex omni opere palmariis quaeſtionibus et diſquiſitionibus, omiſſis aliis locis iuſto longioribus, maximeque illa cum Drieſſenio diſputatione, maiori certe parte ſua, additis denique monitis quibusdam neceſſariis, et compoſito rite ordine, in modicum Volumen contrahat has Origines, eoque facto plurimorum utilitati reddat accommodatiores. Nobis certe Germanis contigit ante hoc quinquennium accipere libellum patrio ſermone ſcriptum, de Originibus et natura Hebraeae linguae inveſtigandis, eorumque, quibus in hac re vulgo utuntur, auxiliorum varietate et bonitate, libellum aimus; tantae doctrinae, eoque expolitum acumine ab Ill. Viro, *Io. Davide Michaele*, ut tum demum exiſtimemus, quam ſint hae Schultenſii Origines probandae, cuius opis indigeant, et qua veluti ad perfectam elegantiam via deducendae ſint, intelligi poſſe, ſi quis libello, quem diximus, adiuncto, utriusque copulaverit expenderitque divitias.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Iunii Anno MDCCLXII.*

*Pars II.*

## MEMOIRES MILITAIRES SUR LES GRECS ET LES ROMAINS, etc.

i. e.

*DE RE MILITARI GRAECORUM ET ROMANORUM Commentarii, una cum diſſertatione de arte veterum defendendi et oppugnandi loca munita. His accedunt ONOSANDER de inſtitutione belli ducis, ARRIANI Tactica, et deſcriptio bellicae expeditionis Iulii Caeſaris in Africam. Auctore CAROLO GUISCHARDT.*

Lugduni 1760. Tomi II. Alph. 3. cum Tabulis aeneis XXI. acies resque ad bellum ſpectantes pulcre exhibentibus.

Illuſtris Auctor, graecarum latinarumque literarum aeque ac rei militaris ſcientia inclutus, in praeſtantiſſimo hoc Opere, tanta eruditione, facundia, ingenio, de rebus ad omnem Graecorum Romanorumque militiam pertinentibus diſſeruit, ut dubium ſit, an iſtarum gentium bellicae artes magis, quam eius, qui has e fontibus puriſſimis Graecorum Latinorumque auctorum tam feliciter eruit, ingenium atque doctrina, laude cumulandae ſint. Effecit igitur, ut hoc libro, neque eruditi homines, quod innumeris aucto-

rum Claſſicorum locis praeclaram lucem affundit; nec artis bellicae ſtudioſi, ſi ultra gregarii militis ingenium ſapere velint, quod omnem rei bellicae apparatum exponit, cum hodierna bellandi ratione comparat, atque ut imaginationi ſuccurratur, tabulis aere expreſſis pulcre adumbrat, carere poſſint. Quisquis igitur de militia veterum recte iudicare voluerit, hoc opere Illuſtris *Guiſcardi* commode utetur, propterea, quod, qui adhuc de rebus ad bellum ſpectantibus ad veterum ſcriptorum loca commentati ſunt, etiamſi magna doctrinae copia enituerunt, tamen rei bellicae et linguarum veterum, non ſatis gnari, ſaepiſſime turpiter lapſi ſunt, armaque veterum, caſtra, obſidiones, proelia, et quae huc pertinent reliqua, ita deſcripſerunt inepte, atque ita interpretati ſunt frigide, ut quidvis aliud, quam quod debuerant ſecundum Scriptores, ſcripſerint, adeoque riſum moveant rerum peritis. Cauſſa iſtorum lapſuum plerumque in eo quaerenda eſt, quod ſepoſitis fontibus, quos illi non intelligunt, conſulunt verſiones, ſaepenumero factas ab iis, qui, quod forte adſecuti ſunt, verterunt; quod non ſunt adſecuti, aut neglexerunt omnino, aut ita propoſuerunt, ut quadrata miſceant rotundis, ſenſumque ſcriptoris prorſus intervertant, nonnulla etiam, ut levia, omittant. Quae Scriptorum depravatio, quid enim impedit hanc ſtultitiam ſuo nomine appellare, multos decepit, decipitque hodienum, qui ex talibus commentariis perfectam militiae veterum ideam hauſiſſe rati, quidvis aliud quam hoc didicerunt. Igitur *Iuſti Lipſii*, *Salmaſii*, *Caſauboni* commentationes, quae huc pertinent, quamvis multifaria doctrina exornati, tamen a viris militaribus, qui Graecos Latinosque auctores legunt, propterea vilipenduntur, quod auſi ſunt praecipere de rebus, quas non intelligebant, etſi ſibi viderentur intelligere. Atque in hunc cenſum et *Folardi*, viri Illuſtris, Polybius referendus eſt. Etſi enim habet praeclara multa in commentariis ſuis, quae prodeſſe rei militaris ſtudioſo multis modis poſſint; tamen, ſi ad Polybium, quem interpretari adgreſſus eſt, exigas, quae de proeliis, de oppugnationibus,

bus, deque aliis expeditionibus bellicis, de vario armorum genere denique apud veteres protulit, nugae ſunt, quae Polybio non venerunt in mentem, ſed non intelligenti Polybium, ingenioſiſſimo Folardo. Magno itaque et reipublicae literariae, et rei militaris commodo, militiam veterum illuſtrandam ſuſcepit illuſtris *Guiſcardus*, peritia graeci latinique ſermonis Criticorum noſtrorum nulli ſecundus, idem vero et rerum bellicarum uſu Folardo facile par. Nos rerum egregio hoc libro propoſitarum praeſtantia moti, uberiora ex eo decerperemus, niſi paene totus liber deſcribendus eſſet, et niſi multa de proeliis, deque armis veterum diſſerendo vereremur, ne eadem nos, qui Marti numquam litavimus, nullo talium rerum uſu pollemus, cenſura maneat, qua ab Hannibale Oratorem aliquem de proeliis declamantem notatum legimus. Quare brevem tantummodo capitum ſummam adſcribemus, reliqua Lectoribus, quibus carere hic liber non poteſt, relicturi. *Tomus* igitur *Primus* Commentariorum eodem ordine digeſtus eſt, quo Polybius res bellicas veterum recenſuit, et Folardus, celebris eius Commentator, illuſtrare conatus eſt. *Primo capite* Agrigenti obſidio, defendente Hannibale, aggredientibus atque oppugnantibus Poſthumio Romanorum Duce, et Hierone Socio populi Romani, deſcribitur. Hannibalem nihil eorum, quae peritus, callidus, ac imperterritus belli dux unquam audeat, in ea obſidione omiſiſſe, famem aequo et conſtanti animo cum praeſidiariis ſuis duriſſimam tuliſſe, certum eſt. Hanno, qui ad liberandam obſidione civitatem cum ingenti exercitu venerat, Poſthumium in tales mox anguſtias redegit, ut obſidionem ille, ob difficultatem commeatus, iam ſolvere inſtitueret, cum Hanno, cui Hannibal dato ſigno, extrema ſuos pati in urbe indicaverat, proelio ſibi cum Romanis decernendum eſſe quantocius videret, ſi forte ſervari cum ſuis Hannibal tali conſilio poſſet. Magna arte hoc proelium inſtructum fuit, fortiter utrinque pugnatum: victoria Romanis ceſſit. Sed cum eo ſucceſſu laetarentur, Hannibal noctu, quae proelium ſecuta eſt, etſi eſſet a

victore Romano omnino cinctus, tamen cum praeſidiariis ſuis, deditioni evitandae, feliciter evaſit, Romanis ſecuto demum die Hannibalis fugam videntibus. Atque hic Folardus convicium Hannibali dixit, quod amovit ab eo Guiſcardus noſter, ita quidem, ut quivis videat, Polybium a Gallo commentatore non intellectum, iniquis de Hannibale iudiciis cauſſam praebuiſſe. quam nos Apologiam pro Hannibale, exacta Graecitatis intelligentia nixam, ſumma cum voluptate legimus. *Caput II.* proelium deſcribit, quo, Duce Xantippo, Carthaginenſes Romanum exercitum fuderunt. Hic mirae Xantippi artes in erudiendo milite, ducendo in hoſtem exercitu, inſtruenda acie, graphice proponuntur, ipſaque acies eleganti Schematiſmo exhibetur, et Folardus plus vice ſimplici admonetur. Quale iſtud eſt, quod illud Plutarchi *μέτριος*, *σύμμετρος*, elogium perfecti ducis, non intellexit Folardus, adeoque ne vertit quidem iis locis omnibus, quibus a Polybio adhibitum fuit. *Capite III.* eſt proelium, quo Amilcar Barcas cum populo Africano rebelle decertavit. Pependit ab ea victoria ſalus Carthaginis. Illuſtris Guiſcardus igitur, praemiſſa urbis iſtius brevi topographia, quomodo aciem Amilcar inſtruxerit, graphice, atque ita ad normam Polybianae recenſionis deſcripſit, addita eius proelii triplici ichnographia, ut facile quivis videat, quanta in commentariis ſuis et hic Folardus commentus ſit, linguae graecae ignorantia, et quod ex ſuorum temporum ratione illam veterum militiam aeſtimavit. Subiunxit noſter de triplici aciei apud Graecos inſtruendae ratione Commentarium, magno militaris doctrinae apparatu inſignem. *Capite IV.* obſervationes legimus ſuper pugna Romanorum cum Gallis Inſubribus, ad Oddam fluvium, quam Folardus armorum Romanorum exacta notitia deſtitutus, ex ingenio ſuo propoſuit. Ea occaſione oblata ita uſus eſt Guiſcardus, Vir doctiſſimus, ut de Romanorum armis, e. c. de pilo, ſpatha, et talibus, hoc loco multa praeclare praeciperet, eaque omnia Polybii, Caeſaris, Livii, et qui huc pertinent auctorum reliquorum locis evinceret. *Caput V.* pugnam eques-

trem

trem Romanorum et Carthaginenſium, ad Teſinum amnem, exponit. Ut hanc adſequerentur Lectores Polybii, neceſſaria fuit de Graecorum equitatu, deque armis equitum, et pugnandi ratione, ad Aeliani Arrianique praeſcriptum, accurata diſquiſitio, quam hic legere volupe erit antiquitatis amantibus: nam et dicendi elegantia librum ornavit auctor illuſtris, quae vel ſola placere poſſit. Sed hic iterum vehementer hallucinatus eſt Folardus, confutatus a Noſtro, ſumma tamen modeſtia; quod a Viro a natura et arte ad omnem humanitatem facto fieri aliter non poterat. De proelio ad Trebiam ſermo eſt *Cap. VI.* inſperſis animadverſionibus tacticis, aeque ac Anti-Folardianis. *Cap. VII.* ſiſtit Hannibalem et Minucium ad Gerunium. Dici nequit, quantopere omnem hanc Polybii narrationem conturbaverit Folardus, a Noſtro veritati reſtitutam, atque ordini ſuo. *Capite VIII.* Cannenſis pugnae ratio omnis, e Polybii commentariis, emendata Thuillierii verſione, et qui eam ſecutus eſt Folardo reprehenſo, exactiſſime deſcribitur. Toto eo loco, uterque Gallus, cum cohortibus manipulos confudit, quo deinceps abducti ſunt homines iſti in errores alios. *Caput IX.* eſt de proelio ad Caphyas, Achaeos inter atque Aetolos commiſſo. Atque hic iterum reductus eſt in viam ingenioſiſſimus Folardus, qui Polybianis eius proelii deſcriptionibus ſubſtituit ſuas, deceptus plerumque, quod Graeca ignoraret, a Thuillierio, neque Arati, neque Dorymachi artium ſatis gnarus. Non intellexit interpres τὸ ἐξάπτεσθαι Polybii, neque, quid eſſet: αὐτοὶ μὲν ὑπὲρ τὴν παρώρειαν ὑποστείλαντες ἔμενον. *Capite X.* celebre proelium ad Mantineam, cum Machanida, Lacedaemoniorum Tyranno; quo ſuperior diſceſſit fortiſſimus Achivi foederis imperator Philopoemen, ita deſcribitur, ut ipſam illam pugnam coram intueri videatur quisquis legerit. Ex fragmento Polybiano, cuius lacunas explevit, e lectione veterum Graecorum de re militari Scriptorum, ſolertiſſimus Guiſcardus, haec omnis narratio profluxit, quam, qui verterunt, vehementer depravarunt, ita ut neque ingenium

Achivi ducis, neque prudentia magnopere appareat. *Caput XI.* cum Asdrubale depugnantem in Hiſpania Scipionem ſiſtit. Eſt vero hic locus Polybii (XI, 28.) ab illuſtri Viro tam perſpicue propoſitus, tam erudite explanatus atque illuſtratus, ut vel hic ſolus perfectam rei militaris ſcientiam prodat, quam toto libro admirati ſumus. Lux hic et Vegetii loco accenditur, quo de eo ordine aciei ſermo eſt, quem hac pugna Scipio inſtituerat. Sed etiam Bellegardo Marchioni, quocum ſuper hoc proelio Guiſcardus olim amice diſputaverat, docte atque argute, invitante materia, reſponſum eſt. Quae ſub finem capitis de Livio dicta ſunt, ea hic deſcribimus: *Le Comte de Naſſau a traité de cette bataille, dans ſon Livre, intitulé: Annibal et Scipion. Il n'eſt pas étonnant, qu'il ait entièrement manqué les diſpoſitions des Romains. Il prit pour guide Tite Live, Auteur elégant, mais peu capable de ſaiſir les idées d'un Hiſtorien ſolide et exact qu'il copioit. Capite XII.* ultima illa pugna deſcribitur, quae, victo ad Zamam, atque Adrumetum profugo, quo redux in Africam appulerat, Hannibale, orbis imperium Romanis tribuit. Si Folardi commentarios hic conſulas, diverſus omnino eſt Polybii Hannibal ad Zamam ab eo, quem Gallus ex ingenio finxit, a Noſtro, ut meruerat, exploſus. *Caput XIII.* docte atque intelligenter exponit pugnam Philippi Macedonum Regis cum Flaminino Proconſule, in Theſſalia. Ea victoria Romanis fauces Epiri aperuit, gloriae autem Philippi, exiſtimationique, multum detraxit. Etſi enim fortiſſimi prudentiſſimique imperatoris laude floruit; tamen, ſi omnem eius proelii decurſum ad artis militaris regulas, quod hic illuſtris Guiſcardus fecit, exegeris, et fortuna adverſa Macedonem, et ſuis ipſius peccatis non multo minus victum fuiſſe, facile intelligitur. *Caput XIV.* Granicum amnem Bithyniae ab Alex. M. ſuperatum cum exercitu, fugatasque Perſarum copias, proponit. Commentarius eſt ad ea, quae de Expeditione Alexandri M. *Arrianus* L. I. memoriae prodidit, Qui enim hunc Scriptorem vertit, Ablancurtius, multa non intellexit, alia addidit

de

de ſuo; qua ſupervacua diligentia effecit hoc, ut multis locis male intelligatur Arrianus, aliis autem ſint de quibus ne cogitavit quidem, ſi graeca inſpicias. *Capite XV.* ad *Arriani* L. III. de proelio ad Arbelam, quo, teſte Curtio, inter Alexandrum et Darium de orbis imperio certatum eſt, docte diſputatur. Numero Perſae; arte, atque ducum prudentia, virtute denique et fortitudine regis, Macedones ſuperiores fuerunt ea pugna, in qua, quicquid Graecorum Tactici militaris artis docuerunt, adhibitum ab Alexandro videas. Sed etiam hic Arriani interpres Gallus plus vice ſimplici reprehenſus eſt, et merito quidem ſuo: nam omnem aciei rationem conturbavit, ita ut plane Arrianum non agnoſcas, ſi graeca legeris. *Capite XVI.* quod primi Tomi ultimum eſt, locus *Iulii Caeſaris,* de bello Gallico L. VII. c. 68. ſeqq. qui eſt de Aleſia, circumvallata a Iulio Caeſare, deque conflictibus per eam occaſionem habitis, docte illuſtratur. Hic Vercingetorix cum Caeſare arte et ingenio pugnavit, videturque ſe ipſum Caeſar ſuperaſſe. *Velleius* certe circa Aleſiam tantas res geſtas fuiſſe dicit, quantas audere vix hominis; perficere paene nullius, niſi dei fuerit. Atque in his tantis rebus enarrandis dilucidandisque ſumma illuſtris Guiſcardi doctrina ita eminet, ut, quid primo, quid deinceps laudare oporteat, neſciamus. Igitur lectoribus integrum iudicium relinquimus: nobis haec de primo Tomo dixiſſe ſufficiant.

*Tomo ſecundo* primum locum occupat illuſtris Guiſcardi, *de veterum munita loca oppugnandi atque defendendi ratione,* diſſertatio, in qua, quidquid doctrinae huc pertinentis comparari e Graecorum Latinorumque Scriptorum lectione poteſt, exſplendeſcit. Atque hic iterum reprehendendus plus vice ſimplici Folardus fuit, qui obſecutus aut ingenio ſuo, aut Tuillierio, multa prorſus aliter propoſuit, quam quidem erant ex veterum Scriptorum dictis proponenda. Ut fidem iis faceret auctor doctiſſimus, quae ſuper eo argumento ſcripſiſſet, adiecit, appendicis loco, oppugnationem Plateae e Libro II. *Thucydidis,* atque alteram Maſſiliae, e

*Iulii*

*Iulii Caeſaris* Commentariis de Bello civili L. II. Mox deinceps *Onoſandri* praecepta militaria, belli ducibus dicata, a Viro doctiſſimo verſa e graeco gallice legimus. Si quidem Suidae fides, hic Onoſander, cuius incerta aetas eſt, Platonicus Philoſophus, in Platonis de Republica Libros, commentaria ſcripſit; his autem militaribus praeceptis non debebat niſi forte Vegetii temporibus gloriari. *Pédant, comme il étoit*, ait noſter, *et ſans lumiéres, il fit ſon choix ſans jugement; il confondit les epoques et la milice des Romains avec celle des Grecs; et il n'entra dans aucun des détails, qui auroient rendu ſon livre digne de ſon titre.* Tamen hunc ei honorem habuit Leo Imperator, ut Tacticis ſuis omnem paene librum inſereret, floſculis rhetoricis, anxie conquiſitis, plenum; quae eſt fere dos Graecorum Scriptorum omnium, qui inde ab Antoninis ad ſaeculum usque Theodoſii vixerunt. Uſus eſt Noſter in vertendo editione Pariſina anni 1599. quam curavit Rigaltius, ſed non emendato contextu, quod habuit ad manus codices male ſcriptos, atque infinitis paene lacunis informes. Ad calcem Onoſandri reperitur *Urbicii* cuiusdam de ratione defendendi peditatus adverſus impetum equitatus barbarorum libellus, Anaſtaſio imperante, ineunte Saeculo VI. ſcriptus. Etiam hunc vertit Noſter; potiſſimum ut intelligeretur, quam eius aevi Romani diſſimiles fuerint priſcis illis, quorum tantopere bellicae artes et militaris diſciplina celebrari meruerunt. Haec Urbicii excipiunt *Arriani* Tactica, e graeco gallica; praemiſſa eſt praefatio, qua illuſtris Guiſcardus non ſolum de meritis Arriani, Alanorum domitoris, docte atque eleganter diſſerit; ſed multa etiam proponit, illuſtrandae Graecorum Tacticae apprime inſervitura. Quas ipſi libro Arriani obſervationes adiecit, eae multa rei antiquariae capita, ad ſenſum veterum auctorum, exactiſſime proponunt, ſuntque a nobis non lectae, ſed devoratae. Extrema Tacticorum Arriani, de Romani equitatus militaribus exercitiis, quod eſſent lacunis deformia, adeo, ut multis locis non ſubſit certus ſenſus, non vertit Noſter; digna alioquin, quae e

graecis

graecis codicibus, ſi qui forte integri ſint, reſtituantur integritati ſuae. Eſt his Arriani libris libellus ſubiunctus, qui videtur fragmenta continere Operis eius, quod idem Arrianus de Bello adverſus Alanos geſto conſcripſerat, et cuius titulum ſervavit *Photius* Cod. LVIII. Scimus e *Dione*, Arrianum, Cappadociae praefectum eo tempore, viciſſe Alanos, numeroſiſſimo equitatu inſignes; neque tamen vel regio indicata eſt, qua depugnatum Romanos inter atque Alanos fuit. Capite caret et fine fragmentum hoc; in iis tamen, quae ſuperſunt, ordo itineris exercitus, et aciei Romanorum ratio, exactiſſime deſcribuntur, ita ut vel eapropter militarium antiquitatum curioſis gratiſſima eſſe verſio Guiſcardi V. Cl. debeat, qui e lectione veterum Scriptorum quibusdam Arriani locis magnam ſuis obſervationibus lucem adfudit. Ultimo loco eſt *Iulii Caeſaris Africana expeditio*, Hirtio ſcriptore, capitibus duodecim ab illuſtri Guiſcardo elegantiſſime expoſita. Ipſe analyſin inſcripſit. Et recte quidem: militares enim artes Caeſaris, advocatis in ſubſidium ſcriptoribus aliis, ad rerum geſtarum ordinem tam intelligenter tamque dilucide propoſuit, ut vel hoc uno militiae veteris admiratores magno beneficio obſtrinxerit. In hac autem analyſi ſcribenda facile advertit, hos vel Hirtii, vel Oppii, (nam ad hunc Epiſtolae Caeſaris integris voluminibus legebantur Romae, teſte Gellio,) de bello Caeſaris Africano commentarios non eſſe omnino integros, ut Suetonii aetate fuerunt, ſed Iulii Celſi cuiusdam, qui Saeculis aliquot poſt vixerit, interpolationibus, atque minime neceſſariis emendationibus, quae obſcuritatem pariunt, atque ſuſpecta legenti merito ſunt, vehementer depravatos.

Nos hic calamum ponimus. Ill. Guiſcardo hoc opus, tanquam praeclarum ſummae doctrinae, perfectaeque rei militaris, graecarum item latinarumque litterarum ſcientiae, certiſſimum monumentum, atque aere omni perennius, gratulamur; amatoribus autem rei antiquariae iterum adfirmamus, operis iſtius lectione ſuperſedere neminem eorum poſſe, qui velint aut veteris militiae rationem accurate cognoſcere,

aut, quo modo verſandum in interpretatione veterum Scriptorum ſit, diſcere.

*HISTORIARUM POLONIAE ET MAGNI DUCATUS Lithuaniae Scriptorum, quotquot ab initio Reipublicae Polonae ad noſtra usque tempora exſtant omnium, Collectio magna, ordine chronologico digeſta, ob exemplarium raritatem iterum typis exſcriptorum, ſuppeditante celeberrima Bibliotheca Zaluskiana. Edidit, varias adnotationes adiecit, ac praefatus eſt, LAURENTIUS MIZLERUS de KOLOF, Regni Poloniae Hiſtoriographus, in Seren. Reg. Polon. aula Conſiliarius et Medicus. Cum indice locupletiſſimo. TOMUS I. continens Scriptores topographicos.*

Varſaviae, ſumtibus Typographiae Mizlerianae 1761.
9. Alph. 9. plagg. in fol.

Magno beneficio litterariam rempublicam ſibi devincit *Mizlerus* V. Cl. dum Scriptorum rerum Polonicarum, quorum ſane multi ne innotuere quidem etiam doctioribus, Collectionem inſtituit, cuius hic Primum Tomum proponimus. Nihil attinet de Collectionum talium utilitate heic loci dicere; cum inter omnes conſtet, rerum geſtarum perpetuitati ea ratione quam optime conſuli: iſtud vero pauci vident, quae diligentia, quis labor, eos maneat, qui colligendis cum iudicio, atque edendis dextere, talibus Scriptoribus, operam ſuam addixerint. Igitur magno plauſu, litterataeque Poloniae praemiis etiam, dignus eſt Mizlerus V. Cl. qui non reformidavit editionis taedium, excitatus potiſſimum Illuſtriſſimi atque Reverendiſſimi Praeſulis, IOSEPHI ANDREAE ZALUSCII, Litterarum in Polonia Statoris et Vindicis incluti, benevolentia atque liberalitate, qua iſtud conſecutus eſt, ut ex eius Bibliotheca ea omnia acciperet, quae adornandae huic Collectioni inſervire ullo modo poterant. Additas legimus hinc inde adnotatiunculas,

las, aut corrigendis Scriptorum erroribus exſtantioribus, (quis enim omnes emendet,) aut illuſtrandis iis, quae obſcurius ſaepe, nec definite ſatis ſcripta ſunt, egregie profuturas. Vehementer autem optamus, ut iam inoffenſo pede progrediatur V. Cl. reliquosque Operis ingentis Tomos procudi faciat. Sunt autem hoc primo Volumine topographici Poloniae Scriptores XIX. propoſiti, reliquis ſecundo Tomo ſervatis. Nos eorum Catalogum, non neglectis iis, quae in Praefatione Mizlerus de unoquoque commemoravit, hic deſcribimus ipſius Editoris verbis.

Primum locum obtinet *Pomponii Melae* Deſcriptio Sarmatiae. Unicum, quartum nempe caput, Mela lib. III. ſcripſit de moribus et finibus veteris Sarmatiae, in quod *Ioachimus Vadianus*, ex nobili familia de Watt in Helvetia oriundus, utcunque commentatus eſt. Notitia vera autem ad explicandam veterem Sarmatiam inſtructus non fuit, et melius de Salis fodinis in Polonia, quam de Sarmatia veteri, dixit. Pauca ſunt, quae *Mela* de vetere Sarmatia ſcripſit, pauciora quae Vadianus adiecit; tamen hic varia, illo tempore de Polonia memoria digna, nobis reliquit, quae legere et ſcire iuvat. Ad haec variae adiectae ſunt annotationes, quae ad rem facere poſſint. Curatum eſt, ut accuratius etiam Scriptores imprimerentur, quam in corpore Piſtoriano hiſtoriae Polonae, in quo Scriptores Poloni plurimi, ex officina Henricpetrina Baſileae anno 1582. magna incuria typis ſunt procuſi, et eiusmodi foeda errata occurrunt, ut ſenſum plane invertant. De mala orthographia et barbara tacemus.

II. *Aeneae Silvii*, ſummi Pontificis Romani, Pii II. huius nominis poſt adeptum Pontificatum, liber de *Polonia, Lithuania, et Pruſſia*. Gravis eſt hic auctor, et vir magnus, qui praeclara multa ſcripſit; quae vero de Polonia et Lithuania memoriae prodidit, et pauca ſunt, et exigui momenti. Aperte falſis etiam hiſtoriam Polonam interpolavit, verbi gratia cum ait: *Guilielmum ducem Auſtriae, Hedwigem reginam in matrimonium accepiſſe, et Poloniae praefectum fuiſſe; ex ſecunda*

*uxore Uladislaum Iagellonem* duos ſuſcepiſſe filios *nonagenarium: Caſimirum Iagellonidem Boleslao Suidrigelloni ſucceſſiſſe:* et talia, quae omnia in annotationibus refutata ſunt.

III. *Eraſmi Stellae*, Libanothani, libri II. *de antiquitatibus Boruſſiae.* Hic auctor, Medicinae Doctor, varia non contemnenda de antiqua Boruſſia memoriae prodidit, ſed imperioſus nimium et audax videtur, qui omnia, quae ipſe ignoravit, pro fabulis haberi voluit. De ſuccino non male diſſeruit; ex Boruſſiae vero antiquitatibus, parum accurate ſcriptis, apparet, *Eraſmum Stellam*, non tam veritatem profunde ſcrutari, quam ſe potius magiſtro ordinis Teutonici, aliisque, quorum interfuit, commendare voluiſſe. Plura ſibi, quam ſcriptorem modeſtum decet, ſumſit, et audacter mentitus eſt, ne dicam, ſtilum, ſaepius parum latinum, plebis interdum ſermonem ſapere. Quo pertinet barbara locutio, *naſum continere*, in praefatione adhibita. Praeconceptam etiam animi opinionem prodidit, cum ſcriberet: *ut adverſus quoscunque, aliter de Boruſſia ſentientes, ceu pro aris et focis dimicaturus ſit, ultima potius perpeti certus, quam ignaviter ceſſurus.*

IV. *Matthiae Striykovii*, Canonici Miednicenſis in Samogitia, *deſcriptio Sarmatiae Europaeae.* Inter ſcriptores de Polonia topographicos merito *Striykowski* optimus cenſetur, quod non ſolum vir probus doctiſſimusque, ſed et ſimul diligentiſſimus fuit. Memorare iuvat, *Guagninum* hanc *Sarmatiam Europaeam* ſuo nomine edidiſſe; et quamplurimi, ſi non omnes, literati, in ea huc usque fuere ſententia, *Guagninum* iſtius deſcriptionis verum eſſe auctorem, quod tamen omnino falſum, et Striykovium dictum librum exaraſſe extra omne dubium poſitum eſt. Haec lector benevolus recte ex duobus illis capitibus, quae de *Guagnino* et *Striykovio* infra ad Sarmatiam Europaeam adiecta ſunt, intelliget. Ad Striykovii vero librum quod attinet, non mirandum, eum multis de locis plane nil dixiſſe, cum tractu temporis multa ſint mutata, et haec urbium Poloniae deſcriptio ſecundum tempora illa diiudicanda ſit. Et quamvis nunc

multa

multa ad hunc librum adiici poſſint, *Striykovius* tamen inter Geographos Polonos utiliſſimus ſemper erit, quia non ſolum recentisſimam, ſed et antiquam Geographiam Polonam ſcire iuvat. Quod ſupereſt, negare non poſſumus, nimium fuiſſe *Striykovium* brevem, qui fere non alia, praeter civitates maiores, annotavit loca, quam ubi iudicia cauſſaeque nobilium aguntur, vel ſingularia quaedam, tum ex hiſtoria civili, tum naturali, adnotanda obveniunt.

V. *Martini Cromeri Polonia, ſive de ſitu, populis, moribus, magiſtratibus, et republica regni Polonici libri II.* Neminem, qui hiſtoriae Polonae gnarus eſt, fugit, *Cromerum* ſcriptorum, quod geographiam attinet, principem putari; neque a veritate abhorret, eum ſuo tempore prae ceteris bene ſcripſiſſe: ſed noſtris temporibus multa, quae illius tempore vera fuere, ſunt obſoleta, quaedam etiam falſa. Haec in notis adiectis correcta ſunt. Dixit Cromerus: *conferendae nobilitatis poteſtatem ſolus habet princeps:* ſed vi legum, ſeu conſtitutionum ſequentium, haec regum Poloniarum praerogativa, qua adhuc *Sigismundus Auguſtus* fruebatur, abolita fuit, et respublica ſola in comitiis congregata, una cum Sereniſſimo rege, plebeiis iura nobilitatis, vel extraneis nobilibus ius nobilis Poloni, quod *indigenatum* vocant, ob merita in rempublicam, nunc diſtribuit. Serenisſimus quidem Rex Polonus, tamquam Monarcha, et Marchiones, et nobiles creat; ſed illi non iuribus Polonorum nobilium gaudent, neque eapropter bona nobilia iure hereditario posſidere, aut publicis muneribus fungi poſſunt. Sequentia etiam inſuper ſunt adnotanda. Pag. 136. ſcripſit: *novis creatis nobilibus obtinere et poſſidere bona terreſtria ſtatuto quodam novo non licet.* Ubi autem ſtatutum illud inveniatur, minime meminit. Hoc quidem ſcimus ex legibus publicis, novis creatis nobilibus non licere muneribus publicis fungi, ad tertiam usque generationem, ut pacta conventa loquuntur; ſed ſi bona etiam, terreſtria appellata, posſidere non poſſent, in quo ius nobilitatis in Polonia conſiſtit principale, tunc ignobilibus haud eſſent meliores. Sed hac de re in

 Po-

Polonia nemo dubitat, et neſcio quo caſu, vel qua ratione, literatisſimo *Cromero* haec verba exciderint. Deinde haec ſententia, ***habent nobiles Poloni in ſubditos ſuos vitae necisque poteſtatem***, omnino etiam ſunt ſub incudem revocanda, ſi ius clarum, cum abuſu iuris, haud confundi debeat. Nobilis, qui ſubditum ſuum, vel ira incenſus, vel alia ex cauſa interimit, non quidem capite plectitur, ſed pecuniam, poenae loco, ſolvere tenetur, ſi interemti conſanguinei dicam ei ſcribant, id quod plerumque ex inopia intermittitur, et ſic eiusmodi homicida immunis eſt. Hoc neminem iuris Poloni gnarum fugit. Quodſi vero ſubditus cuiusdam nobilis tale crimen commiſerit, ut vita privari debeat, dominus nullo modo ſua auctoritate id iubere poteſt, ſed ad caſtrum, ſeu praefecturae iudicium, vel aliud forum ius gladii exercens, eiusmodi maleficum extradere ſolet, ut ſecundum leges damnetur ac puniatur; ſi vero ſecus fecerit, lege et iure Polono poenam ſolvere tenetur. Hoc idem nemo negat. Inde igitur infero: quodſi nobilis Polonus, ſubditum ſuum interimens, qui capite plecti vel meruit, vel non meruit, ſemper tamen ſecundum ius Polonum poena pecuniae afficitur, tunc certe nobiles Poloni in ſubditos vitae necisque poteſtatem non habent, et optimus Cromerus hallucinatus eſt. Loquitur etiam de Officialibus regni, qui ſunt: [illegible]-camerarius, gladifer, pocillator ſive pincerna, menſae ſtructor, quem inciſorem vocant, dapifer, magiſter culinae; et hoc dilemma adiicit: ***aut iidem ſunt terreſtres Cracovienſis Satrapiae, aut ea ſola de omnibus nullos habet.*** Sed facile reſpondetur, non eſſe eosdem terreſtres Cracovienſis Satrapiae Officiales, cum Officialibus regni, quia hi ſoli in coronatione regum, et vaſalli ſolemni in feudum inauguratione, etc. officiis ſuis publice funguntur. Cracovienſis vero Palatinatus, ſeu Satrapia, ſuos habet officiales terreſtres, qui, ſi rex in Palatinatu Cracovienſi commoraretur, tunc officiales terreſtres Satrapiae Cracovienſis idem, iubente rege, facerent, exceptis actibus ſolemnibus, quod alii Officiales terreſtres in Palatinatu Maſoviae, vel alio quocunque. Clare igitur

ſunt

ſunt Officiales regni ab Officialibus terreſtribus Cracovienſibus diſtincti, clarius autem a rege diſtinguuntur. Illi enim plerumque ordine aquilae albae inſigniuntur, honoris ſigno, quo tantum Senatores regni affici ſolent. Iudicium ſex civitatum, de quo auctor diſſerit, noſtris temporibus obſoletum eſt, et ſupremus regni Cancellarius in omnibus civitatum causſis, ſi ad eum provocetur, Regis nomine iudicat ſine ulteriore provocatione, excepta unica urbe Culma, quae in causſis ſuis non ad Cancellarium, ſed ad Epiſcopum ſuum provocat. Tandem auctor dicit: *in Prusſia neque a bonis terreſtribus plebeii arcentur.* Hoc nunc non ita ſe habet. Plebeii enim et ruſtici, in Prusſia Polona, bona nobilium emere et posſidere non poſſunt. Sed notandum, vocem *plebeii* in Polonia ambiguam eſſe. Multi enim ſibi perſuadent, omnes eos, qui non ſunt nobiles, eſſe ruſticos; et ordo civilis in Polonia non re vera, ſed uſu loquendi obſolevit. Cum igitur magiſtratus civitatum, qui bona terreſtria posſident, maxime ſint ex ordine civili deſumti, male illi plebeii appellantur. Quidam enim, ut Torunenſis, Gedanenſis, Elbingenſis, ad Status reipublicae in Prusſia pertinent. Et hoc in cauſſa fuiſſe videtur, cur Cromerus, alioquin acutisſimus, minus accurate ſcripſerit.

VI. *Deſcriptio Sarmatiarum Aſianae et Europaeae, et eorum, quae in eis continentur, auctore Matthia a Miechow*, artium et medicinae Doctore, Canonico Cracovienſi.

Multa, quae Sarmatiam attinent, utilia dixit Miechovius, et quidem in libro I. de Sarmatia in genere, de ortu, et adventu Tartarorum, de crudeli vaſtatione Poloniae et Hungariae per Tartaros; quo modo Innocentius Papa IV. legatum miſerit ad Chanum Tartarorum, ne Chriſtianos perſequeretur, et quomodo fidem Mahometi ſuſceperit; de moribus Tartarorum, et de contentis in terra eorum; de finibus et metis Tartarorum Zavolhenſium; de genealogia Imperatorum trans Volham incolentium; quod gentes Scythiae inquietae ſint, et ſemper rapaces; quae gens, quaeque natio habitet in Scythia, quae nunc Tartaria vocatur; de

Gothis,

Gothis, de Alanis, Vandalis et Suevis, de Iuhris, de Turcis, de familia Tartarorum Vlanorum, ſive Precopenſium, de Tartaris Koſanenſibus, et Tartaris Nohaienſibus.

In libro II. multa differit de Rusſia, de amplitudine et contentis magni Ducatus Lithuaniae, de Moſchovia, de regionibus Scythiae, *Perm*, *Baskird*, *Iuhra*, et *Corela*, per Ducem Moſchoviae ſubiugatis. Haec ſunt quae *Miechovius* memoriae prodidit, ſtilo minus latino, varios intermiſcens barbariſmos ac ſoloeciſmos. Hiſtoria tamen, ſi ſuperſtitionem tollas, minime contemnenda, quamvis haud recte ſemper digeſta. 'Saepius enim ſine necesſitate de montibus Hyperboreis et Riphaeis, nec non de piſcibus ex mari ſcandentibus, *Morſs* dictis, et aliis de rebus quibusdam loquitur, quaſi oblitus eſſet eorum quae ante dixit.' Errores typographicos in exemplari apud Hallerum Cracoviae anno 1521. vivente auctore impreſſo occurrentes, ſedulo ſunt correcti, aeque ac ii, qui in editione Piſtoriana, ex ignorantia Poloni idiomatis, ſaepius obveniunt, quorum ſatis magnus eſt numerus.

VII. *Sigismundus*, liber Baro in *Herberſtein*, de Lithuania. Deſcriptio haec Lithuaniae ex *commentariis rerum Moſcoviticarum* excerpta eſt. Duae quidem ſunt tantum plagulae cum dimidia, quas Herberſteinius de Lithuania exaravit; ſed accurate, et ſingularia quaedam ſcripſit, quae legiſſe neminem poeniteat. Notandum, Polonos Herberſteinium accuſaſſe, quod primus Moſchoviae duci, legatus in aula eius, regium titulum dediſſet, eumque contra regem Polonum incitaſſet; ſed in ſcripto ad Henr. Glareanum ſe defendit, et integritatem domus Auſtriacae erga Poloniam demonſtravit. Vide *Boeclerum* de rebus XVI. Seculi p. 518.

VIII. *De Sarmatia commentariolus Hartmanni Schedelii*, Medicinae Doctoris. Hunc commentariolum continet *liber Chronicorum*, qui Norimbergae anno 1443. prodiit. Quamvis pauca de Sarmatia dixerit Schedelius, de *Uladislai* tamen prole, de Sancto *Stanislao*, Epiſcopo Cracovienſi, et de Cracovia, haud contemnenda retulit.

IX. *Sta-*

IX. *Stanislai Sarnicii deſcriptio veteris et novae Poloniae, cum diviſione eiusdem veteri et nova. Adiecta eſt vera et exquiſita Ruſſiae inferioris deſcriptio iuxta reviſionem commiſſariorum regiorum. Et Livoniae, iuxta hodoeporicon exercitus Polonici redeuntis ex Moſchovia.* Geographiam Polonam, ut ante ſeculum cum dimidio ſe habebat, nemo forte exactius tractavit *Sarnicio*, qui accurate ſatis de ſitu et ambitu veteris Sarmatiae, eiusque diviſione, ſecundum veterum ſententiam, diſſeruit, quamvis ipſius etymologias, ſeu nominum propriorum explicationes, non omnes probemus. Adiecit *Sarnicius* indicem locorum ordine alphabetico, qui octo plagulas continens, maximam operis partem facit, et in quo longitudo latitudoque unius cuiusque loci ſemper adſcripta eſt. Situs et ambitus Livoniae, provinciarumque ad flumen Dunam ſitarum, ſeparatim in fine operis conſpicitur.

X. *Iacobi Priluſii de provinciis Polonicis, et quibusdam regum diplomatis, tractatus.* Iacobus Priluſius tempore Sigismundi Auguſti, Poloniae regis, floruit, orator, poeta, et Iureconſultus inſignis, terrae Cracovienſis notarius et aedilis, vir ſuo tempore longe erudítiſſimus, Orichovii, Triceſii, et Kochanovii familiaris et amicus. Hic Priluſii tractatus, ex ſtatutorum libris ab illo publicatis deſcriptus, etiamſi ab omnibus inter geographicos, et a nobis etiam numeretur, plura tamen hoc in opere, quae hiſtoriam et publica literarum monumenta, quam geographiam attinent, continentur. Invenimus enim hic, *unionem magni Ducatus Lithuaniae cum regno Poloniae, in Hrodlo anno 1413. factam:* item documentum, quomodo *Praelati Lithuaniae incorporant ſe regno Poloniae, ac regi Poloniae ſe ſubiiciunt, quem una cum Polonis eligent:* deinceps *Uladislai III. Regis Poloniae confirmationem iurium ac privilegiorum, Sigismundo, magno Duci Lithuaniae ſuper ducatu magno per d. olim Uladislaum ſuum genitorem eidem Sigismundo conceſſam:* ſed et *procerum Lithuaniae* confirmationem veteris ſocietatis magni Ducatus, adiuncti regno Poloniae, factam anno 1499. Obvenit porro *de capta et repetenda Smolensko, Sigismundi ad Imperatorem fragmentum*

*epiſtolae.* Articulus II. ſequentia continet: *de regni ducatibus ad ferenda onera uniendis: terra Drohicenſis iuri Polonico adſcribenda:* item *Bielſcenſis tractus eidem iuri Polonico adſcribendus.* Sequuntur deinde omnia fere documenta, quae ad hiſtoriam Pruſſiae pertinent, tempore quo magiſtri Ordinis Teutonici eam poſſidebant.

XI. *Ioannis Craſſinii Polonia, ad Sereniſſimum Henricum Valeſium*, Poloniae Regem. Poloniam hanc Craſſinii quod attinet, phoenix eſt librorum, et nullibi in Polonia conſpicitur. Nonniſi tria exemplaria in vita ſua vidit illuſtriſſimus Epiſcopus Kiovienſis, Zaluſcius comes, nempe in bibliotheca *Ottoboniana* et *Caſanatenſi* Romae, et *Craſiniana in Nowawies* in Polonia; praeter duo, quae antea poſſidebat, exemplaria, quorumque alterum bibliothecae regiae Dreſdenſi fuit donatum, alterum a Celſiſſimo pie defuncto epiſcopo Cracovienſi, e Bibliotheca ſumtum *Zaluſciana*, et, neſcimus quo in loco, perditum fuit. Nunc vero iterum extat hac in bibliotheca huius libri exemplar unicum, in Gallia nuper emtum. Non parum igitur mihi moleſtiae creavit huius libri raritas, quem certe hoc in Tomo edere non potuiſſem, niſi ſingulari ex gratia et iuſſu illuſtriſſimi comitis de *Brühl*, primi Sereniſſimi Regis Poloniarum, Electoris Saxoniae, miniſtri fideliſſimi, qui literis Muſisque numquam defuit, libri huius exemplum, ſcriptum manu, per literatiſſimum *Henr. Ionath. Clodium*, Serenisſimo Regi a Bibliotheca et epiſtolis ſecretioribus, obtinuiſſem, qui id prius legit, et correxit.

Fuere quidam, qui Crasſinium huius libelli eſſe auctorem negarent, quorum quidem princeps eſt *Thuanus lib. I.* commentariorum de vita ſua p. 17. edit. Londinenſis, qui id ex ore Sigonii accepiſſe perhibet; quam ob cauſſam etiam in catalogo Bibliothecae Thuanae, part. I. p. 430. ad inſcriptionem huius libri, Io. Crasſinii Polonia 1574. haec verba adſcripta ſunt: (Carolus Sigonius auctor eſt.) Thuanum, virum fide dignum, alii ſecuti, idem ſcripſerunt, ut Placcius, Decker, aliique, quos praetereo. Sed his omnibus

nibus non obſtantibus certum eſſe videtur, Crasſinium, non Sigonium, libelli huius verum eſſe auctorem. Hoc facile nunc probamus, et maximum ex ipſa ad Henricum Valeſium, Poloniae Regem, Crasſinii dedicatione ſumimus argumentum, dicentis: *quae cauſſa efficit, ut hoc de Polonia ſcribendi negotium, urgente potiſſimum Carolo Sigonio, praeceptore meo, non invitus ſuſceperim.* Quis ſit tam durus, ne dicam audax, ut Crasſinium aperti mendacii in dedicatione ad Regem, vivente *Sigonio*, inſimulet, quem ſibi auctorem, ut hunc libellum ſcripſerit, fuiſſe, clare dicit. Certe plus fidei meretur *Craſſinius* ipſe, qui ſe auctorem libri coram rege, coram praeceptore, profitetur, quam Thuanus, qui audita dicit, et male rem, de qua ſtatim dicemus, intellexit. Deinde veriſimile minime videtur, *Sigonium*, quamvis literatisſimum, tam exactam rerum Polonarum cognitionem habuiſſe. Sed *Craſſinius* ea, quae deficiebant, potuit ſuppeditare. Potuit et ſcribere, uſus tam diu tanto praeceptore. Cur iniuria Crasſinii libellum Sigonio tribuamus, qui ſe nunquam illius auctorem dixit. *Muratorius*, ſagax ille et diligens rei literariae ſcriptor, in vita *Caroli Sigonii*, operibus eius praefixa, ne verbum quidem hac de re dicit, mentionem faciens libri *Zamoſcii de Senatu Romano*, qui Sigonio etiam attribuitur, qua de re tamen Muratorius doctisſimus dubitat, haec adiiciens verba: *mihi Italica eruditio nihil miniſtrat, unde iſta aut confirmentur, aut falſi arguantur.* Nullus dubito, *Sigonium* ultimam ad Crasſinii, diſcipuli ſui, Poloniam addidiſſe limam, qui, quum ei ad ſcribendum hunc librum auctor fuerit, ſine dubio tamquam ſuaſor et praeceptor opus prius vidit, legit, correxit. Hoc *Thuanus* ex eo ſcivit, qui ob id libellum Sigonio praeceptori, non Crasſinio diſcipulo, male tribuit. Quaeſo autem, quinam eſt libri auctor? illene qui omnia conquirit, elaborat, et digerit, an ille, qui deinde legit, et quaedam limat? Thuani igitur teſtimonium non tam ſuſpectum, quam male dictum, mihi videtur. Ea quae prae ceteris lima critica indigeant, videat lector benevolus in notis, ad calcem Crasſinii Poloniae adiectis,

XII. *Simonis Starovolſcii Polonia, cum praefatione Hermanni Conringii.* Simon Starovolſcius inter Polonos polygraphorum princeps, haud contemnendus quondam in Sarmatia ſcriptor, et vir in rebus literatis Polonis quam optime verſatus, quamquam non ſemper adeo accuratus. Communi laboravit polygraphorum vitio, qui multa ſcribentes non omnia recte digerunt, de caetero de literis in Polonia praeclare meritus. Starovolſcii vero Poloniam quod attinet, inter omnes eius libros cenſetur optimus, quamvis nunc quaedam ſint mutata. Iam non illa Livoniae pars ad Poloniam pertinet, quae regis Uladislai IV. tempore pertinuit. Iam non tres Polonia habet clientes fiduciarios, quos *Vaſallos* vulgo dicunt, ſed tantum unicum Curlandiae Ducem, nunc Sereniſſimum *Carolum, Auguſti III.* indulgentiſſimi patriae patris filium digniſſimum. Quae vero *Starovolſcius* de ingeniis Polonorum, de victu et veſtitu, de nobilitatis praerogativa, de legibus et ſtatutis, de opibus, militia, et viribus Poloniae, et bona et mala, aequa ſinceritate dixit, ea ad veritatem dicta ſunt omnia adeo, ut quamplurima et nunc vera ſint, et verendum ne omnia vera maneant in poſterum.

XIII. *Andreae Swiecicki deſcriptio topographica ducatus Maſoviae.* Haec topographia diligenter ſcripta, multa memoria digna continet, neque ullus eſt ſcriptorum topographicorum, qui melius quam *Swiecicki* de Maſovia ſcripſerit. Sed ita rara fuit editio typis exſcripta, ut nemo fere literatorum eam viderit, quae tandem in Bibliotheca Illuſtriſſimi ſupremi regni Mareſchalci, *Bielinſci* comitis, fuit inventa, et mecum gratioſe communicata.

XIV. *Regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, omniumque regionum, iuri Poloniae ſubiectarum, noviſſima deſcriptio, ſtudio Andreae Cellarii*, Gymnaſii Hornani rectoris. Auctor diligentiſſime omnia, quae variis ex auctoribus ad recte deſcribendam Poloniam facerent, conquiſivit, in ordinem redegit, digeſſitque, fontes etiam, ex quibus hauſerat, fideliter ſemper indicavit. Ideo *Andreae Cellarii* regni Poloniae

loniae deſcriptio, praecedentes omnes facile, et accuratione, et ſoliditate antecellit.

XV. *Polonia defenſa contra Ioannem Barclaium, ubi occaſione iſta de regno genteque Polona multa narrantur, hactenus literis non tradita.* Auctor huius libri elegantisſimi eſt *Lucas*, comes *Opalinski*, ex antiqua proſapia oriundus, qui fuit primum Succamerarius Poſnanienſis, deinde Mareſchalcus curiae regni, tempore regis *Ioannis Caſimiri.* Patrem habuit *Petrum Opalinium* Palatinum Poſnanienſem, matrem *Sophiam Koſtczankam, Chriſtophori Koſtkae,* praefecti *Biecenſis*, filiam. Doctisſimus fuit Poloniae Maecenas auctor noſter, variarum Europae linguarum, atque adeo graecae et hebraicae gnarus. Multas adoleſcens viſitavit Academias, et cum eruditisſimorum virorum, tum optimorum librorum accuratiorem acquiſivit notitiam. Sagax etiam fuit ac prudens miniſter, regi ſuo ſemper fidelis, mortuus anno 1662. Ex uxore *Iſabella Teczynska*, Ioannis Palatini Cracovienſis filia, progenuit filios, *Stanislaum*, gubernatorem novae civitatis, et *Ioannem* regni pocillatorem, filiamque unicam *Sophiam*, quae *Stanislao Lubomirski*, Mareſchalco regni, nupſit. Neminem certe poenitebit, et doctisſimum et eleganter latine ſcriptum hunc librum, qui multa et vera, et memoria digna in ſe continet, perlegiſſe.

XVI. *Caroli Ogerii iter Polonicum, ſive Boruſſicum.* Carolus Ogerius fuit Pariſiis cauſarum patronus in ſuprema curia, *Parlamentum* vocant; deinde legato Gallico, Comiti d'Avaux ab epiſtolis. Natus Pariſiis an. 1595. literis operam dedit *Biturigi* et *Valentiae* in Delphinatu. Ephemerides legationis domini ſui in Sueciam, Daniam, et Poloniam confecit, quae Lutetiae Pariſiorum apud *Petrum le Petit* anno 1656. prodierunt. Lectu dignisſimus utilisſimusque liber eſt, ſimulque rarisſimus, ex quo iter hoc Polonicum denuo typis exſcriptum.

*Ogerius* non magnopere curavit latinitatem, magisque res quam verba ponderans, haud eleganter ſcripſit latine; quod ei viro pragmatico, et Gallo iter facienti, facile quidem ignoſcendum. Neſcio vero utrum et hoc condonandum,

quod tam multa de itinere ſuo plane haud neceſſaria, atque adeo nugas, quibusdam in locis admiſcuerit, niſi forte pro domeſtico, ſuoque tantum uſu, ephemerides illas conſcripſit. Parum enim refert poſteros ſcire, quibus diebus literas ad fratrem amicosque in Galliam exararit, ſive ab iis acceperit, vel quo tempore e lecto ſurrexerit, atque ambulatum ſit exſpatiatus. Cui bono deinde fuit, Cirembergii hiſtoriolas, vel potius nugas, referre, ad quas credendas nullus unquam phyſicus verus inducetur, qui melius naturae leges cognoſcit, quam omnes eiusmodi fabularum narratores.

XVII. *De fluvio Memela Lithuaniae, qui cura et induſtria clariſſimi viri, domini Nicolai Tarlo, navibus permeabilis factus eſt.* Carmen elegiacum, auctore *Adamo Schroethero.*

XVIII. *Regni Poloniae Salinarum Wieliczienſium deſcriptio carmine elegiaco, auctore eodem.*

XIX. *De Salinis Cracovianis* obſervatio, *auctore Iodoco Willichio* Reſelliano. Haec ultima tria ſcripta eleganter ſatis latine exarata, quamvis ex profeſſo topographiam non tractent, ad rem tamen faciunt, variaque et ſcitu et lectu digna in ſe continent. — Haec de Tomo I. Mizlerus.

HISTOIRE DE JEAN SOBIESKI, ROI DE POLOGNE, Par M. L'Abbé COYER.

h. e.

*HISTORIA IOHANNIS SOBIESKY, REGIS POLONIARUM etc. Auctore Abbate COYER. T. I. et II.*

Amſtelaedami, Alph. 2. in 8.

Si quisquam magnorum regum memorari inter poſteros meruit, Ioannes is fuit, quem Poloni tertium numerant, gente Sobieſcius, virtutum claritate, et rerum geſtarum magnitudine, nullo illorum inferior, quos inter maxima exempla hiſtoria, veri teſtis, reponit. Quo iuſtior *Coyeri* Abbatis,

batis, ingenio et eruditione florentisſimi, laus eſt, quod eius vitam ſic compoſuit, ut inter ſcriptores illuſtriores facile ſibi locum vindicet. Impulſus maxime ad hunc conatum fuit, quod viri militaris, nomine *Dupontii*, natione Galli, caſtra Ioannis perpetuo ſecuti, commentarios nondum publicatos nactus erat, in quibus et quod viſa atque comperta per ſe ſcriptor narrat, et quod ab adulationis ſuſpicione tanquam exterus longisſime abeſt, eo maius operae pretium factum eſſe idonei arbitri cenſebunt, quo plura ſimul peritiae rerum et vigentis iudicii argumenta deprehendent. Sed, ne teſtium etiam domeſticorum ſpreviſſe fidem exiſtimaretur, *Andreae Chryſoſtomi Zaluſcii*, Epiſcopi, Senatoris, et magni Cancellarii Poloniae, epiſtolas, quas iure theſaurum rerum per iſta tempora geſtarum arcanorumque nobiliſſimi regni dicas, ubique conſuluit; et quia hae ſine adfectatione vel fuco, pro occaſionis varietate ad amicos ſolum, ad quos nihil fingi ſolet, ſcriptae ſunt, optime ſane caviſſe Coyerus credetur, ne ſe primum, deinde et poſteros, deciperet. Primus liber totam Poloniam ſummatim deſcriptam veluti in tabula exhibet. Multa hic videmus illuſtri ea brevitate, qua nihil in hiſtoriis dulcius, concludi, et interiectis tempeſtivis ſingularium rerum, perſonarum, eventorum conſiderationibus, concinna narratio ita diſtinguitur, ut voluptati legentium haud minus, quam notitiae gentis, quae facere ſcribenda, quam argute aliorum facta ſcribere, pluris ex maxima parte facit, conſulatur. Inſunt tamen, quantum antiquiora ad tempora attinet, nonnulla, quae ad artis criticae praecepta magis exacta optaſſes, quum Polonorum auctores vetuſtiſſimi e domeſticis qui ſuperſunt, antiquos ſcriptores Graecos et Latinos paucos legerint, lectis male plerumque uſi ſint, ne vicinae quidem Germaniae hiſtoricos, quos poſt Caroli M. imperium per ſingulas aetates nacti ſumus, requirendos putaverint, et ingenione, an confuſis maiorum narrationibus decepti, plurima tradiderint, quae idoneorum monumentorum fide deſtituantur. Haec ipſa vero particulatim notanda ut ſint, univerſitati operis, circa recen-

centiora ſatis exacti, parum offecerint. Originem Polonorum Coyerus, ut maxima pars ſcriptorum, a Sarmatis, quos iam Graeci et Romani celebrant, repetit, quos valde agreſtes, vagarique per ſilvas ac montes latrocinando adſuetos, et pedeſtres ad pugnas tam inhabiles, quam equitatu validos, occupare tanta terrarum ſpatia a Tanai ad Viſtulam, et a Ponto Euxino ad mare Balticum, et adiicere aliquamdiu ſuae ditioni Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam, Miſniam, terras Mecklenburgicas, Pomeranicas, Marchicas, potuiſſe miratur. Quis autem non viderit, omne ſic diſcrimen inter Slavos et Sarmatas tolli, et Polonis, tanquam integrae ſinceraeque ſemper genti, variorum populorum res adſignari? Meliora forte inquiſiverint, qui de Alanis, Gotthis, Hunnis, et Slavis, ſibi invicem in dominatu iſtarum regionum ſuccedentibus, prius inveſtigandum duxerint, quam definire audeant, quinam horum a reliquo ſuorum corpore avulſi, paullatim in unum nomen unamque rempublicam, inſtitutis Sarmaticis et Slavicis mixtam, conceſſerint. Lecho idem excultae gentis initia, origines principatus conſtituti, et triplicem ſucceſſorum Lechitarum, Piaſteorum, et Iagellonidum ſtirpem attribuit. Sed enim eſt hac in parte agnoſcere ſimilitudinem fabularum circa ultimas origines non Polonorum minus, quam Bohemorum, et Ruſſorum; quibus, quod diu a litteris et ab eruditione alieni, nihil domeſticorum annalium habuerunt, primi alienigenae ſacerdotes, omnium aliarum rerum potius, quam veteris hiſtoriae gnari, perſuadere ſua commenta poſt XI. demum ſaeculum rei Chriſtianae exactum coeperant. Qui legere Hartknochii, Bayeri, Belii patris, Mulleri, Lengnichii, et politiſſimi adeo viri Gelaſii, qui ad Hagecium nuper tam docte commentari inſtituit, lucubrationes voluerint, longe ad alia veſtigia veri certique deducentur; quamvis vel ſic, quantum reſtet novae induſtriae, optime noverimus. Tranſimus reliqua, quae ad eundem modum ſe habent, repetita e ſcriptoribus, quibus paullo ſupra aetatem eorum, ob ſilentium aut diſſenſum vetuſtiorum auctorum,

aegre

aegre ea credas, quae ſine teſtibus proferunt. Unde etiam, quae pro antiquiſſimis exemplis ante principatum Miecislai I. adferuntur, ſuo quaeque loco relinquemus, utcunque pro lectoris cuiusve captu probata vel aeſtimata fuerint. In ea quaeſtione, electione, an ſanguinis iure, principatus deferri conſueverit, antiquiſſimam hiſtoriam illi repugnare Coyerus cenſet, utiturque praeſertim exemplo Caſimiri I., quem, odio patris, et profeſſione vitae monaſticae inviſum, vix occupaturum fuiſſe ſolium ſtatuit, niſi generis ius valuiſſet. Putat ergo ſecunda demum, quam Piaſteam dicunt, ſtirpe finiente, electionis incunabula eſſe quaerenda. Sed longe firmiora ſunt tam *Hartknochii* Reip. Pol. l. I. c. II. §. 11. p. m. 59. ſq. quam *Lengnichii* Iur. Publ. Pol. l. II. c. II. § 3. p. 56. ſq., quorum ille ante Premyſlum II. neminem electione regni habenis potitum oſtendit, hic vero ne in tertia quidem Iagellonica ſtirpe, ſolis eligentium ſuffragiis, ſed ad Sigismundum Auguſtum uſque quodam ſucceſſionis titulo eſſe nixos reges evicit. Addit aliquid Coyerus de converſionibus regni, cuius ſumma poteſtas aliquoties duodecim belli ducibus, quos Voiebodas vocabant, commiſſa fuerit. Talia interregna memorat ante Cracum, ante Piaſtum, et aliquoties poſt hos. Quia autem fere unicos Polonorum domeſticos ſcriptores ſecutus eſt, quorum ante res Saeculi XI. non magna fuerit auctoritas, id ipſum, quod de duodecemvirali iſta poteſtate narratur, plurimum obſcuritatis et dubitationis habet. Eadem quoque cauſſa fuit, quod in rebus ducum vel regum explicandis ea omiſit, quae *Lengnichius* V. Ill. et ſcriptor florentiſſimus, in hiſtoria Polona, tanta ubertate ex hiſtoricis cuiusque aevi aequalibus collegit, atque externorum e copiis domeſtici fundi ſterilitatem ſupplevit, ut de Hartknochio et Hanckio, easdem iam antea vias ingreſſis, taceamus. Inde etiam factum eſt, ut Cromerum ſecutus auctorem, Boleslaum I. ab Ottone III. regem creatum ſcribat. Sed Cromero id perſuaſerant Kadlubeco, et, qui in hunc commentatus eſt, duobus et amplius Saeculis poſterior. Diadema nempe imperiale ei non ſine reveren-

verentia dum impoſuiſſe Ottonem referunt, indicare potius voluere in clientelam eum honorifice fuiſſe ſuſceptum, eodem ſymbolo, quo impoſitione pilei, de qua erudite Gruberus, de Weſtphalen, Lackmannus, Buderus, aliique exponunt, alii clientes in ſollemniore profeſſione fidei honorati ſunt. Sed praeſtiterit Vipponis, ſcriptoris aequalis, teſtimonium, qui ſub Conrado demum Salico, et hoc quidem invito, Boleslaum ſumſiſſe inſignia regalia et nomen regium prodidit; cui Lambertus Schafnaburgenſis, aliique a Lengnichio laudati, adſtipulantur. Sed nec meliore fide niti dixeris, quae de duodecim ducum Senatu, a Boleslao inſtituto, cuius deinde aliquoties in regibus poteſtate privandis auctoritas eminuerit, ex eodem Cromero ſumta ſunt. Sed ferri aut excuſari forte haec facilius potuiſſent, niſi haec ipſa Voiebodarum poteſtas, et reges abdicandi ius, tanquam in confeſſo eſſent, pro libertatis in hoc populo principio haberetur, et Boleslai II. expulſio, quem tamen alii ſponte e regno fugiſſe tradunt, eodem referretur. Nec enim defuerint, qui longe alias cauſſas in regno, quod tot diverſas nationes non una omnes formula in fidem paullatim receperit, quaerendas ſtatuerint. Neſcimus etiam, num ſine exceptione huic adſentiri effato liceat: „Il n'y avoit presque point de Souverains abſolus en Europe. Les Seigneurs en France, en Angleterre, en Suede, en Dannemarck, en Italie, en Sicile, reſſerroient l'autorité du Maitre dans des limites étroites." Non enim diverſa tantum tempora, ſed diſſimillima etiam contra potentiae vim remedia cogitanda putaremus. Longe autem magis ad rem pertinere exiſtimes, quod initium ſolutae poteſtatis regiae temporibus Ludovici Hungari adſignatur, ubi ea certe Coyerus ſcribit, quae cum fide hiſtoriae conſentiant. Idem iudicium eſſe poterit de pleriſque, quae reliquam libri I. partem abſolvunt. In quibus multa recte, vere, acute, diſerte, adde etiam nonnulla ſatis libere, dicta inveneris. Et quamquam de conſtitutione regni, amplitudine, forma regiminis, et ſimilibus, quaedam exactiora et uberiora exſtent in Cromero,

Hart-

Hartknochio, et Lengnichio; neminem tamen poenituerit, floridam Coyeri varietatem perluſtraſſe animo. Quod etiam nonnulli miraturi forſan ſint, quoties de religione agitur, tanta Coyeri aequitas vel fiducia eſt, ut ſuis partibus parum grata ſcribere nihil metuat. Ubi de Henrici Valeſii electione agens cauſſam attingit, ob quam libertati circa ſacrorum diverſitatem iureiurando interpoſito cavere coactus fuerit, adiicit, quum Henricus Cracoviam adveniſſet, ibi ſatis conſtitiſſe, fratrem eius Carolum IX. partem unam ſui populi ſicariis mactandam mandaſſe (venoit d'aſſaſſiner,) ut alteram converteret. Libere ſane hoc, ut nullus temere Mariana aut Scioppius probet. Quando de Primate Poloniae, qui eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis, mentionem facit, mira exempla colligit, quantum tota in Europa tragoediarum ſimilis poteſtas ſacris antiſtitibus commiſſa excitaverit, donec in multis regnis abolita fuerit. De nuntiorum, ſeu ablegatorum e provinciis, poteſtate intercedendi, et comitia ſolvendi, ſatis graviter iudicat, ſi quando aliquid boni ea peperit, longe ſaepius tamen malis multo maioribus cauſſam dediſſe. Quod vero remedii loco confoederationum nomine excogitatum ſit, dum augere potius, quam minuere turbas interdum poſſit, merito inter ea numerat, quae caſibus pareant. Iudiciis rerum privatarum in Polonia, tanquam incorruptis, et ſtrepitu et lucri aucupio, quo alibi infamantur, carentibus, magnas laudes impertit. Celebrat illud etiam, quod qui togae muneribus in pace praeſunt, ad bella tamen ſimul armati exeunt. Militiam Polonicam facunde et dilucide deſcribit Coyerus, ut tamen interdum paullo pleniora e Staravolſcio atque Hartknochio addere poſſis. Quia autem omnia Ioannis bella contra Turcos et Tataros Crimenſes geſta ſunt, de his quoque non praetereundum putavit. Tataros progeniem veterum Scytharum facit. Sed mirum eſt fatum horum vocabulorum. Quoties in antiquis ſcriptoribus Scythas nullo adiecto alio nomine legimus, neſcimus, de quanam gente proprie id capiendum ſit, quum plurimae, et omnes quidem ſepten-

trionales, ut iam Ephorus obſervarat, a Graecis ſic adpellatae fuerint. Inde tot diverſiſſimae originis populi, quoties a negligentibus hiſtoricis memorantur, Scythae nominantur, ut niſi regionum aut morum indiciis certi aliquid comprehenderis, neſcias, quos boreae ſubiectos iſti narrent. Idem plane nomini Tatarico accidit, quo inde a Sinarum imperio ad Cherſoneſum usque Cimmeriorum id fere hominum genus, quod vicinis potentioribus non accenſetur, hodie deſignari, qua iure, qua iniuria, videas. Et in Europa noſtra ſcriptores novelli vocabulum hoc Cherſonitis, ut proprium, indidere, ſecuri quinam Tatarorum per totam Aſiam ſuperſint. Cherſoneſum autem ſaepius dominos mutaſſe, donec immigrarant, qui vere Tatari, ſeu veterum Tonchari vel Tochari, vocabantur, ſatis conſtat. Quanquam autem hi a Calmuccica, ſeu Hunnica natione rurſus expulſi fuerint, manſit tamen Turcorum atque Perſarum conſuetudine regioni iſta adpellatio, ut Tataria diceretur, unde demum novi cultores Calmucci, paullatim a priſtinis ſordibus et belluina feritate in mores habitumque Turcorum verſi, ultro eam adſciverunt, quod origine erubeſcerent, quanquam in victu et corporum formis multa documenta durent. Vetuſtiora Aſiatica itineraria qui percurrerint, vera nos dicere comperient, et qui Tſchenchis Chagani, terroris quondam Aſiae, res, veris ex monumentis ſcrutati ſunt, plura docebunt. Ab hoc enim id nomen armis propagatum in tot regiones, quarum incolae, ut ex virtutis aemulatione, id ambitioſe adfectant. Veros autem et genuinos Tataros bene cognoverat Marcus Paullus Venetus. Poſſet autem longe maius lumen horum populorum rebus inferri, ſi exactior interpretatio Abul Chaſi Bahardur Chagani Hiſtoriae, quam quae Strahlenbergii et Scheuchzeri opera publicata eſt, exſtaret; qualem quidem olim confecit Kehrius, linguarum orientalium peritiſſimus, ſed quae Petropoli, in archiis illuſtris Scientiarum Academiae, ut relatum accepimus, latet, digna, quae prodeat in lucem ante, quam tineis aut blattis cedat. Recte

ſane

ſine fecit *Coyerus*, quod Tſchengis Chagani, ductu Tataros China, Perſia, atque India potitos, tam late ſuum extendiſſe nomen ſtatuit: ſed non omnes, qui in id exinde tranſiere, eiusdem originis ſunt, ſicuti hodierni Crimenſes, quos Calmuccorum, ſeu Hunnorum ab Ammiano, eorundemque Copher Althorech à Beniamine Tudelenſi deſcriptorum progeniem, aut conſanguineos certe, arguit ipſa Coyeri narratio de illorum forma, victu, et moribus.

Sequitur alia concinna notatio Turcorum, in qua plura cum monumentorum fide conſentiunt. Multa acute animadvertit auctor, quibus animi ad narrationes bellorum apte praeparentur. Valde probandum eſt, quod multa tribuit Cantemirii Hiſtoriae Ottomannicae, quamvis et in hac recentia melius, quam antiqua, tradantur. Comparatio vero Polonorum cum his plurimum ſalis et argutiae habet. Quae tamen ex hiſtoria in compendium redacta inde a Mieciſlao I. ad Sigismundum III. usque perſequitur, ad haud paullo adcuratius ſubductas Lengnichii Viri Ill. rationes exigi poterunt; quamvis imagines auctoris plurimum vigoris et venuſtatis habeant. Praeſtat omnino hic liber primus, ut multo alacriores ad lectionem reliquorum accedant, qui rerum Polonicarum nondum ſatis periti ſunt.

Altero tandem libro res Ioannis, privati adhuc, orditur; ubi maiores eius, avum maternum Stanisl. Zolkievium, tantum virtute militari, quantum ſingularibus fatis celebrem, avum paternum Marcum, et Iacobum patrem, Sobieſcios, laudat. De Marco tamen, Gedanenſium A. C. 1577. ad Dirſchaviam victore, referri quaedam mirati ſumus, nullo auctore laudato, quae ab aliis, iisque aequalibus ſcriptoribus, Io. Sborovio attribuuntur. Ioannem A. C. 1629. poſt Marcum fratrem natum, a patre Iacobo, rebus domi et militiae geſtis, obitis ſplendidis legationibus, et litteris atque artium amore generis nobilitatem illuſtrante, ſollicite educatum, et ad rerum maiorum meditationem inſtitutum, profectumque in Galliam cum fratre, ad capiendum ingenii cultum, ubi narrat, plura cito ſeſe prodentis indolis documenta

recenſet. In his eſt, quod inter cohortem cuſtodum corporis regis pedeſtrem aliquamdiu meruit, et praeter alia ſtudia linguas ſex addidicit. Relicta Gallia Conſtantinopolim tranſiit, ſpeculaturus aulam et ingenium populi, cuius arma patriae ſaepe infeſta eſſe norat. Inde, cum fratre peragrare Aſiam quum conſtituiſſet, praevalens rei bellicae ſtudium revocavit, quod Caſachorum rebellione turbari patriam audierat. Antequam vero reverteretur, mortuo patre, maiorem virtutis occaſionem relicto ab exemplo, quam ab hereditate opum, habuit.

Occaſionem horum tumultuum Coyerus facunde, ſed breviter, exponit, et in eo legem hiſtoriae bene obſervat, quod illatas genti foederatae et ſociae iniurias non diſſimulat. Initium tunc ſtipendiorum duobus Sobieſciis, Marco et Ioanni, hortante matre, ut ad abolendam Pilavicenſis cladis, Potoccii ductu acceptae, ignominiam, arma caperent. Ioannes Caſimirus exordio regni a bellis abhorrens, exprobrata ſuis crudelitate, conditionibus reconciliare defectores voluerat; ſed nobilitas ultro in expeditionem progreſſa ad Hypanim fluvium, Bogum hodie vocant, denuo poenas neglectae fidei dedit: atque eo in proelio Marcus Sobieſcius vulneratus, et inter captivos ad Tatarorum Chaganum, ſocium tunc Caſachorum, in catenis deductus et capite truncatus eſt. Hic varios eventus ſingulares mira ſuavitate auctor inſeruit, qui apud ipſum commodius, quam hic, legentur. Ubi tandem Caſimirus, procerum voluntate impulſus, ipſe arma induit, Ioannes Sobieſcius, in praefectura Iauorovienſi patri qui ſucceſſerat, lectam bello multitudinem eduxerat, et aliquoties re bene geſta tantum amoris in exercitu ſibi comparaverat, ut huius prope Zboroviam tumultuantis ſeditionem, poſt irritos Ducis Czarneccii conatus, ſua auctoritate compreſſerit. Ubi ſanitas rediit, aliquoties ibidem infeliciter congreſſi Caſachi, oblatam tandem a Rege pacem amplexi ſunt, et Sobieſcius, in praemium navatae in tanto diſcrimine operae, magni Signiferi dignitate auctus eſt.

Pax

Pax tamen Zborovienſis ingratiis primorum e nobilibus inita ne biennio quidem duraverat, quum Caſachi rurſus prope Bereſteſcum in aciem deſcenderunt, ſed a Polonis victi ſunt; ubi Ioannes in capite vulnus acceperat: quae vero in reliquo bello Caſachico patraverit, in commentariis, quos nactus erat, auctor non reperit. Quadriennio autem poſt, quum iam belli Suecici tempeſtas toti Poloniae incubuiſſet, Ioannes inter Elbingam et Marienburgum fortiſſimum facinus auſus, quadringentis equitibus manum hoſtilem ſexcentenariam, quae, agnato Caroli Guſtavi R. Suec. ductante, occurrerat, confecit. Nihil hac de re Puſendorfius, incertum, conſilio, an incuria. Ioannes Caſimirus regno exactus, et in Sileſia receptus, reparandis viribus dum conſilia agitat, commode Tataros a Ruſſorum ſocietate averterat, transductosque in partes Sobieſcio, cuius poſt Czarneccium virtutem maxime probabat, regendos dederat. Varia hic Ioannis fortia facinora produntur memoriae, de Suecorum copiis Lithuanicis in hibernis caeſis; de commeatibus Carolo Guſtavo inter Viſtulam atque Sanum averſis; de Duglaſſio, antequam regi iungeretur, caeſo; et plura alia, de quibus ſilentium Puſendorfii iure accuſes, ſi diſſimulaſſe potius ea, quam in ſuppeditatis inſtrumentis non reperiſſe ipſum, ſtatuas. In tridui etiam ad Varſaviam proeliis multum laudis Tataris, ducis Sobieſcii alacritate et vigore incitatis, tribuitur. Inde Ragotskii invaſio, et ignominioſa regreſſio, urgentibus Lubomirſcio et Sobieſcio, exponitur, additurque aliquid de Socinianis, ob ſocietatem partium illius proſcriptis, et ut foedere tandem Olivenſi pax coierit, manſiſſe hoſtes Poloniae Ruſſos atque Caſachos memoratur, contra quos ad Slobodiſſeam proſpere rem Ioannes, capto horum duce Chmilienſcio, geſſerat.

De Socinianis notabile eſt Coyeri iudicium, qui hanc ſectam hodieque omnium eſſe numeroſiſſimam cenſet, licet ſacris publicis et templis careat.

Aperiuntur hinc rerum maiorum occaſiones, Ioanni inter diſcrimina et turbas patriae oblatae, quas Ioannis Caſimiri praema-

praematura de ſucceſſore deſtinando conſilia concitaverant, regina praeſertim plus e republica uſurpante, quam Poloni concedendum putant. Ita, quum pro Henrico Iulio, Burbonio, Duce Angiennenſi, Magni Condaei filio, haec colligere ſuffragia niteretur, tam adverſam populi libertatem habuit, ut ad eam tutandam exercitus duce Lubomirſcio conſpiraret. Rex, qui ſuam violari maieſtatem ea coniuratione dictitaret, in Lubomirſcii proſcripti locum et dignitates Czarneccium ducem inferiorem exercitus, et Sobieſcium ſummum praefectum palatii, quem magnum Mareſchallum dicunt, ſubſtituit. Atque hoc quidem initium fortunae obſequentis Ioanni fuit, cui et intra annum defuncto Czarneccio militare ſecundi loci imperium acceſſerat. Poſt fruſtra tentatam eorum, qui defecerant, reconciliationem, ubi ad arma ventum, victus quidem a maioribus Lubomirſcii copiis Sobieſcius, quem rex temere ſuperare paludem iuſſerat; ſed tanta conſtantia et receptum ſuis expedierat, et paullo poſt res reſtituerat, ut adverſarius, pacta ſalute, ſe arbitrio regis tandem permitteret. Dilucidae et amoenae ſunt hae Coyeri narrationes, ut etiam rerum Polonicarum notitiae inſtruendae ſerviant.

Plura ſecuturis menſibus.

## DICTIONNAIRE GEOGRAPHIQUE, HISTORIQUE, ET POLITIQUE, DES GAULES ET DE LA FRANCE.

i. e.

*LEXICON GEOGRAPHICO-HISTORICO-POLITIcum Galliae et Franciae. Auctore EXPILLYO, Canonico Theſaurario Capituli Regii Sammarthani Taraſconenſis, Societ. Reg. Scient. et Human. Litter. Nanceianae adſcripto. TOMUS I.*

Pariſiis 1762. apud plures Librarios, pagg. 882. forma folii.

Saepius

Saepius mirati ſumus ſingulares viciſſitudines, quibus ipſa librorum ſcribendorum ratio a tot inde ſeculis obnoxia fuit. Nam profecto, cum omni tempore mores quidam inſtabiles et cito perituri, ab ingenio gentium, fatis earum, aliisque rebus pendentes, vitam hominum, ſocietates, victum, colloquia, veſtitum, prorſus rexerint; tum iisdem mutationibus doctorum hominum opera ſuccubuerunt, ut regnantibus ea aetate, qua quisque vixerant, opinionibus, et de pulchritudine utilitateque iudiciis, aliquanto diligentius conformarentur. Qua in re utrumque ſpectari cupimus: alterum, quod in argumento librorum ipſo deligendo fortuna quaedam vehementer mutabilis dominata ſit, adeo quidem, ut nunc nemo ad ſcribendum ſibi putaret accedendum eſſe, niſi qui Ariſtotelem aut Magiſtrum Sententiarum commentariis illuſtrare poſſet; nunc omnia controverſiis perſtreperent; nunc unice placeret hiſtoria, et magis etiam ficta quam verior: alterum, quod etiam forma et habitus quaſi exterior librorum penderet a guſtu ſeculi, ſatis quod conſtat varii, et nova, praeſertim iucunda, protinus arripientis. Atque huc pertinet ſane Francogallorum illud inſtitutum, tot frequentatum exemplis, ut omnem fere divinae humanaeque doctrinae ambitum Lexicis includerent, et quem natura rei linguis et vocabulis proprium eſſe voluiſſet ordinem, κατ' ἀλφάβητον diſſerendi, eum ad res ipſas, aptiſſimo inter ſe nexu coniunctas, transferrent. In quo gens ingenioſa, et in ſcribendo amoenitatem potiſſimum cum utendi opportunitate ſectata, videtur illa quidem compendium doctrinae omnis facilius cognoſcendae edere voluiſſe; neque tamen hoc unquam conſequetur, ut ex illa Lexicorum ſuorum bibliotheca vir vere doctus prodeat potius, quam diſertus, et diſputandi probabiliter de rebus plurimis peritus. Sed ut iniquitatis ſpeciem omnem effugiamus, ultro fatemur, in alphabetica illa ratione praeſidia quaedam memoriae non contemnenda ineſſe, eamque in illis praeſertim eruditae cognitionis partibus, quae ampliſſimos fines, vocum technicarum aliarumque ſingularium myriadas, et alius

Rr gene-

generis difficultates latiſſime ſparſas habent, ſine reprehenſione, imo etiam cum laude admitti poſſe. Quod valere inprimis de rebus chorographicis intelligunt Lectores: in quo genere ſciunt ſupereſſe ex antiquitate *Stephani de urbibus* opus alphabeticum, utilisſimum iuxta, et Auctores antiquos legentibus ipſa evolvendi facilitate commendatum.

Merito igitur grati ſuſcipimus magnum hoc Opus, quod non quidem cum ingenti illo *Martineriano*, iisdem quibus orbis terrarum finibus circumſcribitur, ſed accurata diligentia, et uſu inſigni atque certisſimo, praeferendum illi, noſtro quidem animo, fuerit. Francogalliam univerſam, qualis olim fuit, hodieque ſpectatur, ita deſcribit, ut *primum* quidquid ad *Geographiam* referri poteſt, provinciae, urbes, pagi, villae, fluvii, montes, cet. omnino omnes producantur, expoſitis memorandis eorum omnibus; *dein*, per occaſiones clararum regionum et urbium, neque minus arcium et agrorum, quae nobilisſimis regni familiis natales ſedes dederunt, *hiſtoriae Francicae* particulae innumerae tradantur et illuſtrentur; *denique* praecipua quaedam cura impendatur delineandae regni univerſi *politiae*, hoc eſt, non modo maioribus domus et aulae regiae officiis, provinciarum rectoribus, militum ſummis ducibus, et ordinis eccleſiaſtici anteſignanis, ſed etiam minoribus praefectis, tribunalibus, et iudiciis, quibus ſingulae urbes et διοικήσεις adminiſtrantur, copioſe et fideliter enarrandis; ut nihil adeo ſit ex *phyſica* et *civili* Galliarum forma repetendum, cuius hic liber non paratisſimus index dici posſit. Et veteris quidem geographiae partem inſignem explet *Galliae Tranſalpinae*, populorum eam incolentium, et metropolium eiusdem deſcriptio ſumma cura inſtituta, imo et earum gentium, quarum traduntur in eam irruptiones, ut Alanorum, Burgundionum, Cimbrorum, Francorum, Gothorum, Normannorum, cet. commemoratio ſingularis et copioſa. Francicae Monarchiae origines et ipſae, cum Regum omnium genealogia et concinna hiſtoria, ſubiunguntur. Viderat autem iam ante

hos

hos triginta annos non diſſimile huic opus Gallia, quod eadem forma maiore, tribus Voluminibus editum eſt, prae ſe ferens nomen *Lexici Franciae Univerſalis*, *(Dictionnaire Univerſel de la France)*. Verum illud neque in topographia perſequenda diligentiae ſatis oſtendit, et in adminiſtratione Galliae civili delineanda non minus ieiunum audit *Expillyo*.

Opus autem hoc omne ſperat quidem Noſter Sex Voluminum ambitu ſe comprehenſurum eſſe; ſed fallet eum, ſi quid videmus, haec fiducia. Nam cum hoc primum Volumen vere ſit *AlphaBeticum*, hoc eſt, priores duntaxat litteras duas complectatur, reliquae in anguſtias videntur coarctandae eſſe, niſi fuerint inter illas aliquanto ſteriliores. Quidquid ſit, dignum et hoc opus, etiamſi in plura Volumina excreverit, quod rerum Gallicarum curioſos teneat aſſidua lectione. Nunc autem et ſingulares quidam ac praecipui loci excerpendi videntur.

*Abbatia*. Obſervatur hic, Galliam 625 *Abbatias* monachorum *commendatarias (en commende)* habere, quarum praefectos Rex ipſe, virtute Concordati cum Leone X. initi, deſignet. Omnium autem Abbatiarum utriusque ſexus, (exceptis nobilium puellarum,) eo in regno, docetur reditus 9, 823, 100. libras gallicas efficere. Huic tantae pecuniae utrum parem ex inſtitutis illis utilitatem respublica capiat, non additur.

*Abbatis Villa*, *Abbavilla*, *Abacicovilla*, *(Abbeville)*. Ut ex uno deſcriptae urbis exemplo omnia diſcant lectores, ſciant haec de *Abbavilla* exponi. Primum, qua dignitate, quibus dicaſteriis et tribunalibus, aliisque inſtitutis politicis emineat in provincia ſua, Picardia, et, (ut cenſus familiarum, imo hominum quos alat, agi poſſit,) quot focos vel potius caminos habeat, (3641. *feux*). Poſtea de nomine, antiquitate, origine, et incrementis, viciſſitudinibus, ſitu, aere, partibus, ambitu, inſignibus, aedibus ſacris, monaſteriis huius urbis dicitur, ubi nec λείψανα, quae putantur, ſanctorum omittuntur, et clari ſcriptoris, *Claudii Verti (de*

 *Vert,)*

*Vert,)* quod is *Priorem conventualem* in hac urbe egit, mentio iniicitur. Enumerantur merces illic elaboratae, Magiſtratus civici, et aliorum praefectorum ac iudicum, in his et ducis militaris, iura et officia deſcribuntur. Adiicitur illuſtrium virorum ſuccincta notitia, qui *Abbevillam* patriam agnoſcunt; in quibus ſunt inprimis celebres geographi, *Nic. Sanſonus*, *Petrus Vallenſis (du Val,)* et *Philipp. Brietius.* Denique oſtenditur, quot milliaribus ab Ambiano diſtet, et qua via Pariſiis illuc perveniatur. Claudit omnem deſcriptionem catalogus omnium urbium, vicorum, et pagorum, qui praefecturae *Abbavillanae* parent, *(denombrement de l' Election d' Abbéville,)* et cum ipſa urbe parochias 186, focos ſeu familias 12, 758. continent.

*Aturus* fluvius apud Vaſcones, *(Adour,)* accurate quoad naturam et uſus ſuos deſcribitur —. *Agatha (Agde,)* vetus urbs Languedociae, in qua pauper *Capucinorum* familia aedes et hortos ea pulchritudine excellentes poſſidet, ut Antiſtes Ordinis *(le Genéral)* aliquando tranſiens exclamaret: *Eſtne vera domus S. Patris Franciſci?* Vox alio in ore pene haeretica! — *Agennum (Agen,)* urbs grandis et dives Aquitaniae, olim ſedes *Nitiobrigum;* patria *Ioſ. Iuſti Scaligeri*, et domicilium ac locus emortualis patris *Iulii Caeſaris Sc.* quorum adhuc domus ſarta conſervatur.

*Tributa* ſeu *Vectigalia*, vel *Salaria Tributa (Aides ou Aydes* et *Gabelles).* Horum origo, hiſtoria, percipiendorum modus et genera 39, cum aliis 20. in Normandia fere ſola uſitatis, enumerantur. Tum omnes provinciae, in quibus illa exiguntur, et conſtituta percipiendis illis collegia, *(bureaux,)* ſiſtuntur lectoribus. — De magno illo *Mich. Hoſpitalio* traduntur quaedam per occaſionem patriae eius, *Aquae Sparſae, (Aigueſperſes,)* urbeculae Arvernatis. — *Athanacum, (Aisny) nunc* abbatia dioeceſeos Lugdunenſis, olim templo nobilis, a LX. populis Galliae Auguſto conſecrato, et item ridiculis eloquentiae certaminibus, a Caligula illic inſtitutis. — *Aquae Sextiae (Aix)*, de quibus multa lectu digna memorantur; quo tamen non pertinent, quae

de

de imaginibus crucifixi Servatoris credule narrantur. Patria fuit haec urbs *C. A. Fabrotto*, *Io. Cabaſſutio*, *I. P. Turnefortio*, *Lud. Thomaſſino*, et aliis, quorum hoc loco vita traditur et ſcripta. De Senatu ſupremo eiusdem urbis, *(le Parlement d'Aix,)* accurate diſſeritur. Cum autem caput ſit Provinciae, *(de la Provence)*, multa hanc in univerſum ſpectantia ſubiungit Auctor, v. c. de pretio bonorum immobilium Provinciae, cuius annui productus dicuntur valere 38, 850, 000. libr. Gall. Dum *Alenconium (Alençon,)* Normandiae urbs, deſcribitur, Ducum eiusdem nominis hiſtoria exhibita eſt.

De *Alpibus* eo maxime conſilio dicitur, ut fines, quos Galliae et Sabaudiae praetexunt, in aprico collocari poſſint. Itaque etiam formula foederis, quod limitum definiendorum cauſſa Rex Chriſtianiſſimus cum Sardiniae Rege A. 1760. iniit, hoc loco inſerta legitur. — *Alſatiae* mox egregia deſcriptio ſequitur, cuius gubernatio, hiſtoria, aliaque plurima exponuntur. — *Ambaciae (Amboiſe)* memoranda enarrans, famoſae non ſolum, quae ab illa nomen habet, coniurationis, ſed etiam initii bellorum civilium, Seculo XVI. in Gallia geſtorum, et nominis *Hugonotarum*, meminit Auctor. Ubi quaedam reperimus corrigenda: non tam in etymologia eius quod diximus nominis, quam ſane *Thuanus* recte videtur ab Hugone rege deduxiſſe, licet dubius haereat in eo A., nec *Thuani* meminerit; quam quod dicit *de factione* quadam *Helvetarum*, cui nomen ſit *Eytdnotoz*. Nam et *Eydgenoſſen* ſcribenda eſt haec vox, et totius Helveticae reipublicae, non factionis alicuius, ſolenne et antiquiſſimum nomen eſt. Succedit locus ampliſſimus de *Ambiano (Amiens)* Picardiae Metropoli. — *Maris Praefecturae*, ſeu *Tribunalia*, *(Amirautés,)* quae ſint in Gallia, et quibus in urbibus conſtituta, qua poteſtate fruantur, cet. primum docetur ab Auctore, dein omnium praefectorum maris Francicorum nomina eduntur, cum anno fatali.

*Andegavum (Angers)*, et *Engoliſmam (Angouleſme,)* urbes nobiliores, excipit *Andegavenſium* Ducum hiſtoria, mox

*Antipolis (Antibes,)* patria Theologi clari, *Honor. Turnelii*; et *Apta*, urbs Provinciae, de qua varia ex antiquitate Romana memorantur. — *Aquitaniae* populi antiqui, Reges et Duces, enumerantur. — Voce *Archiepiſcopatus* et *Archiepiſcopi* deducitur Auctor ad eorum per Galliam florentium indicem contexendum, qui nobis inprimis placuit, cum ex eo Status Galliarum eccleſiaſticus brevi intuitu cognoſci poſſit. Archiepiſcopatus enim ad ordinem alphabeticum recenſentur ita, ut non modo ſitus, taxa, quae vocatur, Romam ſolvenda, reditus, et parochiae eorum, ſed ſimul etiam *Epiſcopatus*, qui illis *ſuffragantur*, eadem notitia ſitus cet. illuſtrati proponantur, nec *Abbatiarum* et *Capitulorum*, quae in utrisque ſita ſunt, mentio ſeponatur. Atque hinc patet, reditus Archiepp. et Epiſcopp. Galliae 4, 909, 000. libr. Gall. aeſtimandos eſſe, quibus ſi Abbatiarum, et Capitulorum, dein 40, 000. miniſtrorum Eccleſiae *(Curés,)* et ordinis denique Melitenſis in Gallia reditus addas, intelliges, Clerum Gallicanum frui 65, 861, 496. libris Gallicis. Divitiae regiae! —

In iis quae ſequuntur, *Arelatum (Arles)* ſuaviter nos occupavit; deinde *Arminiacenſis provincia (Armagnac)*, ubi multa repetuntur commode ex hiſtoria; et *Atrebatum (Arras)*, ubi inter alia dicitur de contentione urbis huius, pro defendenda libertate ſua a iure regio, quod nomine *la Regale* celebratur, qua in re urbs denique a. 1727. ſuccubuit. — *Res tormentaria*, ſeu *machinarum bellicarum cura in Galliis (Artillerie de France,)* ſuppeditat Catalogum eorum, qui huic parti rei militaris adhuc praefuerunt. Memorabiles etiam ſunt deſcriptiones *Arteſiae (l'Artois)*, *Conventuum publicorum (Aſſemblées)*, inprimis Cleri Gallicani, et Ordinum Provinciae *(Provence)*; *Avenionis item, (Avignon)*, in qua multum diligentiae ab Auctore conſumtum eſt; *Apocriſiariorum Regum Galliae, (Grands Aumoniers de France)*, quorum et omnium (65) nomina ſubiecta ſunt; *Abrincorum (Avranches,) Auguſtoduni (Autun)*, quae patria fuit illuſtris viri *Petri Ieanninii*, et aliorum, quorum hic vita

vita exhibetur; *Arverniae* denique (*Auvergne,*) et *Antiſſiodori* (*Auxerre*), e qua urbe prognatus erat ſcriptor clarus, *Iean le Beuf,* qui a. 1760. natus annos 74. obiit.

Pauciora ſuperaddimus ex ſecunda littera. De *Praefecturis* variis, quibus *Baillages* nomen, diſtincte traditur. *Barrenſis Ducatus* et *urbs* (*le Duché de Bar*, et *Bar-le-Duc,*) illuſtrantur quantum ſatis eſt. Sequuntur urbes clariores, *Baiocae* (*Bayeux*), et *Baiona* (*Bayonne*). Diligenter exponitur ſtatus *Benearniae* (*Bearn*) civilis, adiuncta huius provinciae hiſtoria. In deſcriptione *Belloquadae,* (*Beaucaire*), non pauca ex antiquitatis memoria depromta ſunt. Occurrit et nobiliſſima urbs, *Bellovacum* (*Beauvais*), multa oſtentans memoranda, et in his viros illuſtres intra ſua pomoeria natos, *I. F. Vaillantium*, *Adr. Bailletum*, alios. — *Calonеſus*, ſeu *Pulchra Inſula,* (*Belle-Isle,*) quae nupero bello inclaruit, *Biturigenſis provincia* (*Berry,*) *Veſontium* (*Beſançon*), quae inter alia decora Univerſitate litterarum gaudet, et Cardinali *Granvellae*, *I. I. Chiffletio*, et *I. I. Boiſſardo* natalis locus fuit, aliaeque urbes, ingenti numero minorum immiſtae ſunt. Nec tacendae *Bleſae* (*Blois,*) et omnium minime *Burdigala* (*Bourdeaux,*) in cuius deſcriptione legenda inprimis ſunt quae de Collegio Aquitanico, (*Collège de Guyenne*), illic per tot ſecula florente, narrantur. E reliqua ſerie nominandam maxime ducimus *Borbonenſem provinciam,* (*le Bourbonnois*), quippe cuius deſcriptioni inſerta legitur hiſtoria et genealogia Ducum omnium Borboniorum, atque adeo regiae familiae, quae Franciae thronum occupat. Pari ratione vox *Burgundiae* regnum (*Bourgogne,*) hiſtoriam eius et gubernandi modum hodiernum perſequitur quam copioſiſſime. In exitu fere huius Partis *Brivates* (*Breſt,*) et multo magis *Britannia minor* (*Brétagne,*) lectores detinent, ne iam in aliis haereamus.

Diſcedentes fere ab hoc libro bene ſatiatos revocat parumper Praefatio, quae paginis ſex abſolvitur. Ea enim, praeter monita de ratione perſcripti operis, in eo eſt ut oſtendat, Galliae regnum hodiernum multo eſſe populoſius, quam vulgo

vulgo credatur. Tradunt plerumque, numerum incolarum illius *ſedecim myriadas* non excedere: quod efficiunt ex cenſu focorum, *(feux)*, qui pro familiis ponuntur; quorum cum ſint *quatuor myriades*, in ſingulos referunt *homines quatuor*. Verum Noſtro videntur potius *quinque* aſſignandi eſſe ſingulis focis, imo nec paritatem calculi huius in omnibus Galliae provinciis admitti poſſe exiſtimat. Certe proportionem ſic ſtabilitam, ait, uſu ipſo refelli. Nam *Provinciam* v. c. nonniſi 3330. focos habere; unde ſi quis incolarum numerum colligere vellet, magnopere erraturum. Villis itaque et pagis in ſingulos focos *quatuor* aut *quinque* incolas tribui poſſe; urbibus autem maioribus et vicis etiam *ſex*. Itaque incolas Galliae ad *viginti myriades, et tercenta hominum millia* extollit, quo tamen ex numero Pariſienſes excluſi ſunt. Reſpondet poſtea illis, qui et bellis hoc Seculo geſtis a Gallis, et *luxuria*, quae *ſaevior armis incubuit* iisdem, magis debilitatam eſſe hanc gentem putant, quam ut ad tantam incolarum copiam aſſurrexiſſe hac aetate credi videatur poſſe. In quibus refellendis, fatemur enim, boni civis potius, et patriae ſtudioſi, quam veracis hiſtorici perſonam, Vir doctiſſimus ſuſtinuit.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
*publicata Lipſiæ*
*Calendis Iulii Anno MDCCLXII.*

## LES PLUS BEAUX MONUMENTS DE ROME ANCIENNE etc.

h. e.

*MONUMENTA ROMAE VETERIS PULCHERRIMA, ſeu Collectio praeſtantiſſimarum Antiquitatis Romanae, quae quidem hodie ſuperſunt, reliquiarum. Lineas duxit BARBALTUS (Barbaut) Pictor, Regis Chriſtianiſſimi olim ſtipendio fruens Romae. Excuſſae ſunt Tabulis CXXVIII. ex aere ductis, adiuncta earum explicatione.*

Romae 1761. apud Bucardum et Graverium, Librarios Francogallos, forma regia, paginis litteratis XC, et VIII. aliis in fronte operis, tabulis LXXIII.

Quam imperio et urbi ſuae aeternitatem gens olim Romana tot votis ſuſceptis precata eſt, eam cum per humanarum rerum inſtabiles vices parum conſequi potuerit, tamen vel ipſis admirandae magnitudinis ſuae reliquiis adepta quodammodo videtur. Facile enim vel praeſentibus illarum ſpectatoribus, vel quicunque litterarum et artium beneficio, ingentes has veluti umbras immenſi aedificii transferre ad orbis univerſi contemplationem inſtituerunt, fidem habemus, et intuendo agnoſcimus, nihil eſſe hodie ullibi terrarum, quod in magnificentiae elegantiaeque ſum-

 ma-

mae certamen audeat cum illa rerum quondam domina urbe deſcendere. Quamquam autem multorum Voluminum operibus dudum collecta fuerint et propoſita veneranda antiquitatis Romanae monumenta; tamen ſi qui ſunt qui adiuvare hominum doctorum in haec ſtudia, novae opportunitatis favore tributo aggrediantur, ut ecce ſplendidi huius Voluminis editores, gratias illis merito ampliſſimas decernimus. Nam primum noſtri non ſibi in infinitam Romanae vetuſtatis varietatem evagandum duxerunt, ſed unice propemodum in architecturae, artium ingenioſarum fere utiliſſimae, immortalibus operibus ſubſiſtendum. Horum quidem eas imagines effinxere pictor egregius, cuius nomen ſupra editum eſt, et qui aeri ſcienter item inſcripſit ab illo tradita, (*Montagu*), ut et inſpicientibus placere debeant plurimum, et deſumtae ab ipſis archetypis, fidem et auctoritatem praecipuam tueantur. Iam in deſcriptionibus adiiciendis neque ubertatis illius eruditae ſtudioſi fuerunt, quae aliorum commentarios ornat quidem, ſed eosdem minus parabiles efficit; nec paucorum verborum ſignificatione obſcuritatem contraxerunt: verum de ſingulis monumentis tantum dixerunt, quantum ad cognoſcendos eorum auctores, ſtructurae rationes, uſum, et formam omnem ſufficere poſſet amantibus artium lectoribus; non neglectis ſi quae cernuntur in illis, inſcriptionibus, operibus anaglypticis, aut ornamentis aliis; iis autem quae per coniecturam tradenda erant, ad veri ſimilitudinem quam proxime efformatis; laudatis denique non raro copioſioribus de rebus iisdem veterum ac recentiorum ſcriptorum, et e poſteriori quidem genere *Donati* maxime, *Nardini*, *Montefalconii*, *Ficoroni*, *Serlii*, *Piraneſi*, et aliorum locis. Sed principi generi ſuo, hoc eſt, architectonico, non modo picturae et ſculpturae veteris nobiliſſima quaedam opera addiderunt, ſed pleraſque omnino tabellas, nonnumquam et paginarum exitus, minoribus antiquitatis eruditae fragmentis exornarunt. Quod autem aiunt, primos ſe lingua Francogallorum huius ambitus collectionem molitos eſſe, libenter illis largimur; memores, praeclarum

rum *Degodeti* de aedificiis Romanis opus, non tam in figura eorum oſtendenda et explicanda, quam in dimenſionibus conſtituendis verſari.

Nunc, quoniam intereſt ſtudioſorum antiquitatis noſſe, quibus Romanae urbis monumentis Volumen illud ſuperbiat, brevem eorum contexemus Syllabum, pauciora delibaturi ex deſcriptionibus, cum de conſilio earum anguſtioribus finibus circumſcripto dixerimus. Hoc igitur ordine procedunt operis tam belli imagines. I. et II. *Pantheon*, hodie templum, cui nomen *la Rotonda*. Exhibetur autem illius et orthographia, et ichnographia, et accurate hiſtoria, formaque vetus et recentior exponitur. Subiecta eſt figura Hetruſca ex urna ſepulchrali, et alia non valde diſſimilis. III. Reliquiae *Templi Pacis*, cum fragmentis quibusdam minoribus. IV. Quaedam ex *Templo Veneris et Romae*, quod agnoſcunt Auctores in illo loco poſt *Nardinum* et *Donatum*, recteque *Piraneſum* oppugnant, aureae domus Neroniae veſtigia illic quaerentem, et alios. Addita ſunt anaglyptica quaedam ex zophoro templi *Palladis*. V. *Porticus Templi* ſeu *Baſilicae Antonini Pii*, nunc vectigalibus ex continente terra percipiendis aptata aedes, *(la Douane de terre.)* Templi veſtigia eſſe verius putant Auctores. Adiuncta eſt Muſae imago. VI. *Templum Antonini eiusdem et Fauſtinae*, in Foro olim Romano, quod nunc *Campo Vaccino* audit. VII. Reliquiae *Templi Iovis Statoris*. VIII. IX. Quaedam ex *Porticu Templi Concordiae*. Tabula VI. et VIII. etiam *Centauros* habent. X. *Columnae* nonnullae longe elegantiſſimae ex *Templo Iovis Tonantis*, in Capitolio. XI. *Templum Veſtae* in regione Circi maximi, nunc inter aedes Virginis *Θεοτόκου*. Eadem in Tabula ſpectatur pulchella novae nuptae, cui pedes unguntur, imago, et *Templum Fortunae Virilis*. XII. Veſtigia *Templi Palladis*, cuius in Zophoro, ſeparatim expreſſa, artes Palladis viſuntur. XIII. *Templum Minervae Medicae*. XIV. *Templum Veneris et Cupidinis*. XV. *Templum Dei Ridiculi*, inter Viam Latinam et Appiam, cum *Fonte Nymphae Egeriae*. XVI. *Arcus triumphalis Septim.*

Sept. XVII. *Arcus Titi*, exſtructus in memoriam ſubiugatae Iudaeae, et expugnatarum Hieroſolymarum; perfectus forte, ut noſtri opinantur, a *Traiano*. Accedit inſigne anaglyphum ſepulchrale, ut nos quidem interpretamur, in quo dolor ex morte coniugis vividiſſimus pingi videtur. XVIII. *Arcus triumphalis Conſtantini M.* conveniens artium Seculo Conſtantiniano imminutis honoribus; ſed cui impoſitae ſunt praeſtantiſſimae reliquiae *Arcus Traiani*. Adiungitur anaglyphum et ipſum ut putamus ſepulchrale, ex aula palatii Iuſtiniani, minime ſpernendum. XIX. *Arcus Druſi*, et *Centauri* duo, muſicis inſtrumentis ludentes. Non reiiciunt prorſus Auctores ſententiam eorum, qui arcum hunc aquaeductui alicui ornando inſerviiſſe exiſtimant. Nos tamen *Druſo* illum vindicare malumus. XX. *Arcus Gallieni* in monte Eſquilino. Adiicitur imago herois animam in campis Elyſiis agnoſcentis. XXI. *Arcus Iani* in Foro Boario. XXII. *Theatrum Marcelli*, cui nunc palatium Savellinum ſuperinſtructum eſt. Diſputant hic quaedam Auctores de proſcenio, pulpito et ſcena in Theatris veterum. XXIII. *Amphitheatri Flavii*, nunc *Coliſeum* (a *Coloſſo* Neronis) dicitur, admirabiles et ſtupendae reliquiae. Nihil illo ſolidius, inquiunt Auctores, ut videatur nonniſi cum orbe terrarum ipſo interiturum eſſe. Sed cum temporis iniuriae nihil adverſus illud valuerint, tanto plus ab hominum ſtulta deſtruendi libidine paſſum eſt. Subiicitur figura Hetruſca, inventa ſuper urna ſepulchrali. XXIV. *Eiusdem Amphitheatri pars interior*, ubi ex *Monteſalconio*, Antiqu. Explic. T. III. additur deſcriptio conformationis interioris Amphitheatrorum. Eadem tabula bigas et quadrigas ſiſtit in Circo procurrentes. XXV. *Amphitheatrum caſtrenſe*, cum *Ganymede* aquilae Iovis nectar praebente. XXVI. Primarius introitus *Circi Antonini Caracallae*, cum Provinciae ſupplicis imagine. XXVII. Pars *Fori Nervae*, nunc *l'Arco de Pantani* adpellant. Additur leonis imago vetus. XXVIII. *Columna Traiana*, cum *Obeliſcis* quinque 1.) ad S. Bartholom. in inſula; 2.) in horto Mediceo; 3.) in Campo Martio, quem e ruinis et te-

nebris

nebris in lucem reduxit Benedictus XIV. 4.) ante aedem Minervae; 5.) ad S. Ioh. Lateranenſem, quem Sixtus V. reſtituit. Dicitur etiam hoc loco de Foro Traiano, et de Obeliſcis in univerſum. XXIX. *Columna Antonini Pii.* Circumſtant 1.) *Columna* eidem dicata a M. Aurelio et L. Vero, nunc in terram proiecta, ſolaque baſi erecta per Benedictum XIV. 2.) *Obeliſcus* horti Barberiniani. 3.) *Obeliſcus* in horto Ludoviſiano repertus, terrae incubans. 4.) *Obeliſcus* prope aedem Mariae Maioris, ex Mauſoleo Auguſti, erectus cura Sixti V. 5.) *Obeliſcus* et fons ſaliens, opus Gregorii XIII. XXX. Hac tabula ſpectantur 1.) *Obeliſcus* horti Mattei in monte Coelio. 2.) *Obeliſcus* ad aedem D. Petri, olim in Circo Caligulae et Neronis, elevatus iubente Sixto V. Atque hoc loco acute obſervant Commentarii auctores, cum ad erigendum hunc obeliſcum clariſſimus ille *Fontana*, in loco adeo ſpatioſo, CXC. equis, DCCC. hominibus, tot machinis, et ſingulari aedificio ligneo opus habuerit, intuentibus octo columnas thermarum Diocletiani, et duas illas arcum navis in aede D. Pauli ſuſtinentes, multoque craſſiores hoc obeliſco, iudicandum eſſe, tenuiſſe veteres ſecretam aliquam rationem erigendorum ingentium eiusmodi operum in loco quamvis anguſtiore, quam aetas Sixti V. iam ignoraverit. 3.) *Columna*, ex ruinis templi Pacis protracta, et mandato Paulli V. ad introitum aedis Mariae maioris conſtituta. 4.) *Obeliſcus* ex Circo Caracallae, inſiſtens fonti pulcherrimo, in foro cui *Navonae* nomen haeret. 5.) *Obeliſcus* in aula palatii Barberiniani terrae iniectus. 6.) *Obeliſcus* Auguſti ex Circo maximo, erectus curante Sixto V. cui tantum debet Romana antiquitas, in foro Populi. XXXI. Pars *Pyramidis C. Ceſtii*, *Columna milliaria*, *Naucella*, ex marmore facta, et *Columna Roſtrata*. XXXII. *Porticus Octaviae*, ſororis Auguſti; ex ſententia quidem *Piraneſi* V. Cl. in Antiqu. Rom. lingua Hetruſca deſcriptis T. I. p. 13. Adiunctum eſt ſacrificium Cybeles in antro montis Idae. XXXIII. Reliquiae *Palatii Caeſarum* in monte Palatino, de cuius ſplendore veteri ex *Plancino*

(Bianchini) maxime hic diſſeritur. Adduntur anaglypha ex arcu Sept. Severi. XXXIV. et XXXV. *Thermarum Diocletiani* ichnographia accuratiſſima, earundemque ſuperſtites reliquiae. Ubi primum de thermis Romanorum generatim quaedam traduntur, et *Andr. Baccii* de thermis libri VII. commendantur. Deinde celeberrimae illae Diocletiani thermae, Chriſtianorum etiam multo ſanguine conſperſae deſcribuntur, partibus illarum omnibus copioſius, quam ſolent Auctores, enarratis. Adiecta eſt illuſtrationis cauſſa pictura in thermis Titi inventa, quae omnem thermarum veterum conformationem interiorem oſtendit. XXXVI. et XXXVII. Ichnographia et reliquiae *Thermarum Antonini Caracallae*, ad pedem montis Aventini. XXXVIII. Quae ſuperſunt ex *Thermis Titi* in monte Eſquilino. XXXIX. et XL. Reliquiae *Aquaeductus Claudii Caeſ.* quo aqua in Palatinum deferebatur. Praemittuntur quaedam de aquaeductibus Romanorum in univerſum, depromta ex *Monteſalconio*. Feliciter imitatus eſt hanc Romae veteris magnificam et generoſam pro commodis publicis curam Sixtus V. exſtructo in ruinis huius ipſius Aquaeductus Claudii novo, cui ab ipſo *Felicis* nomen tributum eſt. XLI. Pars *Aquaeductuum Neronis*. XLII. Reliquiae *templi Fauni*, in cuius locum ſucceſſit aedes D. Stephani rotundi. XLIII. *Aquae Marciae* in monte Eſquilino reliquiae. Ita quidem *Donatus* et *Nardinus* interpretantur; alii aliter, noſtri rem in medio relinquunt. XLIV. *Aqua Virgo.* Accedit ſcutum votivum columnae inſiſtens cum inſcriptione: *Votis X. et XX.* Indicat nempe cum figuris adiunctis expleta, quae P. Rom. pro Adriano Caeſ. fecerat, vota. XLV. *Moles Adriani*, nunc *S. Angeli Caſtellum*, cum ponte quo urbi iungitur. Ingentis monumenti, et olim ſplendidiſſimi amoeniſſimique, viciſſitudines et ſtatus hodiernus (*quantum diverſus ab illo!*) enarrantur diligenter. Notatur etiam faſtus Adriani et non abſimilis Auguſti, cuius etiam memoratur mauſoleum, in condendo tantorum ſumtuum ſepulchro. Quae adiicitur vulgata de angelo a Gregorio M. conſpecto fabula, eam

cre-

credulis lectoribus commendamus. Additur *Bacchus thyrſiger*. XLVI. *Pyramis* quae eadem Mauſoleum *C. Ceſtii*, muros urbis attingens. Camera ſepulchrales picturas habet, explicatu difficiliores. XLVII. *Sepulchrum Caeciliae Metellae*, nunc *Capo di Bove*; cum parte urnae, quae nunc in Palatio Farneſio ſpectatur. XLVIII. Reliquiae *ſepulchri Scipionum* in via Appia, cum opere quodam anaglyptico ex Palatio Iuſtinianeo. XLIX. Quae ſuperant ex *ſepulchro familiae Metellae*; adiecta figura Hetruſca ex urna ſepulchrali. Iam Roma *Venetias* migrant noſtri, indeque L. *Altare vel Tripoda Apollinis*, (altare Martis dicitur in ea urbe,) repetunt. *Bonannium* ſecuti Apollini vindicant hoc monumentum, neque nobis repugnantibus. Etiam altare quam tripoda dictum mallemus. LI. *Altare Bacchi*, indidem petitum, pari cum ſuperiore, hoc eſt triangulari figura, ornatum et ipſum varie, maximeque *Baccha bacchante* conſpicuum. Venetiis in *Herculanum* deflectunt Editores, et ex picturis illius elegantiſſimis LII. *Saltatrices*, LIII. *Centaurum* quem Baccha ducit, LIV. *Centauridem* lyra et cymbalo ludentem cum iuvene, oſtendunt. Sequuntur rurſus Romana monumenta, ut LV. *Hygea*, ſanitatis Dea, ex palatio Iuſtinianeo. LVI. *Iſis* cum ſiſtro. LVII. *Faunus*. LVIII. Anaglyphum in ſcala Capitolii, ſiſtens *Marc. Aurelium* in Tribunali libellos ſupplices recipientem. LIX. Anaglyphum aliud eiusdem loci, *Apotheoſin Fauſtinae* deſignans. Hanc Diana Lucifera, ſpectante M. Aurelio, e rogo in coelum portat. LX. *M. Aurelius* Germanos et Parthos in fidem recipiens. Ex ruinis theatri Marcelli, in palatio Orſinio. LXI. *Leo equum devorans*. Sculptura graeca ſummo artificio facta, in palatio Conſervatorum Capitolii ſpectanda. LXII. *Aper*, ut putamus, marmoreus; quem ſervat Muſeum Ducale Florentinum. LXIII. Eximia ſpecie anaglyphum, *Perſeum* cum *Andromeda* exhibens. LXIV. *Coniugii initia*, Iunone ſponſam uniente ſponſo, ex anaglypho. LXV. *Diana*, munus a venatore oblatum recipiens; adiuncto ſacrificio, cui nomen *Suovetaurilia*. LXVI. *Foemina ſtylo inſcribens globo*,

cum

cum pictura foeminae, quae novam nuptam praeceptis inſtruit. LXVII. *Matrimonii initia*, ex anaglypho. LXVIII. Familia *mortem filiae* deplorans, cum Tantalo, Siſypho, cet. LXIX. *Sacrificium*. LXX. *Puellae* per occaſionem nuptiarum ſaltantes. LXXI. *Bacchae* vario habitu. LXXII. *Meleagri mors*, ex anaglypho, cum *Parcis* vel *Fatis*, ſtipitem fatalem igni immittentibus. Ita certe interpretantur Noſtri; ſed nihil minus placere poteſt. Neque enim Parcae ſceleris illius reae ſunt, ſed *Althaea* potius ipſa, quam etiam ab illo patrando arcere conantur. Quae quidem recte docuit pridem *Begerus* noſter in libello Colon. Brandenburg. 1696. edito; *Meleagrides et Aetolia*. Claudit agmen LXXIII. *Veneris imago cum Tritonibus*. — Iucundo nos ſane ſpectaculo bearunt Editores, utilemque multis ad ſummam rei intelligendam navarunt operam. Sed quod ſaepiuſcule praeſtiterunt, mallemus in ſingulis monumentis ab iis factum, ut et unde illa petierint, et a quibus antea propoſita et illuſtrata eſſent, indicarent. Quamvis enim pleraque illorum in *Donato, Boiſſardo*, aliis, contemplatos nos eſſe meminerimus; praeſtabat tamen breviter locos eorum, qui non ſemper in promtu ſunt deſiderantibus, indicare, praeſertim cum inde a Tabula LV. explicationes addiderint omnino nullas. In omni reliqua operis parte nihil eſt, quod non laudibus condecorandum exiſtimemus.

## *THESAURI BRITANNICI PARS PRIMA, SEU Muſeum Numarium, complexum numos Graecos et Latinos omnis metalli et formae necdum editos, MARIAE THERESIAE Auguſtae honoribus ab interprete ALOYSIO COMITE CHRISTIANI, dum idem ſub Auguſtiſſimis auſpiciis in Collegio regio Thereſiano tentamen publicum ſubiret.*

Vindobonae excud. Georg. Ludov. Schulzius 1762. 1. Alph. 15. plag. et XXX. Tabb. aeneae, in forma quarta.

Maxi-

Maximum ſupremi Numinis donum eſſe, bona mente atque indole naſci, tota Philoſophorum ſchola pridem nec immerito docuit; ſed non parum hoc beneficium augeſcit, ſi occulti hi naturae theſauri, doctorum atque prudentum virorum opera expoliti, ad maturitatem ſuam rite pervenire poſſint. Illuſtriſſimus Comes *Chriſtiani* haec ſuo confirmat egregio exemplo, quippe qui non generis tantum nobilitate avita inter ſuos aequales, ſed ſolida etiam eruditione in republica litteraria inclareſcit. In primis enim adoleſcentiae in annis conſtitutus adhuc, *Nicol. Franciſ. Haymii* Theſaurum Britannicum, qui Italico et Anglico idiomate tantum conſcriptus erat, in gratiam eorum, qui has linguas minus callent, in latinam transferre adgreſſus eſt; neque nudum tantum egit interpretem, quod linguarum ſolum peritiae indicium eſſe poterat, ſed doctis etiam eundem notis et animadverſionibus auxit, etiamſi paucis. Addidit appendicem Graecorum numiſmatum, maximam partem ineditorum adhuc, de qua poſtea agemus. Totus liber Auguſtiſſimae Imperatrici *Mariae Thereſiae* inſcriptus eſt, cuius in ſe beneficia, non quae princeps ſubdito tantum, ſed quae mater filio ſolet impertiri, Illuſtriſſimus Comes ſubmiſſo et grato animo praedicat. De Tomo primo, qui modo in lucem emiſſus eſt, dabimus brevem notitiam, alterum enim ab eruditiſſimo editore huius exſpectamus adhuc. In ipſius Haymii operum deſcriptione brevioribus nobis eſſe licebit, cum olim in his *Actis anni MDCCXXII. Februario menſe pag. 49.* de prima huius Voluminis primi editione, quae Londini an. 1719. prodierat, fuerit dictum, et quid ſingulare prae aliis libris, ad rem numariam ſpectantibus habeat, indicatum. Hinc ſtatim ad notas, ab Illuſtriſſ. Comite paſſim Haymii verbis in infima charta ſubiectas, nos convertimus. Eſt haec omnium eruditorum, qui in antiquis monumentis, numis praeſertim edendis, ſuam operam collocant, fere communis conditio, ut in eorum explicatione nonnunquam a recto tramite, ingenii humani imbecillitate, in devia deflectant, adeoque aliis eruditis, vel magis perſpi-

cacibus, vel felicioribus, occaſionem dent, ſui quoque ingenii atque ſcientiae experiundi vires, ac ea vel ſupplendi, vel emendandi, quae ab ipſis vel omiſſa, vel perperam ſcripta ſunt. Idem Haymio accidit, qui, quum tam magnum veterum numorum numerum in Anglicanis muſeis detegeret, ut duo iisdem complere volumina potuerit, quamvis fere nullos, niſi ineditos antea, ſuo inſerere operi ſuſtinuerit, in interpretandis ſingulis eorum nonniſi breve ſpatium temporis impendere potuit. Hinc non mirandum, ſi doctiſſimo et laborioſiſſimo viro quaedam in tanta hiſtoriae antiquae caligine, et rerum tractandarum diverſitate, paſſim exciderint, quae aliorum eruditorum poſtea non tulerint calculos. Eam tamen ipſi gratiam debemus, quod ſuorum nummorum, rariſſimorum utplurimum, editione, aliorum ingenia excitavit, ut quae in Haymianis interpretationibus minus recte ſe habere, vel deeſſe videbantur, ſua induſtria poſtea ſupplerent. Idem in hiſce, de quibus agimus, notis plerumque factum, ubi partim Illuſtriſſimi editoris, partim aliorum eruditorum emendationes iam pridem factas, lector inveniet. Haud ingratum fore lectoribus noſtris credimus, ſi ex eisdem quaedam decerpta hic proferamus, unde et ſcientia in rebus antiquis, et feliciſſimum Auctoris earundem ingenium declarari poſſint, additis etiam noſtris, quae inter legendum enata ſunt, hypomnematibus.

Pag. 132. ab Illuſtriſſ. Comite Haymius iure notatur, quod e loco Plutarchi male intellecto probare voluerit, Agidis II. Lacedaemoniorum regis tempore, pecuniam aeream primum Spartae ſignatam fuiſſe. Ipſa Plutarchi verba in Lycurgo p. 58. edit. Francof. haec ſunt: Ἄγιδος δὲ βασιλεύοντος ἐισεῤῥύη νόμισμα πρῶτον ἐις τὴν Σπάρτην, *Agide regnante primum pecunia influxit in Spartam.* Nihil verius eſt eo, quod hic annotatum legimus, Plutarchum non de propria Lacedaemoniorum pecunia, ſed de aliunde allata loqui, cum qua ſimul avaritia, ſuperbia, et alia vitia, Spartanis, quamdiu Lycurgi legibus vivebant, omnino incognita, in urbem eam invehebantur. Res ita ſe habuit: Athenienſibus, poſt diuturnum ſeptem et

viginti

viginti annorum bellum, tandem a Lacedaemoniis eorumque ſociis devictis, ipſaque Athenarum urbe a Lyſandro fame expugnata, iſte ingentem vim pecuniae, qua Athenienſes potiſſimum, prae ceteris Graeciae populis multum abundaverant, iure belli captam, Lacedaemonem miſit in aerarium recondendam. Erat id Lycurgi legibus plane contrarium, qui in ea urbe nullam aliam pecuniam, quam e ferro conflatam, tolerare volebat. Hinc inter ſeniores Spartanos diu diſceptatum fuit, num hanc pecuniam miſſam admittere, an vero reiicere deberent? Sed praevaluit illorum tandem ſententia, qui hoc fortunae donum haud ſpernendum eſſe contenderent, licet nonnihil ab antiquis moribus deflectendum eſſet. De hac igitur pecunia, e captis Athenis Spartam adlata, Plutarchum loqui manifeſtum eſt, neutiquam de domeſtica ibi percuſſa: conferatur idem in *Lyſandro* p. 442. Sed Haymius hunc Scriptorem fugitivis tantum oculis, et forte tunc aliud agens, inſpexiſſe videtur. Ex his vero elucet, omnes Lacedaemoniorum numos, qui hodie in muſeis adſervantur, temporibus Agidis et belli Peloponneſiaci recentiores eſſe.

Pag. 197. in nota (ii) alius error, non quidem Haymii, ſed Comitis de Winchilſea, indicatur, qui in quodam Athenienſium nummo Aſpaſiae cuiuſdam caput inveniſſe ſibi viſus fuerat, quod tamen nullum aliud quam Minervae eſt: fruſtra autem ille Caninium in auxilium advocare oſtenditur, in cuius gemma quadam ſimili capiti nomen ΑϹΠΑϹΟΥ additum legitur. Verum Illuſtriſſim. Comes hic monet, nomen id in Caninii gemma artificis eſſe, idque ex duabus aliis, quarum altera a L. B. Stoſchio in libro *Gemmae antiquae caelatae n. 13.* eſt edita, altera in Dactyliotheca Perilluſtr. de France adſervatur, in quarum utraque ΑϹΠΑϹΙΟΥ diſtincte legitur. Sed non felicius auguratum eſſe Excellent. Comitem de Winchilſea exiſtimamus, in aliis Athenienſium numis interpretandis, quorum ectypa in hac ipſa Tab. XVIII. cernuntur, in qua nimirum ille capita Periclis, Themiſtoclis, Ariſtidis, et Cimonis videre ſibi viſus eſt, quae tamen Palladis galeatae potius

ſunt, quod in plerisque capilli circa collum defluentes, qui etiam in aliis cum huius deae capite ſignatis ſic viſuntur, ſatis indicant. Neque vultus ad virilem fere accedens, nos ab hac ſententia facile dimovere debet, ſi nullae graviores cauſſae adſint; notum enim eſt rude Athenienſium in numis ſignandis artificium, quod eruditi de urbe, quae certe omnium paene artium vel patria fuit, vel domicilium, pridem mirati ſunt. Antiquisſimi fere tantum, et quorum averſae partes cum tetragono ſignatae ſunt, ſuetam Graecorum elegantiam oſtendunt, et quam in artificibus eorum miramur delineandi artem, a qua illi numi multum recedunt, qui bello Peloponneſiaco recentiores eſſe iudicantur. Verum haec obiter tantum.

Pag. 170. num. 2. ab eodem Auctore numus alius Athenienſium profertur, (liceat enim nobis tantiſper ab annotatis illuſtriſſ. Comitis Chriſtiani deflectere,) vetuſtisſimus ſane et rarisſimus, in cuius parte anteriore capita viri et mulieris ita coniuncta ſunt, ut unum efficere videantur. Cecropis eſſe coniicitur, vetuſtisſimi regis Athenienſium, quem, quod matrimoniorum iura primus apud eos introduxerit, antea vagae adſuetos libidini, in huius rei memoriam ſempiternam grata poſteritas ſic effinxerit. In muliebris capitis parte, et quidem in medio vertice, cernitur cornu, ſatis eleganter a ſculptore typi efformatum; ſed quid ſignificare eo voluerit ambiguum eſt. Illuſtrisſimus poſſeſſor numi huius aerei, Comes de Winchilſea, id quidem regiae potentiae ſignum eſſe credidit, provocans ad Alexandri M. et aliorum eius ſucceſſorum exempla. Verum haec, noſtro quidem iudicio, ad numi explicationem, qui aliquot forte ſaecula Alexandri M. aetatem praeceſſit, parum facere videntur; praeſertim cum illud cornu non ſit taurinum, vel arietinum, uti in numis Alexandri, Lyſimachi, Seleuci Nicatoris, Antigoni Gonatae etc. talia comparent, ſed e crinibus complicatum, neque in virilis capitis parte, ſed in foemineo conſpicitur. Eſt igitur nihil aliud, quam ornamentum muliebre, capillis ita pulchre complicatis, ut ſpeciem aliquam cornu efficiant. Antiquisſimis iam tempo-

ribus

ribus hunc ornatum ad mundum muliebrem pertinuiſſe, ex Homero diſcimus; unde auctore Iul. Polluce *lib. II. ſegm. 31.* κεροπλάσται tales mulieres dicebantur, quae aliis in exornandis capitibus inſerviebant. Egit de hac re in Select. Numiſm. Graecis *Diſſert. II. de Numo Maronitar. p. 59. ſq.* Witzlebius A. M. quoniam vero hunc numum tunc non animadverterat, qui tamen etiam hac in re aliqua attentione omnino dignus eſt, hanc digreſſionem Lectoribus noſtris eo minus ingratam fore ſperamus, cum ad illuſtrandum hunc inſignem numum, aliosque tali cornuum ornamento conſpicuos, nonnihil conferat.

Pag. 265. Haymius numum argenteum Iuliae Domnae, Sept. Severi coniugis, protulit, in cuius parte anteriore caput illius viſitur: *Iulia Auguſta.* In av. mulier ſtans adverſo vultu, et dextra haſtam, ſiniſtra veſtem tenet: *Nobilitas.* Haymius credidit, hunc numum, qui ſubaeratus eſt, et hinc a falſario procul dubio factus, ſerio atque re bene deliberata cuſum fuiſſe, ad indicandam forte avitam huius mulieris nobilitatem, de cuius maioribus quasdam coniecturas in medium profert. Sed longe aliter Illuſtriſſ. Comiti videtur, qui partis averſae typum, Getae Caeſari proprium alias, ex negligentia monetarii cum matris capite coniunctum fuiſſe exiſtimat; qua in re ei adſentimur. Plura eius generis monetariorum ſphalmata in antiquis Romanorum numis paſſim deprehendimus, inprimis in illis Fauſtinae utriusque, quorum interdum partes averſae annis tribuniciae poteſtatis, Conſulatibus, et aliis maritorum notatae ſunt titulis. Quamvis enim Harduinus in *Hiſtor. Auguſta* arbitratur, tales numos ſtudio ſic eſſe ſignatos; veremur tamen ut eruditis ſententia talis placeat. Dum haec ſcribimus, numum argenteum Antonini Pii intuemur, in cuius anteriore parte caput Imperatoris laureatum eſt: *Antoninus Aug. Pius P. M. Tr. Co. IIII.* In av. caput Aurelii nudum: *Aurelius Caeſar Aug. Pii F. Coſ.* Certum eſt, in hoc numo, ceteroquin ſincero, *quartum* Antonini Conſulatum, vel erronee pro tertio ſcalptum eſſe, vel veterem Aurelii typum cum eiusdem primi Conſulatus nota

cum novo Antonini a monetario male fuiſſe coniunctum. Nam e Faſtis conſtat, A. V. C. 998. Antoninum Pium IV. et Aurelium Caeſ. II. Coſſ. proceſſiſſe. Haec vero ſunt, quae de hoc Tomo *primo*, et ei adſcriptis notis, lectoribus noſtris indicanda cenſuimus. Unicum tamen diſſimulare non poſſumus, nos valde miratos eſſe, in tam verboſo titulo huius libri nomen Haymii, primi auctoris, atque de humanioribus litteris hoc ipſo libro optime meriti, tanquam inutile et ſupervacaneum ſilentio praetermiſſum fuiſſe. Novimus quidem id etiam ab aliis factitatum: tamen non impune. Satis enim acerbis aliorum eruditorum cenſuris, nonnunquam neglecta defunctorum memoria, vel contemta, vindicata eſt. Sed quum de cauſſa huius omisſionis nobis nihil plane conſtet, ad aliorum eam iudicium remittimus.

Poſt Haymii librum alius ſequitur, minoris quidem molis, ſed neutiquam minori eruditione conſcriptus. Auctor integri huius tractatus eſt ipſe Illuſtrisſim. Comes Chriſtiani, cui ſequentem praefixit titulum:

Adpendicula ad Numiſmata Graeca populorum et urbium, a *Iacobo Geſnero* tabulis aeneis repraeſentata, opera et ſtudio *Aloyſii* Comitis *Chriſtiani*. Vindob. 1762. 10. plag. et duae Tabb. aen.

Continentur in hoc libro numi, quorum ſi unum vel alterum modo exceperis, nullus adhuc ab aliis eruditis eſt editus; ideoque neutiquam dubitamus, hoc Illuſtriſſ. Comitis munus eo gratius illis fore, qui, quantum hae priſtini aevi reliquiae ad hiſtoriam et Geographiam antiquam conferant expoliendam, probe habent perſpectum. Octo et viginti autem numos lectores hic invenient, in duas tabulas diſtributos, et accurate aeri inciſos; quilibet vero ſcalptus eſt ea magnitudine, qua ipſe numus eſt praeditus, nec a chalcographo ſingulorum elegantiam, typorum ruditatem, vel alios defectus, qui temporum diuturnitate et iniuria quibusdam acciderunt, neglectam videmus, quod nobis admodum placuit. In plerisque enim aliis ad rem numariam pertinentibus libris, numi vete-

res

res non ut ſunt, ſed ut eſſe optantur, eruditorum oculis exhibentur, vera eorum magnitudine et defectibus, quibus plurimi laborant, diſſimulatis. Quamvis vero tali iconum pulchritudine oculis lectorum gratum paretur ſpectaculum, tamen periti antiquitatum ſentiunt quid perdant; ſaepe enim pro rebus ideae illis obiiciuntur, in editorum cerebro natae, in ipſis autem numiſmatibus minime conſpicuae. Haymius quidem, quantum ad magnitudinem numorum abs ſe editorum attinet, hanc legem ſibi non dixit, ſed vulgares mores ſecutus eſt, plerorumque ectypa maiori modulo ſculpens, quam ipſi prototypi non ſunt, contentus veram magnitudinem litteris indicaſſe. Sed numorum defectus, quibus ſinguli laborant, et qui partim ſcalptorum negligentiae, partim temporum atque aeruginis edacitati adſcribendi ſunt, ſollicite indicare non neglexit; ut aliis eruditis integrum ſit, vel ſui quoque ingenii vires experiri, vel, quod magis tutum, et in rem litterariam utilius eſt, ex melius conſervato numo, ſi forte talem bona fortuna obtulerit, illos in edito defectus emendare. Accedamus nunc ad ipſum librum, ut quale ſit in iuvenili corpore adhuc ingenium et antiquitatum omnis generis peritia illuſtriſſimi Auctoris, certioribus indiciis patefiat. Numi ab ipſo hic editi *Ilgneriani muſei* in urbe Vindobona pars ſunt, unde ipſi eorum copiam fuiſſe factam in praefatione memorat. Omnes aliqua attentione digni ſunt, aeque ac ea, quae Illuſtriſſ. Comes ad ſingulos commentatus eſt. Nos pro more, qui in his Actis alias obſervari ſolet, de quibusdam tantum, qui nobis prae ceteris animadverſione digni viſi ſunt, dicemus.

Primus numus eſt parvus aereus Athenienſium, in cuius antica caput Palladis galeatum eſt. In av. Ceres ſeminuda, bigis draconum vecta, dextra protenſa ſpicas cum papavere, ſin. ſerpentum frena tenet: AΘH. vid. fig. 1. Numi huius aetatem ad vetuſtiſſima tempora non accedere, littera H pro E uſurpata facile prodit; nihilominus ob partis averſae typum minime vulgarem neutiquam contemnen-

temnendus eſt. In nullo Athenienſium numo adhuc edito, Ceres tali modo reperitur, quamvis ipſius caput ſpicis coronatum, in quibusdam ab Excellentiſſ. Comite de Winchilſea editis, in quodam alio etiam Triptolemus in curru, a duobus ſerpentibus tracto, inveniatur. Meurſius olim adfirmaverat, maiora Cereris ſacra tantum Eleuſine, minora autem Agris, loco haud procul Athenis diſſito, peracta fuiſſe; neque hanc ſententiam in dubium revocare aliis eruditis in animum venerat. Verum Illuſtriſſ. Comes ex Andocidis *Orat. de Myſteriis*, atque Pauſania *in Atticis*, probat, etiam Athenis locum fuiſſe Eleuſinium dictum, Cereri ſacrum; eundemque haud procul ab Acropoli abfuiſſe, argumentis non contemnendis adfirmat. Potuiſſet etiam Thucydidem teſtem adducere, qui *lib. II. de B. Pelopon. p. 112. edit. Henr. Steph.* huius Eleuſinii mentionem facit: dum fugam incolarum, e minoribus vicis et pagis, initio belli Athenas factam commemorat, et quomodo haec promiſcua turba, domiciliis deſtituta, omnia privata et publica loca occupaverit, nulla ratione ſacri vel profani habita, hoc tamen loco et quibusdam aliis exceptis. Verba eius ſunt: οἱ δὲ πολλοὶ τάτε ἔρημα τῆς πόλεως ᾤκησαν, καὶ τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἡρῶα πάντα, πλὴν τῆς ἀκροπόλεως, καὶ τοῦ ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΥ, καὶ εἴ τι ἄλλο βεβαίως κληιστὸν ἦν. *Multi vero vacua urbis loca inhabitarunt, et templa et heroum fana omnia, praeter arcem et ELEUSINIUM, et ſi quid aliud firmiter erat obſervatum.* Hinc vero concludit, maiora Cereris myſteria non minus Athenis, quam Eleuſine, celebrata fuiſſe, et varia veterum loca, ut Clementis Alexandrini in *Protreptico*, Pauſaniae, Suetonii *in Auguſto*, etc. eleganter explicat.

Pag. 28. Damaſtinorum numum profert. Refert is in parte anteriore caput Apollinis laureatum: in av. Tripus: ΔΑΜΑΣΤΙ - - -. Celeberr. Froelichius S. I. olim in Muſeo Caeſareo ſimilem numum produxerat, ſed mutilum, eundemque Damaſcenis in Syria attribuerat. Talia non raro ſummis etiam in eruditorum ordine viris ſolent accidere; quibus eo liberalius venia indulgenda eſt, cum numos minus

inte-

integros nanciſci non ingenii vitium ſit, ſed fortunae. Hunc igitur errorem beati viri, de re numaria et humanioribus litteris ceteroquin optime meriti, Auctor noſter emendat, et numum hunc Damaſtio, ignoto fere Epiri oppido, reſtituit. Obſcure eius ſitum Strabo lib. VII. indicat, cui in hac re eo facilius credimus, cum Apollinis caput et lyra, etiam in aliarum urbium huius regionis numis reperiantur, et ad Apollinem Actium, tantopere ab Epirotis cultum, procul dubio referri debeant. Ceterum mirandum eſt, tam paucos huius urbis numos hactenus comparuiſſe, cum tamen argentifodinas habuerit proprias.

Pag. 41. Thyreatarum numus exhibetur. In anteriore eius parte cernitur caput lupi. In av. columna, ad cuius dextram in area ſuperius pilei quaedam ſpecies, inferius lupi caput iterum; in ſiniſtro columnae latere eſt ⊗ quadratum, infra illud monogramma ex litteris A P et X compoſitum. Numus hic ad Thyream, antiquiſſimam urbem in Argolide, ab auctore illuſtr. refertur: qui licet aereus tantum ſit, nec magnitudine ſua conſpicuus, tamen nequaquam ſpernendus eſt, quod urbis huius propemodum oblitteratam memoriam denuo in lucem reducat, nec alius eiusdem adhuc ab eruditis indicatus fuerit. Haymius quidem alium produxit in hoc ipſo Tomo I. pag. 231. ſed eundem ad Thebas in Boeotia erronee retulit; verum hic utriusque verum natalitium ſolum docte ex antiquitatibus eruitur, et eruditis indicatur. Monogramma Argivorum nomen, non Achaeorum efficere, certiſſimum nobis videtur; hinc vero colligimus, aetatem numi in tale tempus incidere, quo huius oppidi poſſesſio penes Argivos fuit, idque vix alio tempore accidere potuit, quam poſt pugnam Leuctricam, qua a Thebanis, Epaminonda duce, Lacedaemoniorum res fractae ſunt, et quo ⊗ quadratum ab uſu nondum recesſiſſe ex Hermis Phocionis, Theophraſti Ereſii etc. apud Fulv. Urſinum, colligimus. Diu enim inter Argivos et Lacedaemonios de huius urbis imperio certatum eſt. Herodotus *in Clio p. 21. ſq. edit. Henr. Steph.* cruentum utriusque populi

proelium commemorat, quo Argivi victi ſunt, idque eo tempore accidiſſe ait, quo Croeſus, ultimus Lydorum rex, cum Sardibus in Cyri poteſtatem venit. Neque veriſimile videtur hiſtoriam eius aevi conſulentibus, ante dictam Thebanorum victoriam, Argivos unquam in poſſesſionem huius urbis iterum veniſſe.

Pag. 56. tres urbis Casſiopes numi producuntur, diverſis ſignati typis, e quibus duos priores tantum hic deſcribimus. In priore, qui argenteus eſt, caput Iovis laureatum viſitur, (non nudum, uti in libro ipſo legitur, quod forte ſphalma typographicum eſt; ſed numus aeri inciſus maiorem nobis fidem facere viſus eſt,) et nomen ΛΥΩΛΑΜΟΥ; Forte *Φιλοδαμου* in numo legendum? nam inſcriptio oculorum aciem primis litteris fugit; et nomen ſimile in numo quodam drachmali Dyrrachiorum legitur, quem ipſi posſidemus, unde in hac regione minime id ignotum fuiſſe conſtat. In av. Aquila inſiſtens fulmini intra lauream: ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. Duae huius nominis urbes praecipue notae ſunt, altera in Corcyra inſula, altera in continente Epiri, quae a Stephano Byzantino etiam Molosſica vocatur. Tertiam adhuc ad Pindum ſitam memorant, quae tamen obſcurioris famae fuit. Auctori viſum eſt, tam hunc, quam duos ſequentes aereos nummos, urbi in Epiro ſitae addicere. Caput Iovis Dodonaei eſſe putat, cuius templum et oraculum haud procul a Casſiope in Theſprotide erant, de quibus Pauſanias in *Atticis*, et alii agunt. Ad eundem in parte averſa aquila, intra coronam lauream fulmini inſiſtens, referendus.

Pag. 60. reliquorum duorum deſcriptio et explicatio eſt. Sunt iſti ex aere minimae magnitudinis. In prioris antica caput et muliebre, alta e floribus, vel frondibus arborum, contexta corona ornatum. In av. bos currens: ΚΑΣΣΩ — poſtremas enim litteras edax vetuſtas in aere abſumſit. Illuſtr. Comes arbitratur, in priore horum numiſmatum ſcalptorem typorum ad veterem quandam ceremoniam reſpexiſſe, qua ſtato tempore, ex Aeno urbe, haud procul a

Casſiope

Casſiope disſita, bos ad hanc deducebatur, virginibus Aenianis cum cantu et hymnis uſque ad Caſſopaeorum fines eundem comitantibus. Plutarchus in *Quaeſt. Graecis* de hoc ritu quaedam memoriae prodidit, ſed ita obſcure de eo loquitur, ut nobis non ſatis conſtet, quam ob cauſſam bos iſte ab Aenianis Casſiopen fuerit miſſus, aut ad quem uſum hi donum hoc deſtinaverint. Verum liceat nobis ingenue fateri, hanc huius numi interpretationem nimis videri ambiguam, quam ut ei noſtrum adſenſum posſimus praebere. Vix enim veri eſt ſimile, Casſiopenſes talem Aenianenſium ritum in ſuis numis ſcalpere voluiſſe, qui ad iſtos magis, quam ad ſe pertineret. Sed capitis ornatus ei fere eſt ſimilis, quem Liebius in *Gotha Nummar. p: 202.* et poſt eum Sigeb. Havercampus in *Diſſ. de veteri et varia litterar. apud Graecos ſcriptura*, in numo quodam antiquiſſimo Tyleſiorum Thraciae obſervarunt, et Iunonis eſſe ſuſpicati ſunt. Deinde bovis figura, in averſa parte, commode de regionis fertilitate, armentorum gregibus fecundisſimae, exponi poteſt. Noti enim Ovidii verſus *lib. VIII. Metamorph.* de apri Calydonii magnitudine canentis:

*Oeneos ultorem ſpreta per agros*
*Miſit aprum, quanto maiores herbida tauros*
*Non habet Epirus.*

Confirmant hanc noſtram coniecturam numi Corcyraeorum, Dyrrachiorum, et Apolloniatarum, ob eandem cauſſam vaccam cum lactente vitulo in maxima ſuorum numiſmatum parte exprimentium.

Pag. 74. eſt numus Sardianorum in Lydia. In parte anteriore conſpicitur caput muliebre, crinibus faſcia colligatis, et in ſummo vertice in nodum collectis, poſt tergum pharetra. In av. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Minerva galeata ſtans, d. victoriam, ſ. haſtam et ſcutum in terra poſitum tenet, addito nomine: ΠΟΛ — ΚΕΡΑΣ. Auctor ſubdubitat, an caput hoc vere Dianae ſit: pharetram potius, quae poſt humeros prominet, ſceptrum eſſe credit. Verum nulla dubitandi cauſſa nobis adeſſe videtur: ſic enim fere, uti hic, in

numo gentis Poſtumiae, *Tab. 2. n. 2. ap. Fulv. Urſinum* in cuius av. canis venaticus eſt: *C. Poſtumi*, et infra AT iunctis monogrammate litteris viſitur, ſola faſcia, quae deeſt, excepta. Simili modo in quibusdam Macedonum et Maſſilienſium nummis, ut et in eo quem ipſe A. in hac *Tab. II. n. 2.* Megarenſium protulit, pharetram poſt humeros deae cum operculo ſuo prominentem invenimus. De faſcia, qua caput deae circumligatum eſt, quod Auctor diadema eſſe opinatur, pariter actum eſt in ſupra allegata Diſſertatione Lipſica *de Numo Maronitar. p. 55. in not.* eamque nihil aliud eſſe evictum, quam ligamen ad crines coercendos mulieribus uſitatum; ut adeo non opus ſit cum Spanhemio iſtis tantum deabus id tribuere, quae reginae ab antiquis ſcriptoribus, poetis praeſertim, nonnunquam vocentur. Alia plura, quae per integrum libellum docte obſervata invenimus, nolumus huc, brevitatis ratione habita, tranſſcribere, ſed ad ipſum potius, ſane eleganter compoſitum, lectores remittimus.

Antequam vero noſtrae ſcriptioni finem imponimus, quaedam adhuc de tribus numis dicenda ſunt, quos tanquam ignotos, et nimia obſcuritate involutos, Illuſtriſſimus Comes in *Tab. II. n. 8. 9. et 10.* ab artifice in aere delineatos eruditorum oculis expoſuit. Rogat eosdem, ut, ſi quae habeant, quae ad horum numorum explicationem aliquid videantur conferre, id intervenientibus litteris ſecum communicare haud graventur. Quae nobis, eorum ectypa, intuentibus, in mentem venerunt, hic dabimus, aliis loco libenter ceſſuri, qui pinguiores dapes forte adlaturi ſunt. In primo numo caput iuvenile eſt, coma cornuum inſtar iuxta tempora contorta, et inſolito capitis tegmine tectum. In av. columna, ad cuius dextrum latus tridens, ad ſiniſtrum navis, et litterae, ſupra tridentem Π, infra autem, ΦΑ, in latere ſiniſtro, ſupra navem AM, infra eam ΗΣ. Iſtae litterae in diverſis partis averſae locis a monetario diſpoſitae, cauſſa fuiſſe videntur, omnis in eo numiſmate agnoſcendo difficultatis. Numus eſt Ambraciotarum, uti id litterae AM clare indicant; ceterae autem tria diverſa nomina

mina virorum, magiſtratum quendam, vel aliud publicum munus gerentium, conſtituere videntur. Signa in parte averſa ſcalpta omnia huic urbi apprime conveniunt, et in aliis eiusdem numis apud Goltzium reperiuntur. Columna, quam Illuſtriſſ. Comes pharetram eſſe opinatus eſt, metam interpretantur, tam in Ambraciotarum numis, quam illis qui communi Epirotarum nomine ſignati ſunt ap. Harduinum de *Numis Populor. et Urb.* et ad ludos Apollinares referunt; tridens et navis autem, urbis maritimae, qualis Ambracia erat, indicia eſſe ſolent. Sed maiori obſcuritate pars anterior numi huius laborat; merito enim dubitamus cuiusnam caput illud ſit, quod in eo cernimus. Conditoris urbis Ambraciae eſſe exiſtimamus; ſed quis ille, et quo nomine fuerit appellatus, dicere haud proclive eſt. Nota enim eſt hac in re veterum ſcriptorum ambiguitas, modo ab Ambrace, Theſproti filio, eius urbis origines et appellationem arceſſentium, vid. Stephanus Byzantinus et Euſtathius *ad Dionyſ. Perieget. p. 80. edit. Rob. Stephani;* modo Gorgonem, Cypſeli Corinthii filium, conditorem praedicantium, vid. Scymnus Chius et Strabo: licet enim hic *lib. VII.* eundem Tolgum nominet, *libro X.* tamen alicuius Gorgaſi Corinthii pariter facit mentionem, ceu conditoris Ambraciae, quem eundem eſſe cum ſupradicto Gorgone opinamur. Si in tanta obſcuritate aliquid coniecturis dare licet, crediderimus Cypſeli filium, ſive ille Gorgon, ſive Gorgaſus fuerit appellatus, ab artifice typi hic repraeſentatum eſſe; ſemper enim haec urbs origine ſua Corinthiaca gloriata eſt, ut paſſim e Thucydidis hiſtoria diſcimus, et plurimi numi cum Pegaſo Corinthiorum, et monogrammate e litteris KOP compoſito, ab Ambraciotis percuſſi, id clare demonſtrant. Accedit crinium accuratior plicatura, in cornuum ſpeciem circa tempora facta, qualis alias mulieribus erat propria; nihilominus tamen etiam iuvenes, delicatiori praeſertim vitae genere educati, hunc virginum atque mulierum ornatum nonnunquam imitabantur: quale crinium ſtudium nimis faſtidioſum Diomedes Paridi exprobrat apud Homerum

Iliad. λ. v. 385. idque cum mollioribus Corinthiorum moribus non male videtur convenire.

Alter numus in parte anteriore oſtendit proram navis. In av. intra coronam lauream monogramma eſt, e litteris ΠΥ compoſitum. Nulli fere dubitamus, quin hic exiguae molis numus aereus ad Pylum, Meſſeniae urbem, ſit referendus. Iſta olim tam regia Neſtoris ſede, quam clade Lacedaemoniorum, quam in bello Peloponneſiaco ab Athenienſibus hic acceperunt, nobilis facta eſt. Erat urbs maritima, portu inſtructa, cuius ſitum, praeter Geographos veteres, Thucydides *lib. IV. p. 253. edit. Henr. Stephani* deſcribit. Hinc etiam anterioris partis explicatio arceſſenda eſt. Nihil enim frequentius navium figuris in numis urbium mari adiacentium et portum habentium, quemadmodum ad numum praecedentem iam diximus. Neque noſtram opinionem valde turbat, quod alii oppidi huius numorum typi, qui in Geſneri et aliorum libris inveniuntur, ab illis numi huius nimis diſcrepent: idem enim in aliarum urbium numis ſatis frequenter accidere, eruditis haud ignotum eſt, et probant tres Caſſopaeorum numi, ab Illuſtriſſimo Comite in hac Appendice primum vulgati, qui, unius licet urbis, typis tamen maxime inter ſe diverſis conſpicui ſunt.

Accedimus ad tertium numum, cuius quidem explicationem dare iam non poſſumus, ſed, quae de eodem in mentem venerint, coniecturas tantum exponemus. In anteriore parte caput Iovis laureatum et barbatum eſt. In av. equus currens, ſupra cuius dorſum IA, infra ventrem vero TEP. Nihil certius eſt, quam quod Illuſtriſſ. Comes de Liebii *in Gotha Nummar. p. 178.* explicatione, ſimilem fere numum ad Cephaleniam inſulam referentis, iam dixit, illam ſcilicet a veritate nimium eſſe alienam. Cum enim in Gothano numo Liebius litteras KE conſpexiſſet, easdem pro initialibus nominis urbis alicuius aut regionis habens, illud inſulae ſupra dictae indicari opinatus eſt. Praeterea Iulii Pollucis *lib. IX. c. 6.* auctoritate fretus, qui in Cephalenio-

leniorum numis equum fuiſſe ſignatum, diſerte teſtatur, ſuam ſententiam erroneam eſſe minime ſuſpicatus eſt. Licet autem hoc verum eſſe potuerit; tamen non illico nummus aliquis cum equi effigie ad hanc inſulam referendus eſt, cum fere in pluribus diverſarum regionum et urbium, Siculorum praeſertim, numis, idem typus ſit obvius. Eruditiſſimus vero Auctor obſervavit, litteras ſuper equi dorſum non ſemper easdem, ſed in diverſis numis etiam diverſas eſſe. Loco enim KE, quod in Gothano numo Liebius deprehenderat, in Ilgneriano IA, et in alio Granelliano collegii Academici Soc. Ieſu IE conſpicitur. Inde recte concludit A. ad nomen urbis inveſtigandum, quae numum curavit percuti, has litteras eſſe inutiles, et aliud quid potius, quicquid etiam illud ſit, indicare; ſed quae infra equum in omnibus his numis eaedem compareant, forte rectius huc pertinere. Haec cuncta quidem facile ei concedimus: ad Terinam vero Bruttiorum urbem eosdem referendos eſſe, quam coniecturam obiter tantum attulit, nobis veriſimile non videtur; partim ob typorum nimiam diverſitatem, partim artificii, quod admodum inſigne in Terinaeorum numis obſervavimus, praeſtantiam, quae in his Chriſtiani Comitis mediocris eſſe videtur. Quid ſi ad Terbetiam, Siciliae urbem, numi hi pertineant, cuius Stephanus mentionem facit, cetera valde obſcuram: non litterae initiales tantum, ſed equus etiam, quorum animalium Sicilia valde erat ferax, ad hanc nos coniecturam impellunt. Sed alius Oedipus, nos coniecturam damus, hanc obſcuritatem diſpellat.

Tandem ad finem libri huius adiectus eſt alius adhuc libellus, cui ſequens eſt titulus: *Materia tentaminis publici, quod in Collegio regio Thereſiano ex anni huius ſcholaſtici praelectionibus, quovis cui libuerit periclitante, ſubibit Illuſtriſſimus Dominus Comes ALOYSIUS CHRISTIANI, Philoſophiae, Matheſeos, et Hiſtoriae in ſecundum annum auditor.* Vindobonae 1762. plag. 4. In hoc ſcripto magnus theſium numerus continetur e Phyſica, Aſtronomia phyſica, Perſpectiva, Geographia, Chronologia, Architectura civili et militari,

et

et denique ex Hiſtoria. Omnia haec abunde produnt, qualem curſum Illuſtriſſ. Comes in ſcientiis et artibus liberalibus adhuc tenuerit, cui vitam et incolumitatem diuturnam apprecamur, cum non dubitemus, humaniores litteras poſt tales primitias maiora incrementa adhuc ab illius politiſſimo ingenio aliquando exſpectare poſſe.

*KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE, in quibus tum ex vetuſtis marmoribus, tum ex codicibus, tabulis, parietinis pictis, ſcriptis, ſcalptisve, ſanctorum nomina, imagines, et feſti per annum dies Eccleſiarum Orientis et Occidentis, praemiſſis uniuscuiusque Eccleſiae originibus, recenſentur, deſcribuntur, notisque illuſtrantur, ſtudio et opera IOSEPHI SIMONII ASSEMANI, Bibliothecae Vaticanae Praefecti, et Sacroſanctae Baſilicae Principis Apoſtolorum de Urbe Canonici. TOMUS SECUNDUS. Kalendaria Eccleſiae Slavicae, ſive Graeco-Moſchae.*

Romae 1755. ſumtibus Fauſti Amidei, bibliopolae in via curſus, pagg. 391. quaternis.

Redeundum nobis tandem eſt ad hoc Opus, de cuius Parte prima, in his Actis A. 1754. pag. 385. ſqq. diximus, Neque nos hodie poenitet iudicii illius, quo illud tum proſecuti ſumus. Eſt enim opus doctrinae profecto plurimae, et hiſtoriae antiquiori, cum ſacrae illi, tum profanae illuſtrandae, peridoneum; ſed idem, hoc ipſo in campos ampliſſimos, nec ſatis ſuos, deflexu moleſtius, et minima ſui parte attingens argumentum, quod in indice proponitur, palmarium. Verum eorum, quae diximus, fidem aptiſſime fecerimus, oblata lectoribus huius quoque Tomi quadam σκιαγραφίᾳ.

Tributus eſt in *Partes duas*, quarum *altera* Origines Eccleſiaſticas Slavorum, Bulgarorum, et Ruſſorum inveſtigat; *altera* de Ruſſis, Bulgaris, et Moravis inſcripta eſt: ut adeo ex

ex his ſolis verbis parum, de quibus illa rebus tradat, capias. Expoſuerat autem in ſecunda Primi Libri Parte Ven. Auctor origines resque geſtas Slavorum et Hunnorum, tum in Scythia et Sarmatia, hoc eſt, in patriis ſedibus, tum etiam in iis, in quas migrarant, regionibus, Germania nimirum, Pannonia, Thracia, Illyrico, et Dalmatia, usque ad Heraclii imperium. Nunc igitur, ut ipſum Slavicae hiſtoriae corpus integrum repraeſentet, ad ſequuta tempora progreſſus, *Capite I.* Slavos, et Abares Hunnos, ſub regibus Francorum, usque ad Caroli M. tempora ſiſtit. Atque hoc loco docet copioſis ſcriptorum veterum teſtimoniis, Hunnos Abares Hungariam invaſiſſe temporibus Sigeberti, Francorum Regis, bis cum Francis conflixiſſe, demum compoſuiſſe pacem; a Brunichilde regina, acceptis muneribus, e Thuringia, in quam excurrerant, in Pannoniam reverſos eſſe; Slavos et Abares a Dagoberto rege intra ſuos limites compulſos fuiſſe; Slavos Winidos in Hunnos Abares conſpiraſſe, eosque ſuperaſſe, conſtituiſſe ſibi regem, Samonem, natione Francum; adverſus hunc moviſſe quidem Dagobertum exercitum, ex Alemannis, Langobardis, et Auſtraſiis conflatum, ſed ex his Auſtraſios profligatos fuiſſe, reliquos victores; Bulgaros ab Hunnis Abaribus e Pannonia expulſos, in Baioariam ſe recepiſſe, ubi omnes ad unum, iuſſu Dagoberti, interfecti fuerint; Saxones Dagoberto regi promiſiſſe, ſe Francorum limitem ab Hunnis Abaribus defenſuros eſſe, ſi tributo levarentur; quo facto cum promiſſa nihilo minus exſequerentur, Sigeberto filio Auſtraſiis rege impoſito, Dagobertum Slavorum incurſionibus occurriſſe; Slavos, Hunnos Abares, Winidos et Gothos, origine et lingua differre, etſi commiſta eorum nomina apud ſcriptores legantur; Slavos item Winidos ab aliis Slavis, quibus Baianus Hunnorum Abarum rex imperaverit, differre; Maranam apud Venetos Schiſmaticorum Epiſcoporum Synodum, (A. C. 590.) apud Mauricium Imper. egiſſe, ne Francorum Epiſcopi in terras Hunnorum et Slavorum Epiſcopos mitterent, aut illic conſecrarent; S. Columbanum ad Wi-

 nidos

nidos Slavos proficiſci cogitaſſe, ut illos Chriſtiana fide imbueret, ab Angelo tamen (ita fide ſine dubio digniſſimus vitae eius ſcriptor Ionas) intellexiſſe, nondum adveniſſe opportunum converſionis eorum tempus; ſed Euſtaſium, Columbani diſcipulum, Boios nonnullos convertiſſe; Rupertum, Iuvavienſem Epiſcopum, plenius per Bavariam fidem diſſeminaſſe; S. Amandum ad Slavos penetraſſe; paucos autem Slavos ſub Dagoberto Chriſtianam fidem amplexos eſſe. Adduntur his animadverſiones in ea, quae de Slavis Winidis in vita S. Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis narrantur: ac praeſertim de Samone, Slavorum rege, deque primis Carinthiae ducibus. Deinde epitome Chronici Slavorum ab *Helmoldo*, Presbytero Buzovienſi, conſcripti, circa fidem Chriſtianam a Slavis Venedis ſuſceptam temporibus Caroli M. ſubiungitur. Neque iſtud omittit Auctor, Reges Winidorum Slavorum Pipino, Francorum regi, opem adverſus Saxones rebellantes tuliſſe.

Tum *Capite II.* Slavos et Abares Hunnos, quales Caroli M. aetate fuerint, deſcribit. Eſt autem haec rerum ab iis eo tempore geſtarum ſumma. Slavorum Winidorum multitudo A. 780. baptiſmum ſuſcepit. Reges Hunnorum Abarum et Igurorum legatos ad Carolum M. mittunt a. 782. Hic autem Slavorum Soraborum et Saxonum contumaciam eodem anno comprimit. Immo et Hunni Abares, commiſſo cum Francis in Italia, et cum Baioariis in Germania bello, utrobique profligantur a. 788. Slavi Wilſi, quorum rex Witzan, a. 789. a Carolo M. ſubiugantur. Hunnorum cum Francis de limitibus altercatio cum componi non poſſet, a. 791. in apertum bellum erupit, quo a Car. M. victi ſunt. Saxones vero eiurata, quam receperant, fide Chriſtiana, miſſa ad Hunnos Abares legatione, illos ad arma in Francos convertenda a. 792. ſollicitant. Iidem copias Caroli, quas a. 793. ponte navali ſuper Danubium conſtructo, in Pannoniam mittebat, interceptas deleverunt. Mox cum Witzan, Slavorum Wilſorum et Abotritorum rex, ad Carolum M. tamquam foedere iunctus accedit, a perfidis Saxonibus

bus a. 795. caeditur. Carolus Saxoniam vaſtat, et acceptis obſidibus in Franciam revertitur. Tudo ſeu Theudo, Hunnorum Abarum rex, legatos ad Carolum mittit, ſeque cum ſuis fidem Chriſti ſuſcepturum ſpondet. Brevi poſt etiam baptizantur. Alii Abarum principes inteſtina clade pereunt. Henricus, Dux Foroiulienſis, cum Svonimiro Slavo in Pannoniam ingreſſus, Abares ſuperat, eorumque theſaurum, Ringum dictum, ſpoliat, et ad Carol. M. a. 796. mittit. (Svonimirus Auctori videtur princeps Slavorum fuiſſe, qui in Dalmatia ſedes fixerant.) Thraſico, Slavorum Obotritorum Dux, commiſſo cum Nortalbingis ſive Tranſalbianis, qui Legatos Caroli Regis occiderant, praelio, victor diſcedit. Slavi illi gentiles quidem adhuc, ſed Carolo ſubiecti erant. Slavi et Baioarii deſertam Hunnorum in Pannonia terram inhabitare incipiunt a. 798. In Iuvavia, ſive Salisburgo, Archiepiſcopalem dignitatem Arno, qui iam Epiſcopus fuerat, obtinens, ordinatum a ſe Theodoricum Epiſcopum, et a Geroldo Comite perductum, in Sclaviniam mittit, ut regionem Carinthianorum evangelica luce imbueret. A Carolo M. vero quinque confinii comites, Hunnis partim expulſis, partim ſubiugatis, conſtituti ſunt. Boii et Carantani ad Chriſti fidem, opera antiſtitum Iuvavienſium, et comitum confinii, quos diximus, converſi ſunt. Geroldus Baioariae, et Henricus Foroiulianorum Comites, ab Hunnis Abaribus, a fide quam promiſerant, deficientibus, interficiuntur a. 799. quo etiam anno bello cum his geſto finem impoſuit Carolus.

Sed ohe iam ſatis eſt Hunnorum et Slavorum! Veremur enim, ne, ſi coepta via progrediamur, maligne cum lectoribus agere videamur, quibus pro Kalendariis bella et neſcimus quae alia narramus. Verum culpa eſt penes Auct. doctiſſ. Nos igitur ex reliquis capitibus, quae non minus copioſe omnem Slavicarum et Hunnicarum gentium hiſtoriam pertractant, ea tantum excerpemus, quae vel eccleſiaſticae hiſtoriae pars ſunt, vel aliis de cauſſis memoranda videntur. *Capite III.* quibus de rebus exponatur, ex hac illius inſcriptione

ptione cognoſci poteſt. Hunni, Slavi, Sorabi, Abotriti, Saxones, a Carolo M. devicti. Slavi in Pannonia Slavinia et Bohemia. Chrobati e Dalmatia in Pannoniam et Illyricum, Carolo ſubiectum, ſecedunt. Slavi et Hunni ab Arnone Archiepiſcopo Salisb. ad Chriſti fidem converſi. Lechus et Zechus, Polonorum et Bohemorum conditores. — Inprimis per occaſionem narrationis de Lecho Bohemorum duce, a Carolo iuniore interfecto, copioſe diſputat A. de Lecho et Zecho, Polonorum et Bohemorum primis ducibus, quos circa annum DL poſt C. N. ex Sarmatia advenifſe putat, *Mart*, *Cromeri* ſententiam omni ea in re amplexus.

*Caput IV.* diſſerit de Hunnis Abaribus, Slavis, Sorabis, Abotritis, Dalmatis, Guduſcanis, Timotianis, Chrobatis, Wilſis, Behemanis, Moravis, Nordhmannis, Rhoſſis, *ſub Ludovico Pio* Imperatore; h. e. de bellis, quae apud Hiſtoricos rectius quaeſieris. Poſtea *Ebonis* Rhemenſis Archiepiſcopi apud Danos, *Anſcharii* autem et *Remberti* Epiſcopi apud eosdem, Suecos, et Slavos ſeptentrionales, in praedicando Evangelio felicitas narratur. Traduntur etiam nonnulla de *Urolpho*, Hunnos Abares et Moravos fide Chriſtiana imbuente, et ab Eugenio II. Papa, Laureacenſi Archiepiſcopo conſtituto, itemque de Eccleſiarum Laureacenſis, Patavienſis (alias Paſſavienſis), et Salisburgenſis ſtatu ab a. 818. ad 992. in quibus tamen nihil eſt magnopere lectu dignum. Rurſus, intermixtis Ludov. Pii et barbararum gentium rebus geſtis, de *Anſchario*, primo Hamburgi Archiepiſcopo, deque ſedis huius amplitudine, varia memorat Auctor. Deinde, poſtquam de bello filiorum Ludovici Pii in patrem, eiusque reſtitutione dixit, *Ebonis*, Rhemenſis Epiſc. Nordalbingorum Apoſtoli, depoſitionem narrat.

Quid Slavi et Abares Hunni ſub Ludovici Pii filiis usque ad annum 876. geſſerint, *Capite V.* oſtenditur, adiecta non contemnenda parte hiſtoriae horum Imperatorum. Inter haec ad A. 866. refertur ex Annalibus Bertinianis, regem Bulgarorum Michaelem eo anno ſacrum baptiſma recepiſſe; et ex Anaſtaſio, legatos ab eo ad Nicolaum I. Pontificem

miſſos

miſſos fuiſſe, qui duos Epiſcopos ad eum ablegaverit. Deinde tradit Auctor, *Hermenricum*, Epiſcopum Paſſavienſem, cum Presbyteris et Clericis a Ludovico Rege ad Bulgarorum Regem miſſum fuiſſe; et Papam Nicolaum a. 867. praeſulibus Galliarum praecepiſſe, ut ſibi de calumniis, quibus Graeci latinam Eccleſiam, circa proceſſionem Spiritus S. ieiunium Sabbathi, coelibatum Presbyterorum, et alias obſervationes criminabantur, reſcriberent. Obſervat etiam, *Photium* fuiſſe auctorem calumniarum in Eccleſiam latinam: tum quia a Rom. Pontifice depoſitus fuerit, (quaſi vero Patriarcha Conſtantinop. a Romano deiici de ſede ſua potuerit;) tum ut Bulgaros a Latinis averteret. Quod antequam perſequatur, res Bulgarorum diverſis annis geſtas, ex Annaliſta Metenſi ad a. 868. uno tenore enarrat, et Chrobatos ac Serblos ſub Baſilio Macedone, Orientis Imperatore, ad obedientiam Graeci Imperii rediiſſe, docet ex Conſtantino Porphyrog. Negat autem, has gentes a SS. Cyrillo et Methodio ad Chriſtianiſmum perductas fuiſſe. Hinc accuſat ſubdolas Graecorum artes, quibus Bulgariam a Romana Eccleſia avulſam ſibi vindicarint. Eorundem fraude factum eſſe queritur, quod Apocriſiarii Sedis Romanae poſt Synodum octavam redeuntes, in piratas inciderint. Pugnat deinde, Regem Bulgarorum a Paulo Presbytero Romano ad Chriſti fidem converſum fuiſſe, nec non a S. Methodio, et Epiſcopum atque Clericos a Romana Eccleſia poſtulaſſe; poſtea autem dolo Graecorum latinis Sacerdotibus eiectis, Graecos a Bulgaris receptos fuiſſe. Hadrianum II. Papam querentem inducit de legatis ſuis in Slavorum depraedationem incurrentibus, deque latinis Epiſcopis et Clericis e Bulgaria eiectis. Cum primi ad Bulgaros miſſi Archiepiſcopi nomen apud Baronium et alios ſit *Theophylacti*, apud Photium vero *Gabrielis*, parum abeſt quin poſterius nomen, cum iis quae adiuncta illi ſunt, conficta putet. Poſt varia de bellis Carolingorum, dicitur de cauſa Formoſi Portuenſis Epiſcopi, a Iohanne VIII. Papa deiecti; tum, inſerta Pontificis huius epiſtola, docetur, quamobrem hanc contu-

meliam ſubierit Formoſius. Nimirum, a Nicolao I. in Bulgariam miſſus, Bulgarorum regem ſacramento obſtrinxerat, ne alium Epiſcopum, ſe ſuperſtite, a Sede Romana ſuſciperet; ab Eccleſia Portuenſi per ambitum ad Romanam transſilire conatus erat; denique inconſulto Pontifice propriam Eccleſiam deſeruerat, et cum nonnullis Romanis conſilia inimica electioni Caroli Calvi agitaverat. Horum certe accuſatur Formoſus in epiſtola illa; ſed priora duo capita parum firma eſſe, ab Auctore oſtenditur.

*Partis Secundae*, quae de Ruſſis, Moravis, et Bulgaris inſcripta eſt, *Caput I.* Ruſſos ad Chriſti fidem ſub Baſilio Macedone Imperatore converſos, et a S. Ignatio Patriarcha Epiſcopum accipientes producit. Teſtem primarium facti excitat Auctor *Conſtantinum Porphyrogenitum*, cui *Zonaram* adiungit. Sed cum *Pagius* ad a. 876. neget, Ruſſos iſtos eosdem eſſe cum illis, qui imperante Michaele, Theodorae filio, baptiſmum receperint, haec quidem et alia in eius narratione emendat Noſter. Videtur quidem *Pagio* favere Epiſtola *Photii* ad Patriarchales Sedes Orientis, quam *Baronius* ad a. 863. edidit; ſed hic rurſus docetur, Nicolaum I. Pont. R. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliae a. 867. data, non illam Photianam Epiſtolam, ſed aliam ſub nomine Impp. Michaelis et Baſilii evulgatam, reſpexiſſe. Refellitur etiam *Lequien*, qui Ruſſos, de quibus hic agitur, non diverſos fuiſſe a Chazaris opinatus eſt. Photianam illam Epiſtolam non a. 863. adſignandam eſſe cum *Baronio*, ſed poſt a. 867. collocandam, demonſtratur. Et ne quis ſuperſit dubitandi ſuper ea re locus, confutatur etiam *Montacutius*, Photianarum Epiſtolarum editor, et in laudibus, quas *Photio* tribuit, evertendis, multum operae, neque tamen valde feliciter, ponitur. Tum de Conciliabulo Photiano, ut vocat, et reprobatis eius Actis, dicit *Aſſemanus*, ac denique concludit, conficta eſſe omnia a *Photio*, quaecunque in Epiſtola ſaepius memorata narret, praeſertim de Armeniis, Bulgaris, et Ruſſis, ad Chriſti fidem converſis, deque Latinis contra Romanum Pontificem ad ſe confugientibus; et Epiſtolam illam

non-

nonniſi poſt a. 869. fuiſſe conſcriptam. In qua diſputatione omni iniquior paullo eſt *Photio*, ut ſolent fere Romanae ſedis amici, neque a conviciis in eum ſibi temperat, omnemque omnino fidem iis, quae ſcripta reliquit, detractam cupit. Ac nos, qui virum magnum fuiſſe, licet animi et iracundiae impotentioris, ſcimus, non pauca etiam nec levia adverſariorum eius delicta, ſiquidem hic locus pateretur, adferre poſſemus. Sed ad Auctorem revertamur, qui in exitu huius Capitis eam quoque de Ruſſis ad fidem Chriſtianam perductis, Graecumque prae Latino ritum eligentibus narrationem, quam *Anſelmus Bandurius* in Animadverſionibus ad Librum *Conſtant. Porphyrog.* de adminiſtr. imperio p. 112. ex Codice Colbertino evulgavit, fabuloſam eſſe contendit; quam recte, quaerant alii.

Iam *Capite II.* huius Partis, a Ruſſis ad *Bulgaros* transgreſſus, tradit Auctor ſtudium Iohannis VIII. Papae pro recuperanda dioeceſi Bulgarica. Litteras eius ſuperbe minaces ad Ignatium Patriarcham Conſtantinop. alias ad Baſilium Imp. ad Michaelem Bulgarorum regem, ad Petrum Comitem, et ad alium quendam Bulgariae principem, excerpit, et nomina legatorum regis Bulgariae, qui in Synodo VIII. adfuerunt, illuſtrat. Inter haec mortuo Ignatio, *Photius* ſedem Conſtantinop. rurſus occupat, poſtquam, ut Auctori placet, conficta Baſilii Imper. genealogia, in gratiam eiusdem et in palatium receptus fuerat. Cum eo igitur denuo Iohannes VIII. de Bulgaris ad Romanam dioeceſin revocandis, agit, imo et eadem de cauſſa Imperatores, Clericos Conſtantinop. et alios inſigni dignitate viros, litteris compellat, quas Noſter a *Photio*, cum graece verteret, interpolatas, et confictam ab eo Synodum fuiſſe, ſuſpicatur potius, quam probat. Atque hic opportunitate argumenti captata, Bulgarorum originem et hiſtoriam perſequitur Auctor. Primam eorum ſedem ad Orientem fluminis *Etel*, ſeu *Volga*, ſive *Rha* poſitam; ſecundam, regionem Maeotidi paludi conterminam; tertiam, traiecto Danubio, in Moeſia ac Thracia fuiſſe, oſtendit. Eorum excurſiones a Theodoſii M.

tem-

temporibus usque ad Anaſtaſium, h. e. ab A. Chr. 392. usque ad a. 514. enarrat, de rege eorum Buſa ad a. 489. dicit, atque ita reges et res geſtas eorum, non interrupto ordine, a p. 286. in Seculum usque nonum, et ad extrema usque huius Tomi producit. Multa inprimis de *Crumo*, ſeu *Crumno*, vel etiam *Crunno*, Bulgarorum rege, eiusque victoriis, a pag. 326. ad p. 353. commemorat; in quibus eſt clades atrociſſima, quam Graeci ab eo acceperunt a. 811. et cuius adhuc memoriam ad d. XXIV. Iulii menaea Graecorum celebrant. Hunc ſecutus eſt *Murtagon*, corrupto a graecis nomine ex *Morad-Chan*, مران خان, cuius crudelitate multis Chriſtianorum martyrium obtigit; ſed poſtea ab eodem captivi Chriſtiani in libertatem aſſerti ſunt a. 817. et ab eo a. 822. Michaeli Balbo adverſus Thomam ſuppetiae latae ſunt. Tandem *Bogoris*, Bulgarorum rex poſt Vladimirum, pacem cum Theodora Auguſta firmat, et recepta ſorore, *Theodorum* monachum cognomento *Cupharam*, eidem Theodorae reſtituit, et Chriſtianam fidem a. 865. amplexus eſt. De qua tamen converſione ſequenti demum Tomo narratio ab Auctore inſtituta eſt.

Intelligent nunc Lectores, Auctorem diligentiſſimum curioſe conquiſiviſſe omnia, quae per aliquam cum rebus in hoc opere pertractandis affinitatem, locum in eo tenere, certe delibari poterant. Ac licet plurimum in eo legatur, quod ab eo alienum videri poſſet, certe hac ubertate effuſum; erunt tamen qui libenter cognoſcent, continuam hoc loco de Slavorum, Ruſſorum, Bulgarorumque hiſtoria omni, et ſic ſatis accuratam narrationem proponi. Collecta invenient loca auctorum innumera, e quibus teſtimonium aliquod peti potuit; Graecorum tamen, quod factum nollemus, latine tantum deſcripta. De Epiſtola, qua hic Tomus Cardinali Eboracenſi inſcribitur, non eſt quod amplius dicamus. Nam quod ingentia hiſtoriae Pontificiae Seculo X. opprobria diluere in ea conatur Auctor, dignum quidem eſt munere, quod in aula Pontificia gerit, neque tamen ſevero Hiſtorici et candido officio. Ac utinam potius Vir doctiſſi-

mus immortales Commentarios ſuos de Bibliotheca Orientali Clementino Vaticana novis tandem aliquando Voluminibus augeret!

## HISTOIRE DES COMTES DE CHAMPAGNE ET DE BRIE,

h. e.

## *COMITUM CAMPANIAE ET BRIGAE VITAE et res geſtae.*

Lutetiae Pariſiorum TOM. I. pagg. 351. TOM. II. pagg. 144. in 12. mai. 1753.

Rudolfus, Burgundiae Dux, Francorum regno admotus anno 923. ut regni Procerum favorem hoc magis ſibi conciliaret, magnam iis Domaniorum partem tradidit. Atque haec ſunt illa tempora, in quae Feudorum conſtitutio incidit; quae, quantum Proceribus nonnullis addiderunt poteſtatis, atque dignitatis, tantum detraxerunt regiae. Eo redacti tandem tali liberalitate Francorum Monarchae, ut praeter Lutetiam, Aurelianum, Eſtampium, Compendium, Melunum, Bituriges, et urbes aliquot alias, non haberent fere quod ſuum eſſet. Quidquid erat, toto regno, terrarum et praediorum, id omne Procerum fuit; qui, etiamſi Vaſallos regis ſe profiterentur, tamen exemtos a poteſtate regis, et tamquam ſui ſe iuris homines putabant. Qua in re videntur illi germanici Imperii Electoribus ante comparari poſſe: quod iſti, etiamſi Imperatorem, ut caput Imperii venerantur et colunt, tamen in ſuis terris ſuprematu gaudent.

Iſta tot potentium Vaſallorum origo, auctoritatem regiam paene evertit. Certe Franci iſti Primores, parum ſubiectionis regibus teſtati ſunt; neque his tantum virium fuit, ut cogere ad obſequium poſſent. Inter ſe ipſos bellis implicit, ſaepe etiam in reges arma verterunt. Populi conditio iis temporibus miſerrima fuit: cum plures dominos haberent, paene neſciverunt e cuius partibus ſtare oporteret.

ret. Haec erat Galliae facies regnante ſtirpe Carolingica. Tandem Hugo Capetus, eiusque ſucceſſores, omne id ſenſim receperunt, quod a Galliae Primoribus uſurpatum fuerat, ſibique et regno regum iura labefactata vindicaverunt.

Vaſalli regis immediati fuere Duces Burgundiae, Aquitaniae, Normandiae, Comites item Flandriae, Campaniae, Toloſae: iſtorum feudatarii (arrière-vaſſaux,) dominorum ſuorum auctoritatem cum illa regis primaria commiſerunt. Quae hoc libro exponitur Campaniae Comitum hiſtoria, memoratu digna eius rei exempla prodit, iucundaque lectu, propterea, quod ſolertiſſime conquiſita ſunt ea omnia, quae huc facerent, viderenturque iſtam hiſtoriae gallicae particulam poſſe illuſtrare. Ad fortiſſimorum heroum latus et Clericos laudatos videas, qui vita et virtutibus, quam illi bello tuiti ſunt, Campaniam illuſtrarunt. Igitur multa hic de *S. Norberto*, et *S. Bernardo* relata legimus. Et Norberti quidem, inter praeclara multa alia, hoc inprimis celebratur, quod, cum Theobaldus IV. Campaniae Comes, omnium, qui fuerunt, optimus atque munificentiſſimus, pro illius Seculi genio, Praemonſtratenſium ordini nomen dare, eique domania ſua tradere velle videretur, hic non ſolum improbaverit talis conſilii rationes, ſed etiam ſuaſor fuerit ducendae uxoris, ſtirpisque propagandae. Bernardi autem, Abbatis Claraevallenſis, cuius maxima fuerat aetate illa ſanctitatis atque doctrinae fama, in hoc potiſſimum laudantur merita, quod conſiliis et prudentia Campaniae Comites rexerit. Hic ille eſt cruciatarum expeditionum perpetuus ſuaſor; de qua re mirati ſumus auſum ſcribere Lutetiae auctorem: — *La ſaine Politique devoit naturellement mettre obſtacle à ces pieuſes entrepriſes. Convenoit-il aux Princes de l'Europe, de depeupler leurs Etats pour aller porter la guerre jusqu'au fond de l'Aſie? D'ailleurs, avoit on des droits bien fondés ſur les pays que l'on vouloit conquérir?* Iſtarum expeditionum, quod Campaniae Comites interfuerunt, inde ab origine, hiſtoriam dedit Auctor, praecipua rerum geſtarum ſatis diligenter proſecu-

ſecutus. Ipſam Campaniae Comitum hiſtoriam operis Tomo I. a *Theobaldo* orditur, Theobaldi alterius, e Franciae Primoribus, ex Richilde, Odonis Francorum Regis ſorore, filio. Et huic quidem, quod vi et fraudibus augeret potentiam ſuam, *Impoſtoris* nomen annalium ſcriptores tribuerunt. *Si on vouloit remonter*, ait noſter, *jusqu' à l'origine des biens que poſſedent plusieurs familles opulentes, on trouveroit ſouvent, qu'elles n'en ſont redévables qu'aux injuſtices de leurs ancêtres. On en peut dire autant des maiſons ſouveraines.* Eſt autem hic Theobaldus I. eo potiſſimum memorabilis, quod cum eo *hereditariorum* Campaniae Comitum feriem ordimur. Obiit anno 978. ſucceſſorem nactus filium *Odonem*, qui ſe vivo patre Comitem et *Marchionem* dixit. Quod poſterius axioma ita interpretatur *Bruſſel*, (in novo examine conſuetudinum feudalium Lutet. Pariſ. 1727. p. 391.) ut dicat, Marchiam Pictavienſem ei concreditam fuiſſe, quam adverſus incurſiones tueretur. Mortuo anno 995. filius maior natu, *Theobaldus II.* ſucceſſit, huic frater *Odo II.* qui multis cruentisque bellis totam Campaniam, et Comitis Campaniae titulum, adeptus eſt. Idem iſte Odo II. *Comitem* ſe *Palatinum* Regum Francorum dixit; quod erat nomen ſine munere, illis temporibus, a Comitibus Trecenſibus, quorum Odo urbem ceperat, ad hunc derivatum. Quas turbas, mortuo rege Burgundiae Rudolfo, cuius ſororem Bertham hic Odo matrem habuerat, commoverit, a Conrado Salico Imperatore, rege Burgundiae coronato, aegre ſopitas, e temporum illorum ſcriptoribus auctor graphice propoſuit. Burgundia pulſus plus vice ſimplici, tandem poenas luit perfidiae, interemtus in proelio ad Barum die 15. Nov. 1037. Exceperunt eum filii, *Theobaldus III.* et *Stephanus I.* qui omnem, quam a patre hereditate acceperant, ditionem, aequa lance inter ſe partiti ſunt; nulla alia re magis celebres, quam quod Francorum regibus, in quorum eſſe obſequio et fide oportuerat, ſaepenumero rebellaverint. Stephani filius, *Otto*, hereditate pa-

terna a Theobaldo exutus, ad Normannorum ducem Guilielmum confugit, eique deinceps, cum Angliae regnum occuparet, ſtrenue militavit. Theobaldum III. anno circiter 1090. mortuum excepit e quatuor filiis primogenitus, *Henricus Stephanus*, tradita *Hugoni* fratri aliqua ditionis particula. Cum in eius tempora incidiſſet prima expeditio cruce ſignatorum, etiam ipſe inter heroas fuit, qui nemine provocante, ſed invitante Eremita fanatico, et iubente Urbano II. P. M. in Aſia depugnaverunt. Interiit in aliqua pugnarum anno 1101. ſucceſſorem nactus, non primogenitum Wilhelmum, ſed, viduae interventu, *Theobaldum IV.* filium ſecundo genitum, quem deinceps, non magis potentiae et pietatis cauſa, quam liberalitatis in Monachorum familias, *magnum* dixerunt. Multis atque diuturnis bellis cum Galliae regibus non ſolum, ſed etiam cum vicinis dynaſtis, tandem ſuperatis, obiit anno 1152. ineunte. Super inveſtituris laicorum, quas primus Gregor. VII. impugnaverat, et ſub anathemate prohibuerat, pag. 178. Auctor doctiſſimus peculiari obſervatione expoſuit, quibus temporibus Angliae Galliaeque reges hoc inveſtiendi iure ſe exuerint; integrum locum adſcribimus. „*Nos Rois furent ſans doute les prémiers à renoncer aux inveſtitures, puis qu'on ne v..t pas que les Papes ſe ſoient plaints d'eux ſur ce ſujet. Il paroit même, qu'ils commencerent des le tems de Louis le Gros à n'exiger des Evêques que le ferment de fidelité. — Henri I. Roi d'Angleterre rénonça enfin aux inveſtitures dans l'aſſemblée de Londres de l'an 1197. et ſe contenta de l'hommage, ce que le Pape Paſcal lui accorda, quoique Urbain eut défendu l'hommage comme les inveſtitures.* — Theobaldum IV, ſex filiarum, filiorum quatuor parentem, ſequitur in Campaniae Comitatu *Henricus I.* largus, ſeu liberalis. Hic, vivo adhuc Patre, ei expeditioni in Palaeſtinam interfuit, quam Conradus III. romanorum rex, et Ludov. VII. rex Gallia-

rum,

rum, multis ſummae fortitudinis documentis nobilitarunt a. 1147. et 1148. etſi perpetuas a Saladino clades Chriſtiani, quorum rebus obſuit etiam plurimum perfidia Manuelis Comneni, paterentur. Repetiit cruciatam expeditionem anno 1178. redux anno 1180. magnas ſuorum clades in Aſia expertus. Obiit anno 1181. Henrico et Theobaldo minorennibus filiis relictis, quorum loco mater vidua rexit Campaniam. *Henricus II.* deinceps, cognomine *Largus*, cum cruciatae expeditioni interfuiſſet, quam et Fridericus Barbaroſſa, ſuo malo, ſuſceperat, electus Hieroſolymorum rex, in Acra urbe, de feneſtra lapſus, cervicem fregit. Eius vidua Almerico, domino Cypri, nupſit, eumque ſimul regem fecit. *Theobaldus V.* frater defuncti, et Campaniae heres, magnam de ſe et praeclaram ſpem excitaverat; ſed in ipſo cruciatae expeditionis, quam Innocentius III. P. M. per legatos toto orbe indixerat, apparatu, viginti quinque annorum iuvenis, ſubitaneo morbo oppreſſus, a. 1201. interiit. Quam triennio ante domum duxerat, Navarrae regis Sanchii filia, Blanca, non ita multo poſt *Theobaldum Poſthumum* peperit, qui Navarrae regnum, quod integris annis CCCC. Bigorreorum fuit, Campaniae Comitibus, mortuo Sanchio forti, Blancae fratre, adſeruit. Atque ad haec ineuntis decimi tertii Saeculi tempora, hic, praeclari operis, primus Tomus porrigitur.

Alter Tomus, qui nec volumine priorem, nec, ut nobis quidem videtur, exacta rerum in Campania geſtarum deſcriptione, niſi forte primis plagulis, exaequat, eſt de rebus Theobaldi VI. Theobaldi VII. Henrici III. Comitum Campaniae et Navarrae regum, huiusque poſtremi filiae Iohannae, reginae; qua Philippo Pulchro regi nubente, Campaniae Comitatus Galliae, reliquis eius regni provinciis iunctus, acceſſit anno 1361. Et Theobaldus

baldus quidem VI. galliae regi Ludovico VIII, Albigenſes bello petenti, adfuit 1226. ſed rediit ad ſua cum Avenionem Galli obſiderent; rege celeriter mortuo etiam in ſuſpicionem propinati veneni adductus. Adſcribimus, quae hic A. de hoc Albigenſi bello Ludovici VIII. profeſſus eſt: *Louis ſe croiſa, avec pluſieurs Seigneurs, contre les Albigeois, en 1225. plutôt, à ce que raporte un Hiſtorien Anglois*, (Math. Paris,) *pour envahir, les terres du Comte de Toulouſe, que pour ruiner l' héréſie.* Rex Navarrae coronatus eſt Theobaldus anno 1234. d. VII. Maii, neque Iacobi Arragonum regis clandeſtinae artes, quod Gregorii IX. P. M. patrocinio gauderet novellus rex, quidquam valuerunt. Talem Pontificis in ſe voluntatem Campaniae Comes cruciata expeditione meruerat; poſteaquam uno die 183. Albigenſes, inhumano ſpectaculo, cremari in Campania vidiſſet. Nimirum, non ſitit Eccleſia ſanguinem! Obiit tandem anno 1252. ſucceſſorem nactus primogenitum filium *Theobaldum VII*, cui, nondum annos 15. nato, mater Margaretha conſiliis ita adfuit, ut cum rege Aragonum pacto foedere, maligna Caſtiliae regis Alfonſi conſilia prudenter eluderet. Academia Tudelenſis, Alexandro IV. P. M. conſentiente, ab hoc rege condita, non minus ad eius laudes pertinet, quam quod Vincentio Bellovacenſi auctor fuit ſcribendi libri de officiis Principum, eorumque omnium, qui ex munerum ratione reipublicae adminiſtrandae admoventur. In Tunetana expeditione Ludovici Sancti, Galliae regis, cuius filiam ſibi coniugem iunxerat, regiae mortis ſpectator fuit; neque ipſe diu ſuperſtes, mortuus quippe, in Siciliam redux, in urbe Trapano. Improlem excepit frater *Henricus III.* poſt regnum triennii et menſium aliquot, Pompeiopoli vita functus anno 1274. Superſtitem filiam *Iohannam*, Campaniae Navarraeque heredem, mater vidua, ortis in Navarrae regno inteſtinis motibus,

proti-

protinus in Galliam, ad Philippum audacem regem deduxit, qui tutorem puellae principis ageret, eique paternum regnum, auctoritate ſua, et armis, ſervaret. Atque hoc ita omnino factum eſt. Ceſſit deinceps Iohanna in matrimonium Philippo pulcro, regis filio, anno 1284. qui ea ratione, et Campaniae Comitis, et Navarrae regis axioma, regum Galliae praerogativis addidit. Quod adhuc Lutetiae Pariſiorum floret, *Collegium Navarrenſe*, a Launoio peculiari libro deſcriptum, reginae huic Iohannae originem debet. Quomodo dotatum ab ea fuerit, malumus lectores noſtros ex verbis Auctoris cognoſcere. Ita vero ſcribit: *L' action qui a rendu celébre la Reine Ieanne de Navarre, a eté la fondation qu'elle fit par ſon Teſtament (1304.), du Collège de Navarre. Cette Princeſſe, aprés avoir fait en ſtyle pompeux et figuré de ſon Siécle l'éloge des études qui floriſſoient à Paris, déclare, qu'elle fonde 20. Etudians en Grammaire, 30. en Logique et en Philoſophie, et 20. en Théologie. Chaque Ecolier en Grammaire doit avoir 4. ſols Pariſis par Semaine, les Logiciens 6. et les Etudians en Théologie 8. jusqu'à ce que quelqu'un d'eux ait été pourvû d'un benefice: il doit être au moins de la valeur de 30. Livres Pariſis pour les Grammairiens, de quarante pour les Logiciens, et de ſoixante pour les Théologiens. Ces ecoliers doivent être pauvres et de bonne vie, et n'avoir point de quoi ſubſiſter ailleurs.* Nos, cum haec legeremus, videbamur nobis illam veterum frugalitatem reperiſſe, quam iſtis noſtris temporibus fere ubivis terrarum deſideres.

Atque hic eſt exitus hiſtoriae Comitum Campaniae, hoc libro propoſitae. Cumulavit Scriptorum teſtimonia, Auctor doctiſſimus, firmandis iis quae ſcripſiſſet inſervitura; in quibus ſaepenumero vidimus Chartularia, necrologia, et talia monaſteriorum cimelia, e quibus ſolers

ſcri-

ſcribentis rerum inveſtigatio intelligitur. Potiſſimum vero in enarrandis donationibus, quas Campaniae Comites monaſteriis, pro anima ſua, ut aiunt, feciſſent, adeo copioſus eſt Auctor, adeo laudator, ut, ſi ex his iudicium facere velis, ipſe poſſit monachus videri.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Auguſti Anno MDCCLXII.*

## DISSERTAZIONE SOPRA LA VILLA DI ORAZIO FLACCO,

i. e.

## *DISSERTATIO SUPER VILLA HORATII FLACCI,*

*Auctore Abbate* DOMINICO DE SANCTIS, *inter Arcades Falciſco Cariſtio.*

Romae apud Salomonem, 1761. pl. 5. quaternis, cum tab. chorographica eo pertinente.

Eruditiſſima, quam indicamus, diſſertatio, digna nobis omnino videtur, quae paulo curatius recenſeatur, ut ab unoquoque rei antiquariae gnaro, quale ferendum de ſententia Auctoris iudicium ſit, perſpici facile ac diiudicari recte queat. Parva quidem huius libelli moles eſt, ſed multa in eo reperiuntur, quibus quamplurima Horatii loca explicantur, et ea praeſertim veteris Geographiae pars, quae ad agrum Tiburtinum ſpectat, mirifice illuſtratur. Eo enim conſilio conſcripta eſt haec diſſertatio, ut verus nimirum villae Horatianae ſitus, ac recta eius forma et conditio, definiatur, et, quae ſuper hac re prolatae hucusque ſunt opiniones falſae, ſolide refellantur. Dicavit Vir doctiſſimus opellam ſuam illuſtriſſimo *Ferdinando Spinellio*, Camerae Apoſtolicae Praeſidi, ad avita decora magnis paſſibus properanti. Primo autem loco id potiſſimum agit A. ut oſtendat, Horatium nonniſi unam, eamque vere tenuem ac par-

 vam,

vam, in agro Sabino villam habuiſſe. Teſtem huius rei locupletiſſimum Poetam ipſum excitat, qui Ode 18. li. 2. ſe ſatis contentum unicis Sabinis eſſe, neque amicum potentem largiora flagitare, affirmat.

Quod cum recte ſe habeat, mirandum omnino eſt, viros doctos de multis ac ſplendidis Horatii villis ſomniaſſe. Verbis enim, quae ex Ode 4. li. 3. in rem ſuam adducunt, ubi poeta canit, ſe in Sabinos nonnunquam tolli, ſibique Praeneſte, Tibur, ac Baias placuiſſe, neutiquam probant, proprium Horatio in his locis fuiſſe fundum, ſed id tantum indicant, eum ibi in ſeceſſu nonnunquam vixiſſe, et apud amicos ruſticari ſolitum fuiſſe. His ita praemiſſis A. ulterius progreditur, et in ſitum ipſum praedii Horatiani inquirit. Quanta autem in definiendis e vetere Geographia locis ſit difficultas, ex eo ſtatim colligi poteſt, quod devaſtata toties bellis, ac deſtructa barbararum gentium irruptionibus Italia, multorum locorum ſitus hodie ita ignorantur, ut nullum eorum veſtigium amplius reperiatur. (Recordamur per iſtam occaſionem doctiſſimae diſſertationis *del Sito dell' antica Città d' Induſtria*, cuius olim in his Actis noſtris meminimus; ſed recordamur ſimul, qua diligentia, qua doctrina inſtructi Auctores doctiſſimi, tamen multum difficultatis offenderint, e quibus nonniſi erutarum ibi loci antiquitatum ope emerſerunt, ut tandem clarae urbis ſitum declarare poſſent.) Villa Horatii idem experta fatum eſt, et cum innumeris aliis oppidis ac vicis plane interiit. Nihilo tamen minus memoria huius Villae in Scriptis Horatii ita conſervata eſt, ut ope deſcriptionis, quam poeta de fundo ſuo ac locis vicinis exhibet, ſitus huius praedii ab A. noſtro recte, uti arbitramur, eruatur. Inter ea vero loca, quae ab agro Horatiano parum diſtabant, praecipua numerantur *fanum* antiquum *Deae Vacunae*, cuius meminit Horatius Ep. 10. li. 1. vicus *Varia*, qui commemoratur Ep. 14. li. 1. et pagus *Mandela*, ad rivum *Digentiam* ſitus, uti apparet ex Ep. 18. li. 1. Neque haec ſola ſunt, quae ad inveniendum villae huius ſitum aliquid conferre poſſe exiſtimat A.

Hinc

Hinc alium, eumque clariorem locum, ex Ode 17. li. 1. in medium profert, ubi poeta fundum ſuum in amoeniſſima illa valle collocat, quae inter montes Lucretilem et Uſticam flexuoſos habebat receſſus, atque ita ab aeſtu et ventis defendebatur. His ſubſidiis inſtructus parum difficile eſſe pronuntiat, veterem illam inveſtigare villam, et quo nomine locus iſte hodie adpelletur conſtituere. At enim, cum multi hucusque a recta, quae ad villam Horatianam nos ducat, via aberraverint doctiſſimi viri, in eo potiſſimum elaborat Cl. A. ut erroneas eorum opiniones examinet, ac ſolide confutet, et deinde ſuam, quam hac in re fovet, ſententiam, uberius confirmet. Primus, qui a Dominico noſtro producitur, *Flavius Blondus* eſt, quem praeter Calepinum nonnulli Horatii Interpretes ſequuntur. Is igitur villam Horatii in ea poſitam valle fuiſſe, quam Falſarus efficit, opinatur. Sed nulla, qua probari ac defendi poſſit haec opinio, adeſt ratio, et, ut A. recte monet, verbis Horatii plane contraria eſt, quippe qui villam ſuam poſt fanum Vacunae ſitam dicit, ubi vallis iſta, quae a Falſaro flumine irrigabatur, non arrivat. Eodem modo ſententia, quam *Piazza* in Hierarchia Cardinalitia de ſitu huius villae profert, admitti non poteſt. Valli enim, quae ab Uſtica monte nomen habebat, eum adſignat locum, quo nunc oppidum Vacone dictum extat. Et ut opinioni ſuae fidem maiorem conciliet, omni aſſeveratione confirmat, ſe ipſum ibi rudera ac veſtigia palatii cuiusdam ſplendidiſſimi, quod Horatianam indicet villam, vidiſſe. Verum in eo mirifice fallitur Piazza. Villa enim Horatii, uti ab ipſo poeta deſcribitur Sat. 6. li. 2. nihil, quod magnificum ac ſplendidum dici poſſit, continebat. Deinde etiam vallis Uſticae, in qua fundum habebat Horatius, ad oppidum Vacone in confinibus Umbriae translata, tam longam ab agro Tiburtino diſtantiam nanciſcitur, ut praedium illud, cum Suetonio in vita Horatii, et Sabinum et Tiburtinum ſimul appellari nequeat. Quae quidem difficultas cum a Piazza neque obſervata, neque ſublata ſit, tota illa, quam de ſitu illius villae propoſuit, coniectura, incerta redditur, eamque

ob cauſam ab A. doctiſſimo merito reiicitur. Sed alia nunc cum *Cluverio* oritur diſputatio. Vir ille doctiſſimus, confutata Blondi opinione, ſuam de ſitu praedii Horatiani ſententiam pronunciat, et villam huius poetae in montem Lucretium, cuius meminit Anaſtaſius in vita S. Sylveſtri, et qui vulgari nomine nunc monte Libretti dicitur, transfert, eumque antiquum Horatii Lucretilem, ob ſimilitudinem nominis, eſſe contendit. Verum tota iſthaec Cluverii opinio, quam adhuc etiam noſtrorum hominum multos tueri novimus, ſola, ut A. luculenter oſtendit, coniectura nititur. Quomodocunque enim derivatio nominis Libretti comparata ſit, ex eo tamen ſtatim colligi poteſt, montem a Cluverio indicatum Lucretilem Horatii non eſſe, quod locus iſte neque in agro Sabino-Tiburtino, neque poſt fanum Vacunae ſitus, neque Variae aut Mandelae vicinus eſt. Reiecta itaque Cluverii explicatione, ultimo tandem loco, A. ſententiam, quam eruditiſſimus *Vulpius* in Vet. Lat. T. X. c. 1. protulit, ſub examen revocat, et quid falſum in ea ſit, accurate demonſtrat. Inductus nimirum in errorem hiſtoricorum Tiburtinorum auctoritate; Vulpius, praedium Horatianum in ſuburbiis Tiburis, ubi nunc templum S. Antonii et monaſterium Patrum tertii ordinis S. Franciſci cernitur, ſitum fuiſſe affirmat. Qua in re quamvis conſentientem aliqua ex parte Suetonium habere videtur Vulpius, ita tamen ab Horatio ipſo recedit, ut neque deſcriptionis, quam poeta de praedio illo fecit, neque ſitus, qui locis huic villae vicinis tribuitur, ullam habere rationem videatur.

Iam igitur deinceps, ut omnes, quibus opiniones doctorum virorum hucusque indicatae premuntur, difficultates e medio tollerentur, A. nunc ad alteram diſſertationis ſectionem pervenit, qua ſententiam ſuam ſuper villa Horatii propoſitam eiusmodi argumentis, quae nullum dubitandi locum relinquunt, confirmat. Vallis nimirum Uſticae ex mente A. ea olim fuit, in qua nunc *Licenza* extat. Atque haec, ut nobis quidem videtur, explicatio, reliquis praeferenda eſt. Primo enim forma et natura loci, quem A. hic indicat, ſitui illius

illius villae ab Horatio deſcriptae probe conveniunt. Deinde etiam, quod praecipuum huius rei momentum eſt, loca praedio Horatiano vicina ab A. ita definiuntur, ut cum ſitu illius villae conciliari optime posſint. Sic antiquum illud Varia, cuius meminit Horatius, nihil aliud eſſe, quam oppidum, quod nunc in dextra Anienis ripa vulgo vocatur Vicovaro, ex antiquisſimis tabulis Peutingerianis apparet, in quibus Varia 8. m. p. ſupra Tibur ponitur, quod a Strabone antea iam affirmatum erat, apud quem inter urbes latinas in via Valeria ſitas Οὐάρια quoque extitit, ubi nunc inepta plane ratione Ουαλέρια legitur, uti cum Holſtenio A. noſter recte obſervat, et antiquam ac veram huius loci lectionem praeclare vindicat. Probato autem Variae ſitu A. quoque locum huic proximum, Mandelam olim dictum, vicum eum eſſe, qui nunc Bardela vocatur, ſtatuit, idque non ſolum ex nominum convenientia, ſed inſcriptione aliqua paucis abhinc annis ibi reperta, inprimis demonſtrat. Inſcriptio illa ita habet:

VAL. MAXIMA MATER
D. . . . . . . 9 . .
DVLCISSIMA FILIA
QVAE VIXIT ANNIS XXX
VI MEN. II. D XII IN PRE
DIIS SVIS MASSE MAN
DELANE . . . . . . . .
. . . QVESQN PACE.

Quae quidem verba, quamvis vel male inciſa, vel iniuria temporum ita corrupta ſint, ut intelligi omnia vix posſint; ea tamen ex parte ſatis clara ſunt, qua *maſſae Mandelanae ſit* mentio. Maſſa autem, teſte *du Cange* in Gloſſario, certus agrorum modus, ſive collectio quaedam poſſesſionum ac praediorum fuit. Hinc maſſa illa Mandelana eum olim complexa eſt ruris tractum, qui inter Digentiam et Variam Mandelam vicum circumdabat, ſeu quo loco nunc Bardela et Cantalupo cernitur. Proximus his locis mons quidam, ſeu

collis potius, Roccagiovine vulgo dictus, extat, cuius ſitus antiquo Vacunae fano convenientisſimus eſt. Multum quidem hucusque ab eruditis diſputatum fuit, qualem ſub hoc nomine deam coluerint antiqui. Quidam enim Minervam, alii Dianam, et nonnulli Cererem eſſe putarunt. Sed eorum ſententia, qui *Varronem* li. I. rer. div. ſecuti, Victoriam a Sabinis ita adpellatam pronuntiant, maxime veriſimilis propterea videtur, quod locus Horatii, de fano putri Vacunae, inſcriptione veteri in Roccagiovine reperta egregie illuſtrari poteſt. Inſcriptio nimirum haec eſt:

IMP. CAESAR VESPASIANVS
PONTIFEX MAXIMVS TRIB.
POTESTATIS CENSOR AEDEM
VICTORIAE VETVSTATE DILAPSAM
SVA IMPENSA RESTITVIT.

Quodſi igitur Vacuna et Victoria eandem ſignificabant deam, ratio quoque dari poteſt, cur Imp. Veſpaſianus, origine Sabinus, tanta deam iſthanc pietate coluerit, ut aedem eius, Horatii aetate iam putrem ac ruinam minitantem, dein vetuſtate plane collapſam, reſtitueret, deamque propter innumeras, quas ab hoſtibus ſuis reportaverat, victorias, vocabulo potius Romano quam Sabino inſigniret. Ex his itaque probe expenſis evidenter apparet, ſitum illius vallis, in qua Horatii praedium erat, ad vicum Licenza hodie dictum recte referri. Sed ne ulla in hac re difficultas ſupereſſet, A. ad quaeſtionem etiam illam, cur villa ab Horatio Sabina, et a Suetonio, ſive quicunque auctor eſt vitae Horatii, Tiburtina appellari potuerit, accurate reſpondet. Sabina nimirum propterea recte dicitur, quod, teſte Sigonio, quicquid agri inter Narem et Anienem flumina continetur, id totum Sabinorum fuiſſe veteribus placet. Tiburtinam vero nominari hanc villam potuiſſe, ex eo inprimis probatur, quia loca omnia, quorum mentio antea facta eſt, a Tibure usque ad agrum Aequorum, intra fines Tiburtinos poſita, Tiburtesque ipſi, Plinio auctore, Sabinorum populis olim erant adſcripti.

Atque

Atque haec ſunt, quae ab A. ſuper villa Horatii erudite diſputata, et annexa tabula geographica egregie illuſtrata, eo conſilio tam prolixe excerpſimus, ut hac ratione ab iis, qui rei antiquariae ſtudio ducuntur, et Horatium poetam Lyrici carminis principem in deliciis habent, gratiam aliquam iniremus, atque hoc loco, quantam e lectione huius diſſertationis elegantisſimae voluptatem perceperimus, publice demonſtraremus.

## *DE POTIORIBUS SERIERUM FIGURATARUM Symptomatibus, quibus Combinationum myſterium continetur. Auctore IO. IACOBO HENTSCHIO.*

Notiſſimum eſt iis, qui *Quanti* ſcientiam, quod ad omnia rerum genera, quae fingi modo poſſunt, pertingit, nacti ſunt, contemplationem *Serierum* communi aliqua lege formatarum, et ad terminum quemvis productarum, non ſolum eſſe jucundam, mentisque humanae aciem in perveſtigando vero eximium in modum intendere; ſed etiam, ut alios uſus praetermittam, maximo cum fructu nonnunquam adhiberi tam in Quadraturis ſpatiorum, quam Curvarum Rectificationibus. Ad has Series primario referas ſic dictas *Figuratas*, quae exhibent terminos ex continua arithmetice proportionalium, ortorumque numerorum additione, genitos. Peculiares, quas habent eiusmodi *Series Figuratae* affectiones, inſignes ſane ſunt, et ulteriorem merentur diſcuſſionem, cum earum uſus latiſſime pateat, adeo, ut ipſum *Combinationum myſterium* his circumſcribatur limitibus; id quod palam erit, ubi modos combinandi res quascunque contulerimus cum ipſis Seriebus figuratis. Equidem ſcio, varios, inter quos *Io. Wallifium* et *Nic. Mercatorem* nominare licet, Serierum figuratarum naturam ſpeculari adgreſſos eſſe, ab *Inductione* ſeu ſingularium enumeratione rem exorſos. Sed cum ſingularia numero prorſus ſint infinita, ita ut omnes caſus ſingulares recenſere idem ſit, ac arenam maris numerare velle; proprietates dictarum Serierum deinceps ab aliis

ex

ex ideis primis et ſimpliciſſimis univerſaliter ſunt erutae; id quod ſcientiarum humanarum ordo omnino poſtulat. Recte enim *Ariſtoteles* Analyt. Poſt. Libr. I. c. 15. Ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου· ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος. ἀδύνατον δὲ τὰ καθόλου θεωρῆσαι, εἰ μὴ δι' ἐπαγωγῆς. Idem *ſapientiae antiſtes* rem lucidius exponit *Phyſic.* Libr. I. c. 1. Τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, καὶ μέχρι τῶν στοιχείων. Propoſitum eſt hoc conamine explicare ea *Serierum Figuratarum* ſymptomata, quae *Artis* ſic dictae *combinatoriae* conſtituunt fundamentum; reliquis vel plane miſſis, vel leviter tactis. Qua quidem in re eam, quam rei natura patitur, adhibebo perſpicuitatem, ea expoſiturus, quae fini praefixo reſpondent. Sed ne praefamen excedat ipſum negotium expediendum, orationis vulgaris vinculo ſolutus, rem ipſam adgrediar.

I. *Numeri* qui dicuntur *Figurati* ſupponunt *Seriem Primitivam*, ex terminis aequalibus conflatam; nec non *Generatores*, qui Seriem quamvis propoſitam inchoant. *Series primitiva*, quae ſub formationis conditione ſpectatur, ex qua reliqua omnia quaſi reſultant, poteſt eſſe quaelibet, terminos modo aequales comprehendat; nec non *Generatores* in Seriebus quibusvis ex arbitrio definiuntur. Simplicitati tamen rei propoſitae congruum eſt, componere Seriem primitivam, et Seriei cuiusvis Generatores, ex Unitatibus.

II. His ita conſtitutis, geneſis ſeu formatio numerorum figuratorum, quae involvit ſummas terminorum ex continua additione genitas, eſt in poteſtate, his ſolummodo obſervatis: α. *Terminum primum* Seriei ſequentis reſpondere termino primo Seriei antecedentis. β. Loca vacua inpleri Cyphris. γ. *Terminum quemlibet* in Serie qualibet provenire tum, cum per partes operando, termini uno loco ſuperiores Seriei praecedentis adduntur; unde Terminus genitus in Serie ſequenti aequabitur ſummae terminorum in Serie praecedente uno loco elevatorum. En Schema ipſum.

Indices

*Indices Serierum.*

| Indices Terminorum. | I. | II. | III. | IV. | V. | VI. | VII. | IIX. | etc. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| I. | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | |
| II. | 1 | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | |
| III. | 1 | 2 | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | |
| IV. | 1 | 3 | 3 | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | |
| V. | 1 | 4 | 6 | 4 | 1 | 0 | 0 | 0 | |
| VI. | 1 | 5 | 10 | 10 | 5 | 1 | 0 | 0 | |
| VII. | 1 | 6 | 15 | 20 | 15 | 6 | 1 | 0 | |
| IIX. | 1 | 7 | 21 | 35 | 35 | 21 | 7 | 1 | |
| etc. | | | | | | | | | |

III. Ex Schematis huius contemplatione ſequentia, absque ulla difficultate, colliguntur.

1, Columnas ſeu Series eſſe vel horizontales, vel verticales.

2. Columnam primam verticalem monadibus conſtare; ſecundam numeris lateralibus, tertiam trigonalibus, quartam pyramidalibus etc. in infinitum. *Serierum* enim *ſummatricium*, quales ſunt Series figuratae, ea eſt proprietas, ut ſine fine pergant.

3. Numerum Cyphrarum expreſſum per Indicem Seriei verticalis eſſe unitate minorem. Unde, ſi Series dicatur *m*, erit numerus cyphrarum $m-1$.

4. Columnarum horizontalium terminos ab unitate per intermedios tranſeuntes, adſcendere ad altiſſimum gradum; quem ſi attingerint, deſcendunt per eosdem intermedios usque ad unitatem.

5. Terminum ordinis indefiniti *n* in Serie verticali *m* aequari termino *m* in Serie horizontali *n*.

6. Serierum horizontalium ſummas efficere Progreſſionem Geometricam, eamque duplam. Sic ſumma Seriei horizontalis primae $1 = 1$; ſumma Seriei horizontalis ſecundae $1 + 1 = 2$; ſumma Seriei horizontalis tertiae $1 + 2 + 1 = 4$; ſumma Seriei horizontalis quartae $1 + 3 + 3 + 1 = 8$ etc.

 Propoſ.

### Propoſ. I. Theor.

*Si Series primitiva conſtat Unitatibus, ſumma terminorum quotlibet eſt ad ſummam terminorum totidem ultimo aequalium, ut Unitas ad Seriei primitivae Indicem.*

### *Demonſtr.*

Cum Series primitiva componatur ex Unitatibus, erit Summa terminorum quotvis ab initio eadem cum ſumma terminorum totidem ultimo aequalium, ſeu, quod idem, cum multiplo termini ultimi, iuxta numerum terminorum. Unde, ſi ſumma terminorum quotvis ab initio vocetur $S$, multiplum termini ultimi, quod reſpondet numero terminorum ab initio additorum $n \times 1$, Unitas $1$ et Seriei primitivae Index I. erit utique $S : n \times 1 = 1 : I$.

*Corol. I.* Hinc patet: Rationem dictarum ſummarum inter ſe comparatarum eſſe aequalitatis.

*Corol. II.* Si Series primitiva loco Unitatum comprehendat terminos quoscunque inter ſe aequales, uti, $a = b = c = d = e = f$ etc. erit $S : n \times f = 1 : I$.

### Propoſ. II. Theor.

*Si ſint Series duae figuratae proxime ſe conſequentes, in quarum antecedente ſumma terminorum ad ſummam terminorum totidem maximo aequalium ut Unitas ad Seriei Indicem; erit et ſumma terminorum Seriei proxime conſequentis ad ſummam terminorum totidem maximo aequalium, ut Unitas ad huius Seriei Indicem.*

Vocentur Series duae figuratae proxime ſe conſequentes P et S, in quarum antecedente ſint termini, a, b, c, d, e, f, etc. et in conſequente o, g, h, k, l, p, q, etc. Numerus terminorum in Serie antecedente ſit n; erit in Serie conſequente $n + 1$. Index Seriei antecedentis ſit m; erit Index Seriei ſequentis $m + 1$.* Dico iam: Si in Serie antecedente ſit $a + b + c + d + e + f : n \times f = 1 : m$; fore in Serie conſequente $q + p + l + k + h + g : n + 1 . q = 1 : m + 1$.

*Demonſtr.*

*Demonſtr.*

| | |
|---|---|
| a | o |
| b | g |
| c | h |
| d | k |
| e | l |
| f | p |
| | q |

In Serie antecedente per hyp. eſt $m : 1 = n.f : a+b+c+d+e+f$, item $m : 1 = \overline{n-1}.e : a+b+c+d+e$; porro $m : 1 = \overline{n-2}.d : a+b+c+d$ etc. Iam, cum $q = a+b+c+d+e+f$, $p = a+b+c+d+e$ etc. ex defin. art. I. et II. erit, expreſſis terminis Seriei ſequentis per terminos Seriei antecedentis, $q = \frac{n.f}{m}$, $p = \frac{\overline{n-1}.e}{m}$, $l = \frac{\overline{n-2}.d}{m}$, $k = \frac{\overline{n-3}.c}{m}$, $h = \frac{\overline{n-4}.b}{m}$, $g = \frac{\overline{n-5}.a}{m}$; unde $q+p+l+k+h+g = \frac{nf+\overline{n-1}.e+\overline{n-2}.d+\overline{n-3}.c+\overline{n-4}.b+\overline{n-5}.a}{m}$, et facta reductione $= \frac{n.\overline{f+e+d+c+b+a} - 1e - 2d - 3c - 4b - 5a}{m}$.

Subſtitutis terminis ex Serie conſequente, provenit $q+p+l+k+h+g = \frac{n.q-p-l-k-h-g}{m}$. Sublata fractione per multiplicationem, fit $mq+m.\overline{p+l+k+h+g} = nq-p-l-k-h-g$, factaque translatione $mq+\overline{m+1}.\overline{p+l+k+h+g} = nq$. Sublato $mq$ erit $\overline{m+1}.\overline{p+l+k+h+g} = nq-mq$, et diviſo per $m+1$ utrinque $p+l+k+h+g = \frac{\overline{n-m}.q}{m+1}$. Addito $q$ utrinque, fit $q+p+l+k+h+g = \frac{\overline{n-m}.q}{m+1}+q = \frac{\overline{n+1}.q}{m+1}$.

Diviſo denique per $m+1$, erit $\frac{\overline{q+p+l+k+h+g}}{m+1} = \overline{n+1}.q$;

unde reſolvendo fit $q+p+l+k+h+g : \overline{n+1}.q = 1 : m+1$.

Q. e. d.

Corol. I. Hinc liquet: Rationem, quam habet Summa terminorum quotvis ad Summam terminorum totidem ma-

ximo aequalium, in Serie prima eſſe ut 1 : I; in ſecunda ut 1 : II; in tertia ut 1 : III; in quarta ut 1 : IV etc.

Corol. II. Rationem Summarum dictarum inter ſe comparatarum eſſe conſtantem, ſeu invariabilem, in quavis Serie.

### Propoſ. III. Probl.

*Ex dato Indice Seriei m, et numero terminorum n, invenire terminorum quotlibet Summam.*

### Solutio.

Cum Series P et S de quibuslibet Seriebus poſſint explicari, nec non in Demonſtratione praecedente inventum ſit $o+p+l+k+h+g = \frac{n-m.\,q}{m+1}$; mediante hac aequatione, quae terminorum Summam notat, in methodum incidimus ſummandi terminos quosvis n in Serie qualibet m; hoc ſolum obſervato, Terminum q aequalem Summae uno loco ſuperiorum terminorum Seriei praecedentis art. II. exprimi per ſummam terminorum Seriei praecedentis inventam.

1. Quod ad Seriem primam ex Unitatibus conflatam attinet, Summa terminorum n erit $\frac{n}{1}$. Eſt enim per *Propoſ. primam*, I: $1 = n \times 1$ : S.

2. Pro invenienda Summa terminorum n in Serie ſecunda, ponatur $m=1$, $q=\frac{n}{1}$; unde $\frac{n-m.\,q}{m+1} = \frac{n.\,n-1.}{1.\,2.}$

3. Pro invenienda Summa terminorum n in Seriae tertia, fiat $m=2$, $q=\frac{n.\,n-1.}{1.\,2}$ Erit $S=\frac{n.\,n-1.\,n-2}{1.\,2.\,3}$

4. Pro invenienda Summa terminorum n in Serie quarta, ponatur $m=3$, $q=\frac{n.\,n-1.\,n-2;}{1.\,2.\,3.}$ erit $S=\frac{n.\,n-1.\,n-2.\,n-3}{1.\,2.\,3.\,4.}$

Deni-

Denique in Serie m erit Summa indefinita terminorum n

$$\frac{n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ \ -\ -\ -\ -\ \ n-m+1}{1.\ \ 2.\ \ 3.\ \ 4.\ \ 5\ \ -\ -\ -\ -\ \ m}$$

### Propoſ. IV. Probl.

*Ex dato Indice Seriei m, invenire terminum quemlibet n.*

Solutio.

Cum terminus ordinis n ſit ſemper aequalis Summae terminorum uno loco ſuperiorum Seriei praecedentis; neceſſe eſt, ut tam numerus terminorum Seriei praecedentis, quam Index Seriei dictae definiantur. Eſt autem generationis terminus n in Serie propoſita m, unde numerus terminorum Seriei praecedentis erit n — 1 et Index m — 1.

1. Hinc, cum per Propoſ. III. in Serie prima $S = \frac{n}{1}$, erit terminus ordinis n in Serie ſecunda $\frac{n-1.}{1}$

2. Summa terminorum n in Serie, ſecunda per eandem Propoſ. III. inventa, eſt $\frac{n.\ n-1}{1.\ 2}$; unde terminus ordinis n in Serie tertia erit $\frac{n-1.\ n-2}{1.\ 2}$

3. Summa terminorum n in Serie tertia inventa eſt $\frac{n.\ n-1.\ n-2}{1.\ 2.\ 3}$; unde terminus n in Serie quarta erit

$$\frac{n-1.\ n-2.\ n-3.}{1.\ 2.\ 3}$$

4. Summa terminorum n in Serie quarta inventa eſt $\frac{n.\ n-1.\ n-2.\ n-3}{1.\ 2.\ 3.\ 4}$; unde terminus n in Serie quinta erit

$$\frac{n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.}{1.\ 2.\ 3.\ 4}$$

Denique in Serie m erit terminus ordinis n.

$$\frac{n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4\ \ -\ -\ -\ -\ -\ \ n-m+1.}{1.\ \ 2.\ \ 3.\ \ 4\ \ \ \ \ \ \ \ \ \ m-1.}$$



UofM

### Propoſ. V. Theor.

*In Seriebus figuratis Summa terminorum ab unitate incipientium eſt ad Summam terminorum totidem ultimum ſequenti aequalium, ut Unitas ad Seriei propoſitae Indicem.*

### *Demonſtr.*

Supra oſtenſum in Demonſtratione Propoſ. III. eſſe $p+l+k+h+g = \frac{n-m}{m+1}\, q$. Quae quidem aequatio multiplicata per $m+1$, dat $(p+l+k+h+g)(m+1) = (n-m)\, q$. ex cuius reſolutione provenit $p+l+k+h+g : (n-m)\, q = 1 : m+1$.

Hoc eſt: Summa terminorum ab unitate incipientium eſt ad Summam terminorum totidem ultimum ſequenti aequalium ut Unitas ad Seriei propoſitae Indicem $(m+1)$.

### Propoſ. VI. Probl.

*Ex dato Indice Seriei m, et numero terminorum n, invenire terminorum quotlibet ab unitate incipientium Summam.*

### Solutio.

Cum terminos ab unitate initium capere aſſumamus, evidens eſt, numerum terminorum n ſub hac hypotheſi eſſe $n+m-1$. Si igitur in formulis Summarum ſupra Propoſ. III. inventarum, loco n ſubſtituatur $n+m-1$, terminorum ab unitate incipientium Summae innoteſcent.

1. Nempe, in Serie prima ubi $m=1$, formula ſupra inventa $\frac{n}{1}$ hic etiam valet.

2. In Serie ſecunda, ubi $m=2$, formula ſupra inventa $\frac{n.\, n-1}{1.\, 2}$ transmutatur in $\frac{n.\, n+1}{1.\, 2}$.

3. In Serie tertia, ubi $m=3$, formula $\frac{n.\, n-1.\, n-2}{1.\, 2.\, 3}$ tranſit in $\frac{n.\, n+1.\, n+2}{1.\, 2.\, 3}$.

Deni-

Denique in Serie m erit Summa terminorum ab unitate incipientium

$$\frac{n+m-1.\ n+m-2.\ n+m-3.\ n+m-4\ \cdots\ n}{1.\quad 2.\quad 3.\quad 4\ \cdots\ m}$$

### Propoſ. VII. Probl.

*Ex dato Indice Seriei m, ab unitate incipientis, invenire terminum quemvis n,*

### Solutio.

Cum Summa terminorum quotlibet ab unitate incipientium ex Propoſ. VI. praecedente detur, terminus ordinis n Seriei m ab unitate incipientis, ſimul dabitur, ſi modo m transmutetur in m — 1; unde pro formula illa, quae exprimit Summam terminorum quotlibet ab unitate incipientium, haec pro termino quovis ordinis n in Serie m venit

$$\frac{n+m-2.\ n+m-3.\ n+m-4.\ n+m-5\ \cdots\ n}{1.\quad 2.\quad 3.\quad 4\ \cdots\ m-1}$$

Haec ſunt praecipua, quae myſterio *Combinationum* explicando poſſint inſervire, *Serierum figuratarum* ſymptomata, uti proxima data occaſione conabor oſtendere. Ut plura paucis comprehenderentur, ad rei propoſitae univerſalitatem, quantum fieri potuit, reſpexi; id quod ſcientiarum humanarum naturae eſſe convenientiſſimum cenſeo. Equidem ſcio, *Io. Walliſium*, in *Arithmetica ſua Infinit.* quaedam huc ſpectantia de Seriebus figuratis attuliſſe; ſed is rem totam *Inductione ſola* firmans, iis, qui methodi univerſalis leges ſectantur, minus ſatisfacere videtur. Maiori cum ſucceſſu hoc diſcuſſerunt argumentum *Iac.* et *Io. Bernoullii;* ille in ſua Arte Coni. hic Tom. III. Operum Lect. Hoſp. 47. quibus meretur iungi b. *Chriſtianus Aug. Hauſenius*, in Elem. Matheſ. anno 1734. Lipſiae in 4to editis, quo duce me olim *Mathemata* percepiſſe ſemper laetabor.

DU

## DU CONTRACT SOCIAL, OU PRINCIPES DU DROIT POLITIQUE.

i. e.

## *DE CONTRACTU SOCIALI LIBER, SEU PRINCIPIA Iuris politici. Auctore I. I. ROUSSEAU, Cive Genev.* foederis aequas Dicamus leges.

Amſtelod. 1762. ap. Marc. Mich. Rey, pl. 13. in 8.

Quem hic indicamus librum auctoris ſatis etiam in vulgus noti, tanto quidem ille magis omnium merebitur attentionem, quanto vehementiores eum dediſſe turbas, quantoque maiorem auctori contraxiſſe ignominiam, ignotum eſſe nemini poteſt. Ac profecto, nonnulla in eo dicta occurrunt, quae vel parum prodant in Chriſtianae veritatem doctrinae fervoris; vel in eandem etiam iniurioſa non immerito iudicentur. Quaedam etiam, neque haec pauca ſunt, quae minus probentur regibus dominisque populorum, quod ſupremam eorundem poteſtatem, iusque populis ſibi ſubiectis dominandi naturale, infringere videntur. Ceteroquin virum agnoſcas doctum, ingenioſum, rerumque civilium peritum, quique ſumma utitur ſentiendi, quaeque ſentiat proferendi, libertate. Stylus elegans eſt, conciſus, et ad philoſophicam ſcribendi rationem accedens; neque ullum fruſtra poſitum verbum invenias, cuiusque non ſit conſtans ſignificatio, aut quod ſine ratione poſitum videatur. Noſtrum eſt, libri ſummam exponere; quod eo quidem accuratius faciemus, quo dignior eſt, qui ab omni ſupra vulgus eruditorum ſapiente cognoſcatur.

Diſquiſiturus eſt Auctor, num in Ordine civili, ſumtis hominibus talibus, quales ſunt, et legibus talibus, quales eſſe poſſunt, quaedam poſſit adhiberi regula adminiſtrationis, quae et legitima ſit, et ſatis tuta, ita ut iuſtitia ab utilitate indivulſa permaneat: ad quam diſquiſitionem ſuſcipiendam quadam quaſi obligatione ſe ait teneri, cum reipublicae liberae civis, et ſummae poteſtatis particeps, iure gaudeat

ſuf-

ſuffragii in negotiis publicis; per quam occaſionem obiter ſimul ſibi patriae ſuae formam regiminis maxime placere profitetur.

„Homo liber naſcitur, et tamen ubique ſervus eſt, et a dominis, magis etiam interdum ſervis, regitur. Cuius cum mutationis cauſſa lateat, id modo quaerendum eſt, unde reddi legitima poſſit. Atque non eſt vis, quae legitimam faciat, quod coactus obedire populus omni tempore ius retinet ſe in libertatem quam primum poteſt vindicandi; ordo contra ſocialis ſacrum ius eſt, et reliquorum omnium baſis. Ius vero illud non a natura proficiſcitur, ſed nititur pactis, quae ſcienda ſunt et explicanda. Haec eſt ſumma Libri I.

„Societas antiquiſſima et ſola naturalis domeſtica, ſeu ea eſt, quae patrem et liberos coniungit. Neque vero in hac ipſa ſocietate liberi adſtricti patri diutius manent, quam illo ad ſe conſervandos indigent; qua ceſſante indigentia ſtatim vinculum naturale diſſolvitur, neque poſt hoc tempus, niſi ſponte, et quaſi pacto uniuntur. Haec igitur ſocietas primum quaſi exemplar eſt ſocietatum politicarum, ita ut princeps ſit imago patris, populus autem liberorum; et omnes nati liberi et aequales aliquid de ſua libertate remittunt, unice propter ſuam utilitatem. Quem quidem finem in dubium vocare non recte *Grotius* audet, niſus exemplo ſervitutis, quae in dominorum tantum ſit utilitatem inſtituta; ut quandam etiam poteſtatem ſolis imperantibus favere, temere evincat: ita, ut utrum omne genus humanum pauci homines tamquam rem ſuam poſſideant, an pauci hi ad omnes pertineant, in dubio ipſi relinquatur. Quo etiam redit *Hobbeſii* ſententia. Quin ipſe adeo *Ariſtoteles*, effectu ſumto pro cauſſa, non omnes homines natura aequales, ſed ad ſervitutem alios, alios ad imperandum naſci, contendit. At, quod natura ſervi ſunt, id inde eſt, quoniam contra naturam ſervi alii ante facti ſunt; quosque violentia primos fecerat, hos inertia propagavit.

„Nullum eſt ius fortioris ad dominium ſibi arrogandum,

...amquam cauſſa phyſica, ius, effectus
... ...nquam poteſt. Sumto enim hoc, cum
...mutari, et vires prioribus maiores harum ius
...ceretur. Iam quale ſit ius illud, quod viribus
... intereat? Quos neceſſitas cogit parere, his
...ate non opus eſt, quin ſi eſſet, tamen haec ipſa
...um neceſſitate abiret.

Nulla igitur hominis in hominem naturalis poteſtas eſt, neque vires eam tribuunt, ſequitur ergo, ut e pactis omnis poteſtas legitima derivetur. Neque vero populus alienare ſuam libertatem, ſeque vendere poteſt. Cum enim ſervus certe propter victum ſe in ſervitutem addicat, et domino vendat; populus contra non a rege, ſed rex a populo alitur. Neque tranquillitas a rege ſatis in tuto collocatur; certe cum longe peſtilentioribus malis eſt coniuncta. Nullum igitur hic pretium venditionis eſt; et eiusmodi actus, tamquam inſani hominis, nullus. Quin, etiamſi ſe ipſe quilibet poſſet, tamen nemo pater alienare ſuam prolem poteſt, quae cum humanitate ac libertate naſcitur, cuius diſpoſitio libertatis ſolis ipſis relinquenda. Si quis autem libertati ſuae renunciet, is renunciaſſe naturae humanae, ſimul et iuribus ac officiis humanitatis, cenſendus eſt; et eſt eiusmodi pactum, per quod cum libertate omnia amittuntur, vanum, repugnans, ac per ſe nullum. Aliam cum aliis *Grotius* originem ſervitutis e bello derivat, cum, quae illorum ſententia eſt, victori victos occidere, hisque vitam libertate redimere liceat. At fruſtra ius illud occidendi e bellico ſtatu deducitur. Homines enim ſinguli, ſibi natura non inimici, ſtatum belli efficere nequeunt, qui ex rerum tantum inter ſe relatione inter civitates naſcitur univerſas. Ac tum quidem accidit modo, ut homines ſibi ſinguli hoſtes ſint, non ut homines, neque ut cives, ſed ut milites ſpectati. Quocum conſentit uſus perpetuus omnium nationum cultiorum, quae prius quam bellum inferant, indicere illud ſcripto publico, more ad cives et ſubditos praemonendos inſtituto, ſolent; neque, ſi iuſtitiae ſtudeant,

deant, res privatorum, ſed publicas invadunt, terram hoſtilem ingreſſi. Unde illud etiam facile patet, non eſſe ius defenſores reip. occidendi, niſi cum arma habent in manibus, at meros alias homines conſiderandos. Ius igitur quod dicunt expugnationis non poteſt niti iure occidendi victos, quippe quod nullum eſt; ſed iure virium, de quo ſupra dictum fuit.

„Haec igitur quamvis iuris ſervitutis vanitatem luculenter comprobent, tamen, etiamſi quae confutata ſunt omnia liberalius concedantur, ſemper ad praecedens aliquod pactum eſt refugiendum, ſi de origine reipubl. quaeratur. Summum enim profecto diſcrimen intercedit multitudinem inter ſubiugatam, et ſocietatem regendam; inter dominum cum ſervis, et populum cum ſuo duce; inter congregationem, et ſocietatem, cui bonum publicum eſt, et quae corpus aliquod politicum efficit. Regem ſibi, ipſo Grotio teſte, dare populus poteſt: atqui haec poteſtas, hic actus civilis, publicus, populum iam declarat ante fuiſſe, quam regem haberet, et teſtatur de antecedente aliquo pacto, quo minor etiam numerus obligetur ut maioris ſeſe numeri ſuffragiis ſubmittat.

„Scilicet, videntur homines aliquando deveniſſe eo, ut quibus implicìti fuerant in ſtatu naturali, impedimenta, vi ſua ſuperaverint vires ſingulorum; ad retinendum ſtatum ſuum a quolibet adhibendae. Ergo coacti homines ſuam immutare conditionem, cum novas ſibi vires creare non poſſent, coniunxerunt neceſſario quas haberent, cum pluribus ſeſe conſociando. Vires autem et libertas ſingulorum cum eſſent ad eorum conſervationem vel maxime neceſſaria, adhibenda fuit aſſociationis forma talis, qua omnibus viribus coniunctis protegerentur ac defenderentur perſona et bona cuiusque ſocii, et qua, cum ſinguli ſe unirent cum omnibus, non tamen parerent niſi ſibi ipſis, et priſtinam ſuam libertatem retinerent. Inde igitur ortum eſt pactum ſociale; quod, omiſſis quae ad eſſentiam eius non pertinent, hac fere formula conciperetur: Noſtrum quilibet confert in commune

mune ſuam perſonam et quae poſſidet, ac poteſt, omnia, ſubiiciendo directioni ſupremae voluntatis generalis; et recipimus in corpus omne membrum tamquam partem a toto inſeparabilem. Quo conſociationis actu ſtatim producitur corpus aliquod morale, compoſitum, unum, efficax. Producitur perſona publica, privatarum unione formata, et *Civitatis*, vel *Reipublicae*, aut *Corporis politici* nomine appellata; quodſi tamquam patiens ſpectatur, *Status;* ſi ut agens, *Suprematus* (Souverain); comparatum cum aliis, *Poteſtas;* ſocii autem ſimul ſumti *populus;* ſinguli, ut participes ſupremae poteſtatis, *cives;* ut legibus publicis ſubiecti, *ſubditi* nominantur.

„Patet ex antecedentibus, actum conſociationis efficere mutuam omnium erga ſingulos, et ſingulorum erga omnes obligationem, et quodlibet reipublicae membrum quadam ratione ſecum ipſo contrahere, ſeu potius cum toto, cuius ipſum pars ſit, adeoque duplici teneri obligatione. Neque vero, contraria ratione, eo quod publice deliberatum eſt, ſupremátus erga ſe ipſum obligatur, ſimilis quippe hac in parte privato homini ſecum paciſcenti; ita ut nulla ſit ipſi fundamentalis lex, nec ipſum pactum ſociale. Neque tamen id impedit, quo minus optima cum alieno ratione paciſci ſupremátus poſſit; modo nihil illo pacto derogetur actui illi primario, per quem exiſtit, et quo violato eſſe deſinit. Cum primum multitudo illa hominum in unum corpus eſt collecta, neque hoc laedi, quin a membris; neque horum violari quodcunque poteſt, quin a corpore ſentiatur. Suadent igitur ratio et officium, ut ſi ſit opus, alterum alteri, corpus membris, et membra corpori, mutuum ſemper ferant auxilium: quod ſupremátus quidem membris ferre nunquam omittet, cum fieri non poſſit, ut corpus membris ſuis velit nocere; at alia eſt membrorum ratio ſingulorum. Haec enim tamquam individua, et homines, poſſunt velle ea, quae ſunt generali omnium voluntati contraria, et a commodo publico aliena, ita ut frui quidem iuribus civium expetent, nolint autem facere ea, quae ſunt officii ſubditorum.

torum. Cui incommodo ut caveatur, et ne nuda ſit formula pactum ſociale, illam ſemper conditionem, tacite quidem, complectitur, ut quicunque non paruerit voluntati generali, per totum corpus coerceatur, eoque compellatur; quae eſt conditio ſola certam reddens fidelitatem ſubditorum, eorumque libertatem, et ſine qua impiae ac tyrannicae forent obligationes civiles.

„Ac profecto maximae ſunt opportunitates ſtatus civilis, et efficit ille mutationem in homine notatu admodum dignam. Subſtituit enim inſtinctui in agendo iuſtitiam, efficit moralitatem actionum, et ut, priusquam obtemperet homo appetitui, rationem conſulat. Iam amittitur quidem libertas naturalis, et ius illimitatum ad omnia ea, quorum ipſi aſſequendi facultas eſt: contra vero, praeter libertatem moralem, et plurima commoda alia, quae in animum inde redundant, acquiritur libertas illa civilis, quae, cum iſta viribus cuiusque, potius voluntate generali terminatur; et proprietas eorum quae poſſidentur.

„Quodlibet ſocietatis membrum, et ſe huic, et omnes facultates ſuas, quarum partem faciunt quae poſſidet bona, concedit. Quo quidem actu non ipſa quidem poſſeſſio mutatur, neque ius ad eam augetur, verum fortior illa, tutior, magis irrevocabilis redditur. Ac ius omnino primi quod vocant occupantis, quod labore maxime et cultura rerum occupatarum acquiritur, veri naturam iuris non ante induit, quam eum proprietatis ius acceſſit. Neque vero illud ad plura extenditur, quam quae ſunt neceſſaria, et ab aliis omnibus poſſeſſorem excludit. Terrae autem privatorum coniunctae et contiguae cum territorium conſtituant publicum, ius inde ſuprematus et perſonale, et reale fieri, facile patet. At ſimul etiam e bonis ſingulorum, fidelitatis eorum quaſi pignora exſiſtunt; quae eſt opportunitas, recentiorum temporum regibus melius, quam priſcis perſpecta, qui Perſarum ſe et Macedonum reges, non ut nunc Franciae et Hiſpaniae appellabant. Tantum vero abeſt, ut ita cedendis reipublicae bonis quidquam inde amittant privati,

 ut

ut cuncta potius recipiant; et mutata quidem in iuris veritatem uſurpatione, fruitione in proprietatem, firmiora, tutiora, magisque legitima. Attamen ius quod habent privati in ſuas terras, ſive habuerunt eas ante factam ſocietatem, ſive poſt unitis viribus occuparunt, ſubordinatum ſemper manet iuri quod eſt in eas civitati univerſae.

Expoſita igitur ratione, qua e ſtatu naturali in civilem homines tranſeunt, et conditionibus pacti ſocialis eſſentialibus explicatis: nunc *libro ſecundo* de legibus ſcitu maxime neceſſaria A. proponit.

„Cum ſuum quisque commodum ſpectet potiſſimum, id quamquam cum publico commodo ſtare ex omni parte nequit; tamen ſunt quaedam quaſi momenta, in quibus cum publico commodo videntur convenire commoda privatorum, unde poſſibile redditur pactum aliquod ſociale, cuius quippe ineundi finis ſolum bonum publicum ſpectatur, communi omnium voluntate procurandum. Quae quidem generalis voluntas alienari, et per unum aliquem repraeſentari nulla ratione poteſt. Huius enim particularis voluntas etſi quadam ex parte congruere cum publica voluntate poſſit, iſta tamen congruentia durabilis et conſtans eſſe nequit; certus de ea ſaltem, et ſecurus eſſe, nemo unquam poteſt. Quare, ſi populus obedire ſimpliciter promittat, eo ipſo promiſſo eſſe ſtatim deſinit, et corpus politicum diſſolvitur. Attamen licet colligere populi conſenſum ex univerſali ſilentio, cum ſe opponere decretis liberum eſſet, conſervato, uti mox pluribus dicetur.

„Quae eſt ratio cur voluntas generalis alienari nequeat; propter hanc eandem etiam dividi non poteſt. Aut enim eſt illa totius populi, et ita generalis; aut eſt partis tantum, et particularis: ſi illud, *lex* efficitur; ſin hoc, oritur *decretum.* Errant igitur, qui dividunt eam per obiecta in iura belli, foederum, iuſtitiae, onerum imponendorum; quae eiusdem ſunt emanationes, partes faciunt, atque ita ens aliquod multipliciter compoſitum, imaginarium, concinnant. Dici non poteſt, quantis hic politicorum error involverit obſcu-

obſcuritatibus, et difficultatibus impediverit ſcriptores minus exactos. Neque vero hoc ita eſt intelligendum, ut conſenſus totius populi unanimis requiratur: modo omnis quae dicitur formalis excluſio debet abeſſe, et ſuffragiorum omnium ſit habita ratio.

„Sequitur ex his, voluntatem generalem ſemper eſſe rectam, et ad publicam tendere utilitatem: neque tamen inde concludi illud poteſt, populi deliberationes eandem ſemper rectitudinem ſervare. Numquam enim non volumus id quod eſt bonum; ſed nonnumquam bonum non videmus. Numquam poteſt corrumpi populus, falli autem ac decipi poteſt; ac tum quidem velle id, quod eſt malum, videtur. Si cum deliberat populus ſatis inſtructus, nulla eſſet civibus inter ſe communicatio, e plurimis ſingulorum levis momenti in ſentiendo differentiis, generalis voluntas, bona ſemper, relinqueretur. Verum ambitione, et conſociationibus particularibus, universali contrariis, ſolet accidere, ut pauciores differentiae voluntatem minus generalem, quin, ſi harum conſociationum una aliqua praevalet, modo particularem relinquant. Sapiens ergo fuit Lycurgi ratio, qua effecit, ut ex ſua quisque ſententia iudicaret: ſi id tamen ſatis obtineri non poſſit, multiplicandis illis ſocietatibus inaequalitati erit cavendum.

„Quemadmodum homini natura poteſtatem in omnia membra ſua dedit abſolutam, ita perſonae corporis politici morali denegari eadem nullo iure poteſt. At cum publica illa perſona conſtet privatis, quarum vita et libertas naturaliter ab illa non dependent: probe omnino iura mutua civium et ſuprematus, et illorum officia tamquam ſubditorum, a iure eorundem, tamquam hominum, naturali, ſunt diſtinguenda. Quidquid virium, bonorum, ac libertatis, pacto ſociali unusquisque alienat, cum ſit pars horum tantum ea, cuius uſus prodeſt ſocietati, quaecunque a civibus reipublicae deberi officia tum, cum a ſupremata, neceſſaria illa eſſe iudicante, exiguntur, facile apparet. Contra ille ſuperflua exigere, per ipſam rationis ſufficientis legem, non poteſt.

poteſt. Ac tum quidem generalis voluntas erit vere talis, quando communis ſpectatur utilitas. Quippe debet illa et obiecto et natura eſſe generalis, debet eſſe omnium, ut profit omnibus; ac videtur perdere aliquid ſuae rectitudinis, cum tendit ad obiectum aliquod individuum et determinatum; unde duae quaſi diverſae oriuntur partes, et univerſalitas tollitur. Patet inde, non tam ſuffragiorum numerum, quam utilitatem communem, voluntatem reddere generalem; ac nobile illud iuſtitiae et utilitatis vertere vinculum, per quod ſibi quae fieri exoptat, ipſe praeſtare nemo detrectat. Non eſt igitur voluntatis generalis, ſive ſuprematus, actus ſuperioris cum inferiore, ſed corporis cum quolibet membrorum ſuorum conventum, legitimum, aequabile, firmum, ſalutare; quo non niſi ſibi ſuaeque voluntati ſubditi obtemperant. Unde perſpicitur, liberam unicuique eius, quod ſibi remanſit bonorum et libertatis, diſpoſitionem relinqui: quippe transactionum ſuprematus generalium fines egredi, et praegrande cuiquam onus imponere, nulla ratione poteſt. Quis igitur, per pactum ſociale ullam vel ſecuritatis, vel libertatis, virium aut vitae dicat fieri iacturam? quis non ea omnia magis per illud firmari, augeri, defendi, ac protegi concedat?

„Vitam ſuam, quo conſervet, in diſcrimen offerendi cuilibet ius eſt. Habet autem hunc praecipuum finem ſociale pactum, conſervationem nempe ſociorum. Iam qui vult finem, vult etiam media, etſi cum periculo quodam adhibenda; et qui aliorum ope ac periculo vitam ſuam eſt conſervaturus, eandem pro iisdem profundere, cum (quod principis iudicium eſt) neceſſitas exigit, paratus eſſe debet, eaque ſemper eius in qua vivit ſecuritatis conditio eſt habenda. Ac ſimili fere ratione de maleficorum ſupplicio iudicabitur. Nimirum, ne ſit a percuſſoribus nobis metuendum, ſi ipſi quemquam occiderimus, mortem obire, tacita pacti conditione, non recuſamus. Tum qui ius ſociale maleficiis violat, is conatur quaſi intereundi periculo obiicere patriam, proditor eiusdem iure habendus, de laeſo foedere ſociali

convi-

convictus, tamquam inutile ac perniciosum membrum merito ſuo amputabitur. Ceterum, ſuppliciorum frequentia ſemper erit ſignum remiſſi ac torpentis regiminis, adeoque non admittenda, niſi cum ſumma neceſſitas poſtulat. Quod ius attinet afficiendi ſuppliciis meritos, non illud ſuprematui, verum principi competit: contra autem ſoli illi condonandi poteſtas; quamquam omnino illa nondum eſt perducta ad liquidum: ſaltem rarius illâ utendum, quidquid etiam noſtrorum ſcelerum conſcientia contra exoptare videatur.

„Data corpori politico per pactum ſociale exiſtentia, neceſſe eſt ut per legislationem voluntas eidem, et quaſi motus, imprimatur. Omnis iuſtitia a Deo eſt, manens talis abſque omni conventione humana; ac debent ea niti omnes leges ab hominibus ſancitae, pro vanis alias habendae: verum nequeunt homines illam ex tanta ſublimitate repetere, et etiamſi poſſent, nollent eidem omnes ſua ſponte obtemperare. Opus igitur eſt legibus et conventis, quibus copuletur cum iure officium, et ad obiectum ſuum iuſtitia referatur. Vera autem legis notio quo poſſit melius informari, repetamus huc ea de quibus ſupra dictum eſt, ſcilicet, non poſſe eſſe voluntatem generalem de obiecto aliquo particulari. Neque magis poteſt illa eſſe de obiecto aliquo extra rempublicam, quod de re a civitate aliena, certe ratione ſui voluntas generalis eſſe nequit. At ubi populus totus ſtatuit de toto populo, non reſpiciens niſi ſe ipſum, tum demum et res de qua ſtatuitur, et quae ſtatuit voluntas, vere ſunt dicendae generales. Atqui hic actus legis efficit notionem. Quod de obiecto legum generali dictum eſt, inde ſtatim illud perſpicitur, legem ſpectare ſubditos in ſocietate, et actiones tamquam abſtractas; neque illos ut individua, aut has ut determinatas. Non obſcurius etiam inde apparet, cuius ſit ferre leges, cum ſint illae actus voluntatis generalis; princeps, civitatis membrum, an ſit ſupra leges; leges poſſint ne eſſe iniuſtae, nemo cum ſit ſibi ipſi iniuſtus; et qua ratione libertas poſſit ſtare cum ſubiectione legibus debita, hae cum ſint merae voluntatis noſtrae ſignificationes. Quaecunque igitur fuerit ſtatus alicuius adminiſtrationis forma, modo legibus ille regatur, civitatem nominamus; et talis eſſe debet

omnis iuſta adminiſtratio. Populum debere eſſe legum ſuarum auctorem, demonſtratum eſt: reſtat, ut qua id ratione fieri poſſit, doceatur. Non enim hic ſomniandum de conſenſu aliquo univerſali, aut ſubita quadam inſpiratione. Caret coeca hominum multitudo providentia ad eam rem neceſſaria, et ea quae requiritur perſpicacia ad opus adeo difficile legislationis ſapientis. Sponte ſua quidem ſemper vult bonum populus, ſed quod bonum eſt, ſua ſponte non videt. Opus igitur eſt aliquo, qui res ipſi ponat ob oculos uti ſunt, vel uti debent ipſi videri, et qui monſtret quaſi viam, quam quaerit, atque a voluntatis inductione ſingulorum tueatur. Oritur inde unio intellectus et voluntatis in corpore ſociali, naſcitur ſumma totius vis, atque neceſſitas legislatoris.

„At profecto, ſumma, uti iam dictum eſt, muneris difficultas legislatorii, ac maior quam regii eſt; cuius ſi quis partes omnes explere rite velit, deberet is, liber ipſe a commotionibus animi, eas videre in civibus; noſtrae providere felicitati, cum ſua non a noſtra pendeat; neque gloriae fructibus inhiare, niſi inſequente demum ſeculo capeſſendis: verbo, dii ad ſuadendas hominibus leges requirerentur. Debet, quicunque inſtituere populum, et informare rempublicam ſuſcipit, poſſe quaſi immutare naturam humanam, et exiſtentiae phyſicae ac independenti, quam a natura omnes accepimus, ſubſtituere partialem ac moralem exiſtentiam. Demat quaſi de viribus homini propriis neceſſe eſt, quantum poteſt, quo maiores ipſae, additis alienis, magisque durabiles evadant. Neque minus, habita officii ratione, extraordinariam legislator in civitate agit perſonam. Hoc enim, et a magiſtratu, et ſupremàtu diverſum munus efficit, poſitum extra ipſam reipublicae conſtitutionem; ac longe ſeiunctum ab omni poteſtate imperandi, ab auctoritate omni. Quod niſi ita eſſet, ſaepe profecto leges, animi affectuum miniſtrae, et contaminatae privatae utilitatis maculis, auctoris modo iniuſtitiam eſſent continuaturae. Quod idem videns Lycurgus, ſcripturus patriae ſuae leges, regia ſeſe prius abdicat poteſtate; peregrinis autem, curam iſtam legum conſcribendarum, et maxima Graeciae civitatum pars, et recentiores Italiae, hanc eandem ob cauſſam demandant; quas Geneva etiam imitatur, uſa Calvini

hac

hac in re opera, et theologi celebris, et civilis eximii viri; Roma contra, hoc neglecto, parum aberat quin funditus periret. Neque vero, per idem decemvirorum exemplum, ullum legum ſcriptori perferendi ius eſt, quippe a populo nulla ratione transferendum; ita ut et conatus vires ſuperans humanas, et exſequendi auctoritas nulla, hoc in munere coniungi videantur. Supereſt maxima difficultas ea, quod plebi ſapiens loqui cum debeat, occurrant plurimae ipſi notiones, quas idiomate exprimere vulgari vix ac ne vix quidem poſſit. Scilicet, non percipit illa fines rerum generaliores, neque obiecta nimis remota cogitatione aſſequitur, cum ſuo quisque commodo, ſtudii illius animique ſocialis adhuc expers, ſe fruſtrari iudicet. Cui quidem incommodo legum auctores, cum et cogendi, et perſuadendi facultate deſtituantur, medelam adhibere aliam vix poſſunt, quam quae a divina ipſis auctoritate repetitur, qua ſola in auxilium aſſumta, absque violentia cogere, et non convictis perſuadere ipſis licebit. Ac fuerunt hae quidem artes, quibus uſi ſapientiſſimi viri, rudem plebem ad ſuſcipiendum felicitatis publicae iugum adegerunt, cum ſolus ipſorum divinior animus confictam iſtam miſſionem illi probaret.“

Eſſet autem vehementer optandum, ut hoc loco ſubſiſtens ingenioſiſſimus ſcriptor Genevenſis, non coronidem huic capiti vilem maximeque indignam impoſuiſſet; forte non probaretur tum cordatioribus illa eius libri cenſura, qua publice notatus paſſim ignominioſe fertur. Pergit autem ille, ea quae dicta ſunt, transferre ad ſanctiores populi Iudaici leges, et relato Moſe in eundem cum Muhammede cenſum, non quidem in duumviris iſtis, cum faſtuoſa philoſophia, et coeco partium ſtudio, felices impoſtores, verum tamquam ſanior politicus, magnum et praepotens ingenium admiratur. Neſcimus, an in ſanctiſſimam religionem noſtram dici iniurioſius quidquam poſſit.

„Eſt autem, ait, vel praecipuum ſapientis officium legislatoris, ut ante quam legibus populum informare ſuſcipiat, attendat maxime, ſitne ille omnino idoneus legibus ferendis: quemadmodum Plato, videns Arcades et Cyrenaeos, tamquam

opulentiores populos, omnis impatientes aequalitatis, leges iisdem ſcribere detrectavit. Ita multae leguntur paſſim floruiſſe nationes, bonis legibus ſuſtinendis plane impares: ita etiam non fere dociles gentes niſi in iuventute, tamquam ſinguli homines, veniente ſenectute, bonae diſciplinae admittendae non amplius idoneae deprehenduntur. Non eſt quidem negandum, incidere quandoque tempora, quibus agitata respublica civilibus turbis, ad Spartae Lycurgi tempore, et Romae poſt Tarquinios expulſos, exemplum, poſt diuturnam ſenectutem novum quaſi primae adoleſcentiae vigorem induat: verum et raro haec accidunt, neque poſtquam ſemel inciderunt, iterum tempora redeunt populo eidem. Acquiri libertas poteſt, recuperari non poteſt. Simili fere ratione ſtatuendum eſt tempus aliquod maturitatis nationum, agnitu quidem difficillimum, et quo non exſpectato, in populo legibus formando opera fruſtra conſumetur. Quod cum anteverterit Petrus M. Ruſſos ſuos rec eaturus; fore, ut hi numquam vere culti ſint, ſatisque politi, et ut vicina illi Tatarica natio, et ipſos aliquando, et nos quoque in ſuam redigat poteſtatem, non dubiis ſibi rationibus Auctor divinatur.

„Quemadmodum, ut ſuis ſe viribus poſſit ſuſtinere, iuſto minores reipublicae limites eſſe non debent; ita ſtatuendus eſt etiam aliquis finis, intra quem ſe contineat neceſſe eſt, niſi debilitari ipſa ſua magnitudine velit. Nimis enim late patentibus terris, et, propter diſtantiam, difficiliorem earundem adminiſtrationem, et ob miniſtrorum ipſorum multitudinem, gradibus ſemper altioribus diſtinctorum, oneroſiorem populo, ad ſumtus eo maiores faciendos coacto, fieri, facile patet. Porro minuetur amor populi erga ſuos duces, quos numquam viderit; erga patriam, mundo ſibi ſimilem; erga cives denique, quos habebit pro peregrinis. Tum legum morumque diverſitas erit turbarum ac diſſenſionum ſcaturigo; hominum diſperſorum dotes, virtutes, et vitia ignorabuntur; adminiſtrorum regiminis intermediorum multitudo, eorumque fides ſaepe ſuſpecta, omnem poſtulabunt ſuperiorum curam, cum ea felicitati et tranquillitati patriae debeatur. Eſt etiam certa aliqua baſis et firmitas neceſſaria civitati, ad repellendos motus et impetus vicinorum, quibus continuo agita-

agitabitur; quae baſis melius continebitur, ſi non admodum latae ſint terrae, nimisve diſtentae, et ab impreſſionis ſenſu in aliquam partem facto immunes. Unde apparet, rationes quae ſuadeant amplificationem terrarum, raro in ipſa reipublicae forma poſitas, ſaepiſſime nonniſi extrinſecus accedere, adeoque eſſe ſubordinandas momentis, eas finibus continendi, in ipſa reipublicae natura quaerendis.

„Duo cum ſint, quorum in metiendo corpore aliquo politico debet ratio haberi, terrarum ſcilicet amplitudo, et numerus populi; non eſt niſi conveniens horum duorum proportio, quibus vera civitatis magnitudo determinatur. Neque enim, quae eſt proxima metuendae ratio invaſionis, nimiae eſſe terrae; et earundem ſufficientia offendendi alios debent vitari incitamenta. Fieri autem propter diverſitatem non poteſt, quae et in ſoli conditione, et ipſorum hominum indole, item aliis rationibus deprehenditur, ut proportio aliqua inter terrarum amplitudinem, et hominum numerum, fixa ſtatuatur. Ita regione montuoſa, ob facilitatem proventus, feminarum foecunditatem, et baſeos exiguitatem horizontalis, plus occupare ſpatii: contra in regione maritima, quantumvis ſterili, ob metum piratarum, item piſcationis et coloniarum educendarum commoditatem, anguſtioribus ſeſe finibus continere, conſentaneum fere eſſe videtur. Utut autem ſit, pacis ſemper accedat conditio oportet, ſine qua reliquae omnes forent inutiles, cum ſtatus reipublicae informatur. Eo enim temporis momento, ſi fames aut ſeditio incidat, interitus reipublicae certo ſequetur; et eſt ipſum illud conſtitutionis momentum, quod opus legislatoris atque tyranni certiſſimo criterio diſtinguit. Ex iis autem quae hactenus dicta ſunt, facile poſſunt colligi populi legibus inſtruendi conditiones; ſimul autem, cum difficulter illae coniunctae deprehendantur, cur ita pauci ſint ſtatus bene informati perſpicietur. Exempli loco Auctor Corſicam inſulam ponit, quam legislationi adhuc aptam, et libertate dignam iudicat, quam tanta conſtantia et fortitudine recuperarit atque defenderit; hanc etiam, animo praecipit, Europae quondam univerſae admirationi eſſe futuram.

„Finis bonorum, ad quem ſapienti legislatione contenditur,

referri ad obiecta potiſſimum duo poteſt, libertatem ſcilicet, et aequalitatem. De illa quidem ſupra dictum eſt; haec autem non gradus potentiae et opum abſolute eosdem, verum eos poſtulat, quibus et omnis violentia, et emendi civem facultas, aut ſe vendendi neceſſitas excludatur. Quae cum ſint obiecta omnium bonarum conſtitutionum communia, quantum licet attendenda, debent illa pro ratione terrae, quam quisque populus habitat, et pro ipſorum incolarum ingenio, determinari et modificari ita, ut ſyſtema inde inſtitutionis particulare, et non per ſe quidem, verum ſtatui illi, cui deſtinatur, optimum oriatur. Ita ſolum habitantes ſterile et ingratum, artes; bonum contra et fertile, eliminatis artibus, agrum colent. Vicinia maris commoda navigationem et mercaturam: aſpera autem et ſcopuloſa barbariem et ichthyophagiam ſuadebit. Si quis autem contra naturam leges ſcribere, et diverſam ab illa viam ingredi temere audeat, mox profecto irrito effectu debilitari ſenſim ac frangi ſtatum publicum videbit.

„Varia, pro relationibus variis, legum publicarum diviſio fieri poteſt. Ita ſi totum ad totum, ſuprematus ad ſtatum referatur, leges inde oriuntur politicae, quae etiam, ſi ſapienter fuerint concinnatae, iure fundamentales appellantur; alias liberum populo eſt, leges, uti volet, immutare. Deinde ſi referantur membra ad ſe invicem, quae minima relatio; aut ad totum corpus, quae quam maxima eſſe debet: leges inde ſic dictae civiles enaſcuntur. Tum ſi hominis ad legem, inobedientiae ad poenam fiat relatio, dabit ea leges quas vocant criminales; quae tamen pro ſanctione magis, quam pro forma quadam legum erit habenda. Parum autem omnes leges roboris, vitae, et ſtabilitatis habebunt, niſi verum earum fulcrum, anima, et fomentum, mores nimirum, conſuetudines, et inprimis opinio, acceſſerint: quae debet adeo eſſe maxima ac praecipua cura legislatoris ſapientis. Ex his omnibus quaſi claſſibus legum, ſola hic prima veniet conſideranda.

„Erit igitur nunc de politicis legibus, ſeu, quod idem eſt, de forma gubernationis agendum. Quod quo melius fieri poſſit, tenendum illud eſt, ad omnem corporis politici, per-

inde

inde ut unius hominis, actionem, duo, voluntatem, ſeu poteſtatem legislatoriam, et vires, ſeu exſecutoriam, requiri. Illam ſolius populi eſſe, uti ſupra demonſtratum: haec contra, actibus modo particularibus exſerenda, non eiusdem, verum corporis cuiusdam inter ſubditos et ſuprematum intermedii eſſe debet, quod et legum exſecutionem, et libertatis tam civilis, quam politicae, tutelam procuret; in quo regimen conſiſtit: eius autem corporis membra *magiſtratus*, aut *Reges*, totum autem *Princeps* nominatur. Patet inde, actum illum, quo populus ſibi duces, et quaſi caput aliquod conſtituit, non eſſe pactum, verum nudam aliquam commiſſionem quam dicunt; duces autem illos meros ſuprematus miniſtros, cui quippe ſumma in eos poteſtas ſit. Sunt igitur in principe vires ſtatus intermediae, quarum rationes efficiunt rationem totius ad totum, ſeu ſuprematus ad ſubditos. Quae poteſt ratio repraeſentari per rationem duorum extremorum in proportione continua, cuius media proportionalis ipſe ſit princeps. Sit igitur aequalitas, oportet, inter potentiam principis per ſe, et productum potentiae civium; neque poterit terminus immutari ullus, quin ſtatim proportio diſſolvatur. Item, ſicut una tantum in ratione media proportionalis, ita bona etiam in civitate regiminis forma tantum una eſſe poteſt; quae tamen bonitas, pro rationibus populi diverſis, et in variis ſtatibus, et variis in eodem temporibus, formarum etiam varietatem minime excludit. Ita pro numero populi maiori, principis potentiam maiorem eſſe debere, ratio ſuadet, qua populus contineatur; ac tum contraria quoque ratione, vires ſuprematus maiores, quibus principem cohibeat. Poteſt autem princeps, perſona moralis, corporis politici inſtar, diſpertiri in alias et alias rationes et proportiones ſimiles, dum ad medium aliquem terminum indiviſibilem, id eſt, unum aliquod caput et magiſtratum ſupremum deveniatur; qui in progreſſione illa poteſt concipi tamquam unitas in ſerie fractionum et ſerie numerorum. Diſcrimen aliquod praecipuum inter corpus reipublicae, et corpus principis, in eo poſitum reperitur, quod illud quidem per ſe, hoc autem nonniſi per ſuprematum exiſtit, huius potentia agit, huius voluntatem ſolam exſequitur. Attamen, quo habeat veram quandam vitam,

et

et ſeiunctam ab ipſa republica exiſtentiam, ſit ipſi ſua etiam quaedam potentia et voluntas, ſuam tendens ad conſervationem, neceſſe eſt. Ad quam quidem exiſtentiam requiruntur conventus, conſilia, deliberandi ac decernendi poteſtas, iura, tituli, privilegia. Sunt autem iſta ſapienter et caute conſtituenda, ne publico bono officiatur.

„E principis ratione ad ipſius civitatis rationes, ſaepe mutabiles, plus vel minus accommodata, diverſi naſcuntur eius vigoris et quaſi ſanitatis ſtatus; cuius diverſitatis cauſſa aliqua generalis eſſe videtur. Scilicet tres ſunt diverſae voluntates in quavis magiſtratus perſona: una individui, quae in legislatione perfecta debet eſſe nulla; altera communis omnium magiſtratuum, ſeu voluntas corporis; tertia voluntas populi ſive ſuprema, quae praevalere ſemper, caeterarumque norma eſſe debet. Contrarius autem huic eſt ordo naturalis, quo quippe primum voluntas particularis locum, medium corporis, ultimum populi tenere ſolet. Hinc ſi omnis principatus ſit in unius poteſtate, ita iunctis individui et corporis voluntatibus, ille uſu virium liberiori ſummam omnium efficaciam adipiſcetur. Contra, unito principatu cum legislatoria poteſtate, itaque corporis et populi voluntate confuſis, praevalente voluntate modo particulari, vires principatus minimam tum quidem efficaciam habebunt. Porro experientia uti hoc, ita et illud confirmat, tanto quidem lentiorem eſſe negotiorum geſtionem, quanto plurium curae illa mandata ſit, cum nimium prudentiae, parum fortunae et celeritati tribuatur. Ex his igitur, et virium reprimentium augendarum pro numero populi neceſſitate, illud ſequitur, eſſe principatum in paucioribus manibus debere, quo amplior ipſa reſpublica ſit, lateque patentior. Caeterum haec ad vires principis, non ad ipſam eius rectitudinem pertinent; cuius quippe contraria ratio eſt. atque ea omnino res temperanda legislatoris prudentiae iure relinquitur.

„Explicatis praecedente capite diverſitatis in principatu cauſſis, iam de ipſis formis videndum. Scilicet, ſi vel ad univerſum populum ille, vel partem certe eius dimidia maiorem pertineat, *democratiae;* ſi ad minorem dimidio, *ariſtocratiae;* ſi ad unum ex illo, *monarchiae* adipiſcitur appellationem: quae

tamen

tamen ipſa monarchia quandam etiam recipit communionem; quemadmodum duos conſtanter Sparta reges, Roma ad ſeptem aliquando imperatores habuit. Poteſt idem etiam principatus in quasdam quaſi partes ſubdividi, diverſis rationibus adminiſtratas, quarum ſingulae iterum per formas illas ſimplices omnes poterunt multiplicari. Patet autem ex iis quae antea dicta ſunt, democraticam rationem optimam eſſe ſtatui anguſtiori, ariſtocraticam mediocri, amplis monarchicam; niſi rerum accidentium ratio aliud quandoque ſuaſerit.

„Quamquam ſuam optime voluntatem interpretari, ſuasque optime leges exſequendas curaturus ipſe populus videri poſſit: fieri tamen illud, ut iam ſupra dictum eſt, ex rationibus ſane graviſſimis non poteſt. Ac profecto democratia, ſi ſtricte illam vocem ſumſeris, vera, neque fuit olim, neque in poſterum exiſtet. Partem enim maiorem gubernare populum, et hunc negotiorum publicorum gratia manere perpetuo congregatum, ſatis intelligi non poteſt; neque enim plura minora tribunalia, gerendis iſtis negotiis, ſine ſummo periculo ſubſtituentur. Quam difficulter praeterea, quae in iſta regiminis forma neceſſario requiruntur, ſumma ſcilicet terrarum anguſtia, morumque ſimplicitas, ordinum porro et fortunarum aequalitas, ſanctae tandem virtutis aſſiduum ſtudium; quam raro iſta omnia coniuncta reperias? Quid dicendum de civilibus bellis, motibusque inteſtinis, quibus magis quam caeterae democratica forma obnoxia eſt. Si populus eſſet deorum, hic ſane democratice regeretur.

„Duae ſunt in Ariſtocratia diſtinguendae voluntates: una, quae ad corpus principale, altera quae ad cives univerſos refertur, eaque nonniſi populi ipſius nomine proponenda. Primae quidem ſocietates fuerunt ariſtocratice gubernatae, cum familiarum capita de negotiis publicis deliberarent; quae fuit ratio eius naturalis. Divitiis porro ac potentia praelatis aetatis prudentiae, orta eſt Ariſtocratia electiva, optima omnium; cui, potentia cum opibus a patre in liberos propagata, peſſima tandem illa hereditaria ſucceſſit. Altera quidem illa laudari praecipue meretur; et habet complura, in quibus Democratiae praeſtet. Nam cum propter integritatis atque virtutis rationem membra eliguntur, certe debeant eligi, ſunt illae pignora gubernationis ſapientis. Negotia etiam facilius, commodius, diligentius, et efficacius a paucis nobilibus, quam a multitudine promiſcua peraguntur. Porro conſentaneum eſt rationi, ad rem quae poſſit effici per centum homines, non adhiberi viginti millia. Neque hic tanta ſtatus anguſtia, aut populi morum ſimplicitas, verum mediocris magnitudo requiritur. Non autem haec forma omnimodam requirit fortunarum aequalitatem: potius ratio praeferre opulentiores plerumque ſuadet, qui, liberi a domeſticis curis, eo maiori contentione invigilent publicis.

„Si perſonae alicui naturali, non morali tantum, demandetur omnis legum exſequendarum poteſtas, Monarcha illa, ſive Rex appellatur. Hic igitur, tamquam individuum, contraria alteri ratione, ens re-

praeſentat collectivum; in eoque ſolo et populi et principis, uti voluntates ita vires, uniuntur, et ad eundem tendentes finem, leviſſimo negotio maximos producunt effectus. Verum, quod dolendum eſt, non eſt finis ille felicitas publica. Non enim procurando flore et commodo populi, amor eius, ſed debilitato illo et in miſerias coniecto, metus quaeritur. Convenit autem monarchicum imperium Statibus modo amplioribus; quippe ordinum intermediorum multitudine, (qui ſunt in illo propter principis a populo diſtantiam nimiam maxime neceſſarii,) facile in ſummam civitatis anguſtioris perniciem verſura. At ſunt varia momenta, propter quae monarchica forma longe ariſtocratica eſt deterior iudicanda. In his eſt ſumma virorum bonorum, intelligentium, ſatisque peritorum raritas, qui ſint in primis reipubl. dignitatibus conſtituti; cum multo populus principe rarius in eligendis viris bene meritis aberret. Accedit ingenium regis, raro, vel numquam, ad ſtatus vel amplitudinem vel anguſtiam accommodatum; quo tamen utroque caſu maximum illi damnum afferri facile poteſt. Praecipuum autem incommodum eſt in continuae defectu ſucceſſionis; quae ſi fiat electione, id propter turbas et ambitionem maxime periculoſum; ſin hereditario iure, propter indolis ſucceſſorum et morum ſaepius pravitatem, aut aetatis imbecillitatem, adhuc periculoſius eſt. Neque recepta educationis principum ratio huic poſſe incommodo mederi videtur. Neque enim, quod ſatius eſſet, potius obedire, quam imperare addiſcunt. Morum etiam et ingeniorum in diverſis diverſa ratio, maximo regiminis boni durationi videtur eſſe impedimento. Unde etiam improbandam eſſe, patet, ſcriptorum politicorum rationem, qui iam refutato errore cum herili ſtatu comparare civilem, et ad id quod eſſe debent principes, non quales ſint, et eſſe plerumque ſoleant, attendere conſueverunt. Si igitur tam raro, Platone iudice, homo ad imperandum idoneus naſcitur: quoties cum natura fortuna ad coronandum illum concurret? Vox autem roſtris ſacris, quam politicorum ſcriptori accommodatior illa eſt, qua malos nos reges, tamquam a Deo irato datos, ferre patienter iubent; non enim an ferendi mali, ſed qua ratione efficiendi boni ſint, quaeritur.

„Principatus, ſi dicendum quod res eſt, propter magiſtratuum vel inferiorum, vel in populari ſuperioris, neceſſitatem, ſimplex numquam, ſemper mixtus deprehenditur. Eſt autem illa potentiae diviſio, vel, ut in Anglia, aequalis; vel, quod ob unionis defectum probandum minus eſt, cuiusque partis poteſtas independens, verum imperfecta. Simplex autem ille per ſe quidem optimus eſſet: tamen, ſi iuſto minor ſit eius a poteſtate legislatoria dependentia, vel diviſionem, vel qui aequilibrio faciendo inſerviant magiſtratus quosdam intermedios, poſtulat. Contra ſi ſit nimis laxus ac debilis, tribunalibus erigendis colligendae vires eius, magisque coniungendae eſſe videntur, ut in omni democratia fieri ſolet.

„Veriſſimum principium eſt, libertatem, a climatum pendentem ratione,

ratione, non omnium eſſe populorum. Perſona enim publica, multa conſumens, producens nihil, cum niſi per membrorum ſingulorum laborem, et per id, quod ab uſu eorum relinquitur, ſubſiſtere non poſſit; ille autem exceſſus a terrae fertilitate, culturae ac proventuum ratione, incolarum viribus, item conſumtionis copia, aliisque rebus pendeat, quae in aliis regionibus aliae ſunt; porro cum tributa publica ſint eo quidem oneroſiora, quo longius a primo ſuo fonte diſcedentia, tardius in eas redeunt manus, unde profecta ſunt, id autem hoc fiat tardius, quo pauciorum, in manibus principatus conſtitutus eſt: monarchiam ſolis nationibus opulentis, ariſtocratiam mediocribus, democratiam tandem tenuibus eſſe accommodatam, neceſſario ſequitur. Habent igitur ſinguli terrarum tractus certas in ſe rationes, cur hac potius quam alia forma debeant adminiſtrari; et calidioribus terris deſpotiſmus, frigidis barbaries, quaeque inter eas interiacent regimen liberius, per ipſarum naturam apta ſunt. Non eſt autem, ſi ea quae dicta ſunt applicare ad ſingulos caſus recte velimus, ſola conſideranda terrarum fertilitas ſterilitasve; ſed cultura etiam magis vel minus laborioſa, conſumtionis diverſa copia, ipſorum ciborum ac proventuum natura, quamque habeant vim ad nutriendum, terrarum denique amplitudo diverſa ab hominum a quibus habitantur inaequali copia, debent venire in cenſum.

„Ergo ſi quaeratur, quaenam ſit optima forma regiminis, ſolvi illa quaeſtio, tamquam indeterminata, una certe ratione non poteſt. At ſi eadem informetur ita, ut requiratur aliquod ſignum, quo populum bene vel male regi appareat: tum vero reſpiciendus erit maxime finis initae ſocietatis civilis. Qui cum ſit conſervatio et proſperitas membrorum, ex numero et multiplicatione generis praecipue aeſtimandae: illum eſſe omnium optimum principatum, ſub quo, absque ope aliena, maxime augetur et multiplicatur aliqua natio, facile cuivis patet; peſſimum, in quo ratio huic contraria obtinet. Minus igitur apparens aliqua requies, principumque tranquillitas, quam ſalus et conditio populi univerſi eſt attendenda. Galliam maximas inter potentiorum turbas, et Graeciam olim copioſiſſimo profuſo ſanguine, liberrimas florentiſſimasque fuiſſe conſtat.

„Vitium eſt, corpori politico inde ab ortu ſuo conſtanter inhaerens, ut perpetuo voluntas particularis contra generalem, princeps agat contra ſuprematum; qua demum actione, cum per alius corporis reſiſtentiam aequilibrium fieri nequeat, citius tardius princeps opprimens ſuprematum, pactum diſſolvet ſociale. Sunt autem duae rationes, quibus degenerare principatus ſolet: una, ipſius coarctatio; altera, diſſolutio ſtatus. Illa fit tranſitu a maiori numero ad minorem, inclinatione ipſi naturali, ut et Veneta hiſtoria comprobat, neque Romanarum rerum memoria refellit, ſi, quod res poſtulat, veram huius reipublicae originem, et alteram quaſi nativitatem a Tarquiniis expulſis; formae autem perfectionem democraticae a tribunatus inſtitutione reputaveris. Haec autem duabus maxime rebus

ſolet accidere; ſi vel princeps, neglectis legibus, et ſuprema uſurpata poteſtate, in maiori illo ſtatu, qui ſtatim diſſolvitur, formet minorem, et populo dominetur; vel cum ſingula principatus membra eam ſibi arrogant poteſtatem, quae nonniſi coniunctis data eſt. Haec igitur ſtatus diſſolutio communi nomine *anarchia*, ſigillatim degeneratio democratiae *ochlocratia*, Ariſtocratiae *oligarchia*, monarchiae *tyrannis* dicitur. Tyranni enim vocabulum, ſenſu proprio et accurato, privatum hominem, principatum qui ſine iure capeſſit, etſi ſecundum leges exerceat; *deſpota* autem eum, qui leges violat ſupremas, deſignat.

„Ea eſt rerum humanarum conditio, ut nihil aeternum duret, omnia tandem pereant, habeantque finem. Eadem etiam corporis politici ratio eſt, quod, ſicut humanum, aliquando intereat neceſſe eſt, etſi maxime robuſtum videatur. Iam cum vitae eius principium poſitum ſit in legum ferendarum poteſtate, quae poteſtas leges ſemel propoſitas conſenſu tacito, qui e ſilentio libero colligitur, quotidie ac perpetuo confirmat; tum demum civitas vivere deſinit, quando poteſtatis illius abſentia e legibus obſoleſcendo debilitatis apparet.

„Suprematus cum non ſint aliae vires, niſi poteſtas legiſlatoria, non agit ille, niſi per leges; quas quippe, voluntatis declarationem generalis, ſolus ferre populus congregatus poteſt. Neque illud ut impoſſibile ridendum, aut repudiandum eſt. Docet enim hiſtoria, immenſam illam Romae multitudinem, quatuor millionum numerum ſuperantem, quam ſaepiſſime congregatam, iura et ſuprematus, et principatus iurium partem exercuiſſe. Quod idem in Graecia, Macedonia, ac Francia, olim conſtat ſervatum.

„Debent autem praeter congregationes, quas caſus extraordinarii poſtulabunt, eſſe certi conventus ordinarii et fixi, et ad certos dies adſtricti; quibus exceptis, omnes alii pro illegitimis ſunt habendi atque irritis, niſi convocati a magiſtratibus eum in finem ordinatis. Congregationum frequentia per circumſtantes rationes, praeſertim poteſtatem principis, (quae quo maior fuerit, eo crebriores ſint oportet,) definietur. Neque tamen haec fere, niſi minoribus ſtatibus accommodata ſunt, de quibus quippe hic praecipue diſſeritur. Quodſi iuſtis aliqua civitas limitibus nequeat contineri, nulla conſtituta urbe capitali, et iuribus ubivis aequatis, alternis opidis conventus agendi ſunt.

„Mox ubi legitima ratione congregatus populus in corpus ſupremum eſt, omnis principis iurisdictio ceſſat, et quaſi ſuſpenditur, nam repraeſentatio non habet locum, ubi adeſt id ipſum quod repraeſentatur. Unde illa ſuſpenſionis intervalla, principibus vehementer exoſa, omni ab iis impediri ratione ſolent; qui finis ſi obtineatur, tandem fit interitus reipublicae cauſſa.

„Propius abeſſe ab interitu ſuo civitas videtur, ubi pecunia, quam perſonis, ipſam iuvare cives praeoptant. Civitate vere libera, manibus omnia cives, nihil pecunia agunt; et regimine ſapienter conſti-

tuto,

tuto, civis quilibet a curis domeſticis liber, ſummo cum publici boni ſtudio, publicos conventus frequentabit. Exſtincto autem fervore patriae, uſus contra privati ſtudii cum terris et provinciis aucto, Deputatorum, quos dicunt, populique vicariorum, eundem repraeſentantium, fuit ratio excogitata; quae, quam ſit perverſa, vel inde apparet, quod ſuprematum alienari nulla ratione poſſe demonſtratum eſt. Probe id olim Romani perſpexerant; horum cum eſſet maximus numerus, numquam tamen tribuni pl. quamvis inviolabiles, neque id auſi ſunt facere, quod lictoribus erat permiſſum, a quibus libertatis invaſio non erat metuenda. Itidem Graeci perpetuo fere erant in foro, ſervis interea in opera domeſtica intentis. Ac, profecto, obtineri poſſe libertas, niſi ſervitutis ope, non videtur; quique noſtris temporibus populi ſervis, ipſi libertate carent. Neque vero haec eo dicta ſunt, quaſi ſervitutis ius legitimum eſſe ſtatuatur; modo praeſentis rerum ſtatus a priſco diverſitas, eiusque rei cauſſa, oſtenditur.

„Cura populi ad ſola obiecta generalia, legesque ferendas adſtricta, harum etiam exſecutioni vacare nulla ratione poteſt. Quibus aequalem per ſociale pactum adeptis libertatem, omnes poſſunt praeſcribere, quid ſit omnibus faciendum; nemini autem ius eſt exigendi ab altero id, quod ipſe non facit. Atque ius illud, ad vitam et motum corporis politici maxime neceſſarium, inſtituto principatu, ſuprematus principi tribuit. Sunt qui actum huius conſtitutionis falſo nominent pactum, populum inter et principes futuros, quo altera quidem pars parere, altera imperare polliceatur: quae eſſet ſane mira quaedam ratio paciſcendi. Quodſi accurate ſatis perpendatur, limitari aut alienari ſupremam auctoritatem plane non poſſe; actum huius pacti cum certis perſonis, tamquam particularem, non poſſe fieri a ſuprematu; partes porro hoc modo paciſcentes, ratione a ſtatu civili prorſus aliena, omni fore mutuae obligationis pignore deſtitutos; tandem, unum eſſe in civitate conſociationis contractum, qui alios excludat omnes. Haec ſi rite cuncta perpendantur, aſſerti illius vanitas oppido patebit.

„Eſt igitur ipſa principis inſtitutio e binis actibus quaſi compoſita, quorum alter eſt ſanctio legis, certam regiminis formam praeſcribentis; alter ipſa principatus membrorum denominatio: quae cum non ſit nova quaedam lex, ſed prioris tantum exſecutio, alia poſſe ratione fieri a populo concipi non poteſt, niſi ſubita converſione ſuprematus in democratiam, civium in magiſtratus, ſine ulla tamen, quae poſſit ſentiri, mutatione. Cuius quidem admirandae corporis politici indolis ratio non eſt in nuda ſpeculatione, ſine exemplo; ſed in curia Anglicana quotidie contingit. Tum porro recens ille magiſtratus vel retinet formam aſſumtam, ſi debeat eſſe democraticum regimen; vel principem inſtituit.

„Quibus poſitis confirmari id, quod ſupra dictum eſt, nimirum, non eſſe pactum aliquod actum inſtituendi principis, ſed legem, facile

unusquisque videat; huiusque principis exiſtentiam, poteſtatem, conditiones, formam, ac durationem, ſive ſit munus eius hereditarium, ſive minus, a ſolo pendere populi arbitrio atque mandato. Suadet autem prudentia, nihil immutare in principatu, niſi quod bono publico ſit adverſum; ſique id fiat, omnem adhibere operam, ne quam populi congregatione ſeditionis praebente ſpeciem, princeps cum ea impedienda iure uti ſuo videatur, illud extendat, tandemque ſupremam ſibi arroget auctoritatem. Quod etiam malum averſuri videntur conventus populi certi ac periodici, quorum ſupra facta eſt mentio; quorumque ſemper exordium quaerendo de praeſenti forma regiminis, numque illam ſervari, idque ab iisdem adminiſtrari conveniat, fieri debet. Sumitur autem hoc loco id, quod ſatis demonſtratum eſt, omnem in civitate legem fundamentalem, ipſumque pactum ſociale, tanto iuſtius poſſe revocari communi populi conſenſu, cum civis quilibet revocare ſe in priſtinam naturalem libertatem, niſi id per fraudem fecerit, excedens e terra, ex Grotii ſententia poſſit.

„Poſtquam de bene conſtituenda civitate ſatis dictum eſt, reſtat ut de confirmanda ea roborandaque exponatur. Ac primo quidem illud certum eſt, unam modo omnium, conſervationis bonique publici, voluntatem eſſe tam diu, quam diu omnes uniti tamquam unum ſe corpus aliquod ſpectant. Tum vero publicum bonum, perſpectu facillimum, nullas deſiderat politicas ſubtilitates, miſeriarum inſtrumenta, quibus a fraude ſe doloque tueatur. Neque in felici illa ſimplicitate magnus legum numerus requiritur; quibus an ſit opus, facile omnes vident, neque ad perſuadendum magnam eloquentiae vim exſpectant. Quamquam autem, privata utilitate praevalente, nodus infirmari ſocialis, ac generalis voluntas quaſi muta effici poſſit: numquam tamen deſtrui illa poterit, planeque deleri. Manet potius conſtans ſemper, puriſſimaque, et in eo ſaltem poſitum vitium eſt, quod, cum omnes quid univerſis bonum ſit videant, illud tamen ſequi omnes nolunt; ſed bonum ei privatum vel ſuum, vel aliorum, corrupti praeferunt, nec quid reipublicae, ſed quid ſibi vel aliis proſit, interrogati reſpondent.

„Quo magis igitur ad unanimitatem accedit in conventibus publicis conſenſus, hoc magis etiam generalis voluntas cenſenda eſt dominari; niſi tamen metu ſit ille extortus, libertati contrario. Quae autem conſenſum omnium unanimem natura ſua exigat lex, tantum una eſt in civitate, pactum nimirum ſociale; cui ſi quis ſe oppoſuerit, illud quidem non infringitur, ſed ipſe tantum ſe ab eo excludit. Ab hoc autem uno ſi diſceſſeris, maior ſemper numerus obligat minorem, qui aliter ſentiendo id modo prodit, ſe aliquam rem habendo pro voluntate generali, quae non erat, fuiſſe deceptum; neque adeo hoc modo verae libertati ulla ratione officitur, modo in pluralitate cernantur oportet veri generalis voluntatis characteres. Probe autem tenendum illud eſt, quo ſint decernenda negotia graviora, hoc ad unanimitatem, (quae vel uno contra ſentiente tollitur,) propius debere accedere partis ſuffragia praevaliturae; quo autem celerius terminanda, hoc eſſe magis reſtringendam ſententiarum diverſitatem, ita ut vel una interdum vox poſſit ſufficere ad vincendum.

„Ad electionem principis et magiſtratuum quod attinet, duplex eſt eam peragendi via: ſors nimirum, atque ſuffragia. Illam quidem democratiae maxime eſſe accommodatam, inde patet, quod electio per ſuffragia omnis eſt munus principatus, in democratia autem adminiſtratio optima eſt ea, qua minime actus multiplicantur; quodque cum vero ſit oneri magiſtratus in democratia officium, nullo id iure huic potius quam alteri imponi ſponte poteſt. Contra vero ariſtocratiae, ubi princeps principem eligit, melius ſuffragia conveniunt. Ac ſortis etiam ratio in vera democratia, (ſi modo talis umquam exſtitit,) propter ſummam civium omni ex parte aequalitatem, parum habitura incommodi videtur. Quodſi promiſcuus ſit ſuffragiorum ſortisque uſus, illa quidem ad ea potiſſimum munera tribuenda, in quibus dotes quaedam ſingulares requiruntur, ut militaria; haec ad caetera commodiſſime adhibentur, quae non deſiderant niſi virtutes ordinarias, civibusque cunctis communes, uti munera iudiciaria. In monarchia nullum, neque ſors, neque ſuffragia locum inveniunt, quippe poſita electione in ſola monarchae poteſtate.

„Quae ſit optima ſuffragiorum dandorum colligendorumque ratio, e modo comitiorum habendorum a Romanis adhibito optime poteſt intelligi. Auctor igitur

ea,

ea, quae huc pertinent, ex hiſtoria Romana copioſius affert; quae tamen nos, brevitati ſtudentes, tamquam doctioribus aliunde iam cognita, huc repetere iure omittimus.

„Conſtituendae exactae, vel principem inter et populum, vel illum et ſuprematum, vel ex utraque parte proportioni, idoneus tribunatus eſt; qui cum efficiat ſeparatum ab ipſa civitatis conſtitutione corpus, neque ullam habeat poteſtatis vel legislatoriae vel exſecutoriae portionem, illius tamen conſervator eſt, legumque defenſor. Eſt ille firmiſſimum bonae conſtitutionis fulcrum, modo non ſit nimia eius poteſtas, et prohibendi tantum iure contineatur. Quamprimum enim aliquid ſibi arrogat vel exſecutoriae poteſtatis, cuius eſt tantum moderator, vel legum ferendarum, quas tueri modo debet, ſtatim in tyrannidem abit: quod et Ephororum Spartae, et Tribunorum pl. Romae, et Decemvirorum Venetiis, exemplum confirmat. Vis autem eius, itidem ut vis principatus, membrorum multiplicatione debilitatur; praeveniendae vero uſurpationi id eſſe optimum remedium videtur, ſi non permanens fiat, ſed per intervalla conſtituatur.

„Adeo ſunt inflexibiles leges, lentae procedendi rationes, magnusque caſuum impraeviſorum numerus, ut a conſuetis interdum formis recedendum neceſſario videatur. Quod ubi fieri ratio manifeſta, idque raro, ſuadebit, duplici potiſſimum effici via poterit: vel, ſi reſtringendo principatu ad unum aut duo eius membrorum, illius efficacia augeatur; quod ſolebat fieri Romae, quando formula ſolenni conſules providere incolumitati reipublicae iubebantur: vel ſi ſupremum aliquis conſtituatur reipublicae quaſi caput, ad quem omnes obmuteſcant leges, quique per aliquod tempus ſuſpendat auctoritatem ſuprematus, neque tamen ipſe legibus ferendis exerceat. Ac tales quidem erant Romae dictatores, primis quidem reipublicae temporibus, ſaepe nimis ac temere, magno cum contemtus populo; ultimis autem raro nimis ac parce creati, ut vel ſolum Catilinariae coniurationis exemplum confirmat, in qua, ſi umquam, opus fuit aliquo dictatore. Ceterum, quam breviſſimum ſemper huic muneri tempus attribui conſentaneum eſſe intelligitur.

„Quemadmodum voluntas generalis lege, ita iudicium publicum declaratur cenſura, quam qui adminiſtrat, cenſoris venit nomine, ſequens in pronunciando communem populi opinionem, ad quam quippe ſolam eiusdem mores, ac de rebus turpibus vel decoris iudicia, diriguntur. Quae cum naſcatur opinio ex ipſa legislationis forma, legibus autem labefactatis etiam mores degenerent: cenſuram, patet, non reſtituendis moribus collapſis, ſed bonis conſervandis, rectis etiam tuendis opinionibus, aut figendis incertis, eſſe maxime accommodatam. Nullum denique, ſicut ipſa opinio libera eſt, neque in cenſoris tribunali debet eſſe coactionis veſtigium; et cernebatur hac in re ſumma olim Romanorum Lacedaemoniorumque prudentia: ut cum hi, conſpurcato ephororum tribunali a Samiis quibusdam ebriis, eius nationis omnibus ebrietatem edicto permitterent.

„Reges quondam populis non erant niſi dii, neque alius quam theocraticus principatus. Vnde tot erant dii, quot populi, et ex diviſione nationum polytheiſmus traxit originem. Vana igitur fuit Graecorum opinio, orta ex eorum de ſuo in reliquas gentes iure ac naturali poteſtate perſuaſione; qua apud gentes barbaras ſuos ſibi deos reperire videbantur: et ridicula eſt recentiorum eruditio, quae in eruenda diverſorum deorum, fictitiorum omnium, identitate verſatur. Hinc, in civitate cum non eſſent diſtincti dii a legibus, ſed mundi imperium inter ſe quaſi partiri viderentur, nulla erant bella quae vocant religioſa: cui ſe gentium perſuaſioni ipſe populus interdum Iudaicus accommodavit, uti Iudic. XI, 24. teſtatur. Iudaei tamen, ſubiecti primum Babyloniae, deinde Syriae regibus, cum alios, praeter ſuum, deos agnoſcere detrectarent, attrahebant ſibi perſecutiones, ex eorum hiſtoria ſatis notas, quod quidem unicum eſt ante Chriſti nativitatem exemplum. Converſionis alia non erat ratio, niſi ſubiugatio populi, qua facta, cultum mutare victo erat neceſſe. Romani autem tandem, poſtquam cum imperio cultum etiam, ipſumque deorum numerum adoptando, amplificaſſent, eo effecerunt, ut in toto tandem fere terrarum orbe paganiſmus pro una eademque religione haberetur. Et his quidem rerum circumſtantiis Chriſtus in terram adveniens, regnum inſtituit ſpirituale; per quam rem politico ſyſtemate a theologico ſeparato, ac civitate in duas quaſi diviſa partes, et dome-

domeſticae turbae, et, quod nova illa doctrina a gentilium ratione abhorreret, iisque eſſet ſuſpecta, graves Chriſtianorum perſecutiones concitantur. Senſim autem rerum immutata facie, illud alterius mundi regnum, violentiſſimus huius aevi ſub capite viſibili deſpotiſmus evaſit, qui ob perpetuum duplicis iuriſdictionis conflictum bonam politiam omnem excludit: irritique fuerunt et Mohammedis conatus reſtituendi ſyſtema vetus; et fruſtra reges Angliae, ac Ruſſiae Imperatores, capita ſe eccleſiae nominant, cum non ſint niſi miniſtri, eiusque tutores, omni quidquam immutandi poteſtate deſtituti. Cuius rei incommoda, ſolum, Auctor ait, Hobbeſium perſpexiſſe probe, eorumque remedia ſapienter, irrito tamen conatu, propoſuiſſe: eius autem librum non tam eſſe propter falſa quae contineat ſuſpectum, quam propter recte dicta inviſum. Ex his vero, quae hactenus dicta ſunt, facile poſſe confutari binas oppoſitas Bailii et Warburtoni ſententias; quarum alter nullam omnino corpori politico utilem opinionem eſſe; alter chriſtianam eius maximum firmamentum contendit. Illi enim, cuiuscunque civitatis baſin ſemper fuiſſe religionem; huic autem, legem chriſtianam noxiam magis, quam commodam eſſe conſtitutioni civitatis, facile poſſe probari. Eſſe enim, ratione habita ſocietatis, quae vel generalis ſit, vel particularis, duas quaſi religionis formas; religionem ſcilicet hominis, et civis. Illam, reſtrictam ad merum cultum ſummi Dei internum, eſſe puram ac ſimplicem religionem Evangelii, verum deiſmum, et ius divinum naturale; hanc externam, ritibus conſtantem, ad ſingulas quasque eſſe adſtrictam nationes, et poſſe nominari ius divinum civile aut poſitivum, qualis etiam fuerit primorum populorum. His duabus poſſe adiungi tertiam quandam religionem ſacerdotis, per quam duae oriantur diverſae legiſlationes, duo capita, duae partes, duplicis generis repugnantia ſibi officia, et ius aliquod mixtum atque anonymum; qualis ſit religio Lamae, Iaponenſium et chriſtianiſmus Romanus. Tertiam hanc, ut quae ſolvat unionem ſocialem, eſſe manifeſto noxiam: ſecundam bonam quidem eo, quod arctiſſime alliget homines ad leges et civitatem, habere tamen id incommodi, quod ſuperſtructa fraudi et mendaciis fallat homines, eosque reddat credulos, ſuperſtitioſos, ac nonnunquam crudeles et intolerantes. Iam quae ſupereſt, religionem hominis, ſeu chriſtianiſmum, non qui nunc ſit, verum Evangelii, ab hoc plane diverſum, eſſe religionem ſanctam, ſublimem, veram, maximeque concordem, attamen minime convenientem corpori politico, animaeque civili. Nam cum ſit mere ſpiritualis, et occupata ſolis rebus coeleſtibus, nullam eam addere vim legibus, niſi quam per ſe habeant, disiungere homines a terrena civitate patriaeque ardore, aditum ad tyrannidem relinquere ambitioſis atque hypocritis; cui ſe tyrannidi ſummittere Deus iubeat, ſemperque prae vita ventura miſerias huius omnes nihili facere. In proeliis quidem milites chriſtianos fore conſtantes, ſed moriendi potius quam vincendi peritos, aut victoriae admodum cupidos. Neque hic obiiciendas eſſe expeditiones quas dicunt cruciatas, aut gentilium Imperatorum milites chriſtianos: in illis enim non fuiſſe milites chriſtianos, verum ſtipendiarios pontificis vel eccleſiae; hos autem ſola gentilium aemulatione ſtimulatos fortes ſeſe praebuiſſe. Verbo, Chriſtianos natos eſſe factosque ad ſervitutem, quod nec ipſi diffiteantur; et rempublicam chriſtianam eſſe nulla ratione poſſe. Vltimo loco Auctor admonet de iis potiſſimum religionis dogmatibus, quorum profeſſionem a quolibet cive exigendi ſuprematui ius ſit, cum reliqua, quippe ad reipubl. commodum et incolumitatem indifferentia, cuiusque arbitrio ſint permittenda. Sunt autem haec fere: exiſtentia Dei potentis, intelligentis, boni, praevidentis, providentisque; vita futura, felicitas iuſtorum, impiorum poenae; pacti ſocialis legumque ſanctitas; tandemque pravitas etiam intolerantiae, ſive ſit ea theologica, ſive civilis, hae enim nihil videntur inter ſe differre; cum fieri vix poſſit, ut pacem ſervemus cum his, quos credimus damnandos. Iſta autem dogmata qui non receperit, non quidem cogi ad ea credenda, aut e civitate poterit excludi: ſin recepta non obſervaverit, ſupplicio capitali, tamquam coram legibus mendax, iure meritoque afficietur.

Atque haec fere eſt ſumma eorum, quae proponuntur famoſo iſto Ruſſei libro, ſuper quo iudicium lectoribus aequis peritisque integrum relinquimus. — Nobis periculoſa reipublicae pleraque, et in chriſtianorum ſacra quam maxime iniuria viſa ſunt.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

**Calendis Septembris Anno MDCCLXII.**

*Pars I.*


*NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae, TOMUS VII. pro Annis MDCCLVIII. et MDCCLIX.*

Petropoli, typis Academiae Scientiarum 1761. Alph. 3. plagg. 2. in 4. cum tabb. aen. 19.

Quod ſub ipſa auſpicia Imperii Catharinae II. Ruſſorum Imperatricis prodit Volumen Commentariorum celeberrimae Scientiarum Academiae Petropolitanae, huic ipſi Auguſtae dicatum videmus; neque eſt dubium, tuituram Societatem eam, quae inde a Petri magni temporibus, imperii gloriam etiam ex litteris illuſtriorem reddidit. Sunt autem hoc Volumine, inſignes iterum, atque aetatem omnino laturae diſſertationes propoſitae, quarum praecipua capita, ciendo guſtui lectorum, non poterimus explanatius heic loci exponere, quam ſi, quod Volumini praefixum eſt, Summarium, huc transtulerimus.

In MATHEMATICIS igitur ſunt: I. *Specimen novae methodi, curvarum quadraturas et rectificationes, aliasque quantitates tranſcendentes inter ſe comparandi;* itemque II. *Specimen alterum methodi novae quantitates tranſcendentes inter ſe comparandi, de comparatione arcuum Ellipſis:* Auctore LEON. EULERO. Verſatur methodus a Cel. Auctore propoſita, ſingulari prorſus modo, circa quantitates tranſcendentes, ſeu eiusmodi quantitates in lineis curvis occurrentes, quae nullo modo algebraice exprimi poſſunt. Semper conſideratio li-

nearum, utcunque ſterilis in ſe videatur, tam Geometriam, quam Analyſin, pulcerrimis inventis locupletavit. Cumprimum enim Geometrae lineas curvas contemplari coeperunt, ſtatim omnibus viribus eo ſunt anniſi, ut tam ſpatia ab iis incluſa, quam ipſam earum longitudinem dimetirentur; quarum inveſtigationum prior circa curvarum quadraturas, altera circa earum rectificationem verſari dicebatur. Quoniam vero neutrum in circulo praeſtari poterat, etiamſi omnium linearum curvarum eſt ſimpliciſſima, eo maiori ſtudio in eiusmodi lineas curvas inquiſiverunt, quae vel quadraturam, hoc eſt ſpatii iis incluſi dimenſionem, vel rectificationem, qua linea recta curvae aequalis aſſignari debet, admitterent. Interim tamen etiam inutiles conatus eorum, qui in quadratura circuli inveſtiganda fruſtra deſudarunt, praeter opinionem plurima egregia inventa ſunt conſecuti; quibus idem uſu venit quod Alchymicis, qui, toti in lapidis philoſophorum praeparatione occupati, etſi voto ſuo exciderunt, nihilo ſecius plurima ſaluberrima remedia in uſum medicinae contulerunt. Poſt inventam autem Analyſin infinitorum, ſummum ſtudium, quod praecipue in quadrandis et rectificandis lineis curvis conſumtum eſt, uberrimos fructus protulit, quibus plures methodos ſatis ſublimes, quarum uſus per univerſam Matheſin ampliſſimus exiſtit, acceptas referre debemus. Quare haud minores fructus ab eorum ſtudio expectare licet, qui in comparatione linearum curvarum, quae per ſe, vel quadraturam, vel rectificationem reſpuunt, exquirenda laborant; in quo negotio certe profundiſſima Analyſeos arcana ſunt adeunda, ita ut, qui hic quidquam praeſtiterit, is plurimum in hac ſcientia profeciſſe cenſendus ſit. Huc ſine dubio eſt referenda nova methodus, a Celeberr. *Eulero* excogitata, cuius ope innumerabilium curvarum, quarum rectificatio omnes vires Analyſeos tranſcendit, arcus inter ſe comparare docet. Pro iis quidem curvis, quarum rectificatio ope circuli, vel logarithmorum, expediri poteſt, hoc cognitis methodis praeſtare licet; ſed totum negotium multo facilius beneficio huius methodi conficitur, quemadmodum

modum ex ſpecimine poſteriore luculenter apparet, ubi comparationem arcuum circularium, aliunde quidem ſatis cognitam, et arcuum parabolicorum, mira ſimplicitate exequitur, ut iam hinc ſumma utilitas huius methodi abunde eluceat.

In altero ſpecimine, hanc ipſam methodum potiſſimum ad Ellipſin accommodatam conſpicimus, cuius lineae rectificationem neque ad arcus circulares, neque ad logarithmos revocari poſſe, inter Geometras ſatis ſuperque conſtat. Neque etiam in hac curva binos arcus diſſimiles, qui inter ſe ſint aequales, abſcindere licet, ex quo multo magis mirum videbitur, dato huius curvae arcu quocunque, ſemper alium arcum, et in dato quidem puncto terminatum, exhiberi poſſe, qui ab illo differat quantitate geometrice aſſignabili, cum hoc ne in circulo quidem praeſtari queat. Si enim differentia inter duos arcus circulares geometrice aſſignari poſſet, eo ipſo rectificatio circuli abſoluta haberetur. In Ellipſi autem haec ratio longe aliter eſt comparata, cum innumerabilibus modis differentia in binos arcus ellipticos definiri poſſit. Simili modo, propoſito arcu ellipſeos quocunque, ab alio quovis puncto arcum abſcindere licet, qui ab illius duplo, vel triplo, vel alio quovis multiplo, atque etiam ſubmultiplo, quantitate geometrice aſſignabili differat. Immo etiam fieri poteſt, ut haec differentia prorſus evaneſcat, ſicque bini arcus elliptici, datam inter ſe rationem tenentes, exhiberi queant; dummodo ratio illa non ſit aequalitatis, quippe quo caſu bini arcus prodeunt inter ſe ſimiles, in quo nihil ſingulare habetur. Cuncta autem haec problemata, que Celeberr. *Eulerus* hic pro Ellipſi expedivit, ſimili plane modo etiam pro hyperbola, atque infinitis aliis lineis curvis multo magis complicatis, reſolvi poſſe manifeſtum eſt: ex quo haec Methodus omni Geometrarum attentione, et uberiori evolutione, digniſſima videtur.

III. *Theoremata, circa reſidua ex diviſione poteſtatum relicta.* Auctore LEONH. EULERO. In numerorum natura plurima adhuc myſteria latere, quae non obſtante

 ſummo

ſummo ſtudio, quo tam veteres, quam recentiores Mathematici, in proprietates numerorum inquiſiverunt, adhuc nobis ſunt abſcondita, iam ſaepius eſt inculcatum; quod merito eo magis mirum videtur, cum prima noſtra quantitatum cognitio circa numeros verſari ſolet. Summa autem difficultas, quam in numerorum indole ſcrutanda offendimus, in eo potisſimum conſiſtit, quod numeri ſint quantitates diſcretae, et natura ſua quaſi continuitatis rationi adverſentur. Non enim, ut linea parum a longitudine pedis deficiens, recte dicitur fere pedalis, ita numerus parum a numero, vel pari, vel quadrato, diſcrepans, dici poteſt vel fere par, vel fere quadratus; vel minima enim differentia naturam numeri, vel paris, vel quadrati, aeque tollit ac ſi eſſet maxima. Eodem modo etiam res ſe habet in diviſibilitate numerorum, et in reſiduis, quae diviſione facta remanent, in quibus nulla ratio continui locum invenire poteſt. Quare, cum methodi in Analyſi adhuc inventae omnes rationi continuitatis innitantur, eas fruſtra ad proprietates numerorum inveſtigandas adhibemus; ſed ad hoc peculiaris analyſeos ſpecies requiri videtur, cuius forſitan prima elementa etiamnum nobis ſunt incognita. In lege igitur, quam reſidua ex diviſione poteſtatum per diviſores quoscunque relicta ſequuntur, Celeberr. *Eulerus* inprimis eſt occupatus, ac plura theoremata adfert, quorum demonſtrationes ſummo rigore adornat. Multo plures autem in hoc genere veritates agnoſcere licet, quarum demonſtratio fruſtra eſt quaeſita; cuius rei exemplum in quantitatibus, ubi continuum ſpectatur, vix reperitur.

IV. *Demonſtratio Theorematis, et Solutio Problematis, in his Eruditorum Actis Lipſ. A. 1754. Menſe Ianuario pag. 40. propoſitorum,* Auctore LEONH. EULERO *). Cum in his Actis

*) Eiusdem Theorematis demonſtrationem, dum haec ſcribimus, ad nos miſit Archidiaconus *Io. Franc. de Tuſcbis de Fagnano ex S. Honorii Marchionibus,* Vir doctiſſimus, atque in Analyſi verſatiſſimus, quam propediem in his Actis exhibebimus. Problematis ſolutionem non attigit.

Actis noſtris Theorema hoc, et Problema, ſine nomine fuerint propoſita, Celeberr. *Eulerus* hic ſe eorum inventorem profitetur. Utrumque eximiam Ellipſeos proprietatem complectitur. In Theoremate enim docetur, quomodo dimidia Ellipſis, diametro quacunque terminata, ita in duas partes ſecanda ſit, ut partium differentia geometrice aſſignari queat, quae ipſa diviſio cum partium differentia in eo exponitur, ut a Geometris demonſtratio inveſtigaretur. Prodiit quidem nuper in Actis Sociorum Academiae Pariſinae huius Theorematis demonſtratio, quae, etſi veritatem enunciatam rite oſtendat, non tamen ex genuinis principiis hauſta videtur. Unde innumerabilia alia eiusdem generis, in ellipſi, aliisque lineis curvis, invenire licet. Idemque ex eo vel maxime apparet, quod Auctor huius demonſtrationis ſolutionem problematis non ſit aggredi auſus, cum tamen ex iisdem principiis noſtri Auctoris expediri queat. In eo autem Problemate quaeritur modus, in quadrante elliptico partem geometrice aſſignandi, quae exacte ſemiſſi quadrantis aequetur. Celeberr. igitur *Eulerus* in hoc ſcripto non ſolum ſuo more Theorema memoratum demonſtrat, ſed etiam Problema hoc reſolvit, idque ope methodi illius novae, quam iam pridem in hunc finem excogitavit, et cuius bina nova in hoc Volumine ſpecimina edidit, quorum occaſione de iſta methodo iam fuſius eſt expoſitum, quae hic repetere ſuperfluum foret. Adiungit etiam alia quaedam non minus notatu digna, veluti id, quod circa finem adfert, quo in ellipſi arcus aſſignatur, qui ſit totius perimetri ellipticae pars tertia.

V. *De aequationibus differentialibus ſecundi gradus.* Auctore LEONH. EULERO. Singularem, atque omnino novam methodum, aequationes differentiales ſecundi gradus tractandi, Auctor traditurus, ſtatim obſervat, plurima atque adeo infinita capita, quorum evolutio etiamnum in Matheſi deſideretur, ad Analyſin, ac potisſimum ad reſolutionem aequationum differentialium ſecundi gradus, reduci. Quoties enim quaeſtio ad partem quampiam Matheſeos, uti vocari ſolet, applicatae ſuſcipitur, eius enodatio duabus opera-

rationibus abſolvitur, quarum alterius ex principiis iſti parti propriis ſolutio ad aequationes analyticas revocatur, altera autem in harum aequationum reſolutione conſumitur. Iam vero principia Mechanicae, ſeu ſcientiae motus, tam ſolidorum, quam fluidorum, tum etiam Aſtronomiae theoreticae, ita ſunt exculta, ut vix quaeſtio excogitari poſſit, cuius ſolutionem non iſtorum principiorum beneficio, ad aequationes analyticas, easque utplurimum differentiales ſecundi gradus, perducere liceat. Ex quo manifeſtum eſt, praecipuam Matheſeos perfectionem, quam quidem ſperare licet, in huiusmodi aequationum reſolutione eſſe quaerendam. Quam ob cauſam Celeberr. Auctor, cum iam ſaepius in hoc negotio vires ſuas exercuiſſet, ac varias methodos particulares, quae ſaepius in uſum vocari queant, in medium attuliſſet, hic omnino novam latiſſimeque patentem viam ingreditur, iſtas aequationes tractandi, quae in hoc conſiſtit, ut multiplicator inveſtigetur, in quem huiusmodi aequatio ducta fiat integrabilis. Quin etiam pronunciare non dubitat, cuiuscunque fuerit ordinis aequatio differentialis, ſemper eiusmodi multiplicatorem negotium conficientem dari, atque in hac diſſertatione nonnulla huiusmodi aequationum genera, quae aliis methodis inacceſſa videntur, hac methodo feliciter ad aequationes differentiales primi gradus reduxit; neque ullum eſt dubium, quin haec methodus, ſi uberius excolatur, maxima incrementa in Analyſin ſit illatura.

VI. *Enumeratio modorum, quibus figurae planae rectilineae per diagonales dividuntur in triangula.* Auctore I. A. de SEGNER. Quando in Geometria area figurarum pluribus lateribus incluſarum definiri debet, eae per diagonales in triangula reſolvi ſolent, quia tum cuiusque trianguli areae ex cognitis lateribus facile determinantur. Quo pluribus autem lateribus figura eſt praedita, eo pluribus modis eam hoc modo in triangula reſolvi poſſe, vel leviter attendenti ſtatim eſt manifeſtum. Ita cum in quadrilaterum duas diagonales ducere liceat, quadrilaterum duplici modo in duo triangula dividitur. Pentagonum autem quintuplici modo, diago-

diagonalibus ducendis, in triangula reſolvi poſſe reperitur; hexagonum vero 14. modis, et heptagonum 42. modis, octogonum 132. modis, enneagonum 429. modis, etc. quae omnium modorum poſſibilium enumeratio, quo magis cum laterum numero eorum multitudo creſcit, eo fit difficilior et taedioſior. Quare quaeſtio omnino curioſa, et Geometrarum attentione digna videtur, qua lege iſti reſolutionum numeri pro laterum multitudine progrediantur, ut inde pro quovis polygono reſolutionum numerus rite definiri queat. Hinc ill. Auctor, modo prorſus ſingulari et ingenioſo, legem progreſſionis horum numerorum exponit, ac rigoroſe demonſtrat, dum docet, quomodo pro quovis polygono reſolutionum numerus, ex cognita reſolutione polygonorum ſimpliciorum, quae paucioribus conſtant lateribus, colligi debeat. Hac ratione, ſi a ſimpliciſſimis incipiamus, hanc inveſtigationem continuo ad polygona plurium laterum extendere licet, ſicque ill. Auctor ſub finem tabellam adiecit, in qua iſtiusmodi reſolutiones ad polygona 20. laterum usque exhibet. Liceat autem nobis, a ſummo quodam Geometra, qui eandem hanc tabulam calculo ſubiecit, admonitis, (ita ſcribunt Academici Petropolitani,) obſervare, hanc tabulam, ob quendam calculi errorem, tantum usque ad polygona 15. laterum eſſe iuſtam, quippe pro hoc polygono reſolutionum numerus non eſt 751900, ut tabella habet, ſed 742900. ſequentes quoque numeri, dum forte novus error irrepſit, primo ad 17. usque latera nimis ſunt magni, deinde vero nimis parvi, dum pro 20. lateribus reſolutionum numerus eſt 477638700. Facilius haec apparent, ſi ex lege primum obſervata, qua quilibet numerus ex omnibus praecedentibus colligitur, alia ad computum facilior eliciatur, cuius ope quilibet numerus ex ſolo praecedente definiatur. Ita ſi pro polygono $n$ laterum numerus reſolutionum ſit $P$, pro polygono ſequente $n+1$ laterum numerus reſolutionum erit $\frac{4n-6}{n}P$. Quia etiam hinc, ſine conſideratione praecedentium, ſtatim indefinite pro polygono

lygono *n* laterum numerus reſolutionum ita per factores exprimitur, ut ſit:

$$\tfrac{2}{3} \cdot \tfrac{6}{3} \cdot \tfrac{10}{4} \cdot \tfrac{14}{5} \cdot \tfrac{18}{6} \cdot \tfrac{22}{7} \cdot \;\cdot\;\cdot\;\cdot\;\cdot\; \frac{4n-10}{n-1}$$

ubi numeratores quaternario, denominatores vero unitate creſcunt. Hinc ſequentem novam tabulam adiungere e re viſum eſt, quod ill. Auctori huius Schediaſmatis non diſpliciturum eſſe ſperamus.

| Num. laterum. | Num. reſolut. | Num. laterum. | Num. reſolutionum. |
|---|---|---|---|
| III. | 1 | XV. | 742900 |
| IV. | 2 | XVI. | 2674440 |
| V. | 5 | XVII. | 9694845 |
| VI. | 14 | XVIII. | 35357670 |
| VII. | 42 | XIX. | 129644790 |
| VIII. | 132 | XX. | 477638700 |
| IX. | 429 | XXI. | 1767263190 |
| X. | 1430 | XXII. | 6564120420 |
| XI. | 4862 | XXIII. | 24466267020 |
| XII. | 16796 | XXIV. | 91482563640 |
| XIII. | 58786 | XXV. | 343059613650 |
| XIV. | 208012 | | |

VII. *Methodus ſimplex et univerſalis, omnes omnium aequationum radices detegendi.* Auctore I. A. de SEGNER. Complures iam a Geometris excogitatae ſunt methodi, aequationum algebraicarum radices, vel accurate, vel proxime ſaltem determinandi: omnes autem fere poſtulant, ut valores radicum, quae quaeruntur, propemodum iam ſint cogniti, ad quam cognitionem quomodo ſit perveniendum, ſaepenumero parum perſpicitur. Cel. *Bernoulli* iam pridem quidem excellentem methodum tradidit, ope ſerierum recurrentium hoc praeſtandi: verum ipſe animadvertit, hoc modo tantum vel ad maximam, vel ad minimam aequationis radicem appropinquari. Illuſtris igitur Auctor hic mechanicam methodum perquam ingenioſam exponit, ubi deſcriptione

ptione certarum linearum curvarum, limites omnium radicum realium manifeſto exhibentur; conſtructionem autem harum linearum geometricam admodum facilem docet, qua, quovis caſu oblato, fere ſine labore uti liceat. Quae lineae quo accuratius in charta delineantur, eo propius veros ſingularum radicum valores manifeſtant, quibus cognitis, eo promtius, aliarum methodorum beneficio, approximatio inſtituitur.

VIII. *De Problematibus quibusdam Iſoperimetricis.* Auctore PAULLO FRISIO. Iure monet Cl. Auctor in limine diſſertationis ſuae, problema Iſoperimetricum a celeberrimis Saeculi noſtri Geometris, *Eulero* potisſimum, tanto iam ſtudio pertractatum eſſe, ut eorum lucubrationibus vix quidquam amplius addi posſit. Ita ſane *Eulerus* omnem hanc theoriam, quomodo inter omnes lineas quotcunque, proprietatibus communibus gaudentes, eam definiri oporteat, cui maximi minimive proprietas conveniat, uberrime explicavit, methodumque facilem ac planam omnia huius generis problemata reſolvendi tradidit. Verum enim vero, cum huiusmodi inveſtigationes ſemper uberiora ſtudia admittant, ſuosque amatores raro optato fructu, promovendis ultra Geometriae pomoeriis, deſtituant, Cl. quoque *Friſio* non deneganda laus eſt, quod caſus quosdam particulares huc redeuntes, ingenioſa perſpicacitate magis illuſtrare, et breviori calculo exhibere conatus eſt. Ceterum, dum Cl. Auctor p. 231. calculo ſuo praerogativam quandam prae Euleriano tribuit, unam Cel. *Euleri* diſſertationem, in Tomo VI. Commentarior. Petropolitan. proſtantem, compertam habuiſſe videtur. Prodiit autem poſtmodum a. 1744. alia eiusdem de hoc argumento tractatio, Lauſannae excuſa, quam *Methodum inveniendi lineas curvas, maximi minimive proprietate gaudentes*, vocavit, ubi, quae in priore diſſertatione deſiderari poſſe videbantur, abunde ſupplevit. Denique novam problematis huius ſolutionem, qua nihil pulchrius, nihil generalius, nihil magis analyticum eſſe poteſt, ex novo a ſe adornato *Calculo variationum* deductam, cum

Academia *Eulerus* communicavit, quam indicaſſe ſufficiat, dum in aliquo ex ſubſequentibus Commentariorum Voluminibus compareat.

Sequuntur iam ordine *Phyſico-mathematica.* In his ſunt I. *De quibusdam circa lentes cauſticas, et ſpecula uſtoria, emendatis et noviter inventis*, diſſertatio. Auctore I. E. ZEIHER. Vim ſolis calefaciendi, duplici modo, reflexione ſcilicet et refractione, eo usque augeri poſſe, ut effectus etiam intenſiſſimum ignem longe ſuperet, experimenta ſpeculis uſtoriis et lentibus cauſticis inſtituta manifeſte declarant. Ad tam ſtupendum autem effectum producendum, haec inſtrumenta tot labores tantosque ſumtus poſtulant, ut vix quisquam privatus ſibi ea comparare queat, cum tamen in ſcientiae augmentum maxime eſſet optandum, ut naturae ſcrutatores huiusmodi inſtrumentis, iisque perfectiſſimis, eſſent inſtructi. *Archimedes* quidem apud nonnullos Scriptores perhibetur ingenti ſpeculo uſtorio naves hoſtiles ad inſignem diſtantiam combuſſiſſe: apud alios autem, eosque probatiores, de ratione, qua ille in exurendis navibus verſatus eſt, nihil legitur. Quare, cum eundem effectum, ignibus iniiciendis multo facilius conſequi potuiſſet, de rei veritate merito dubitatur. Interim tamen haec, ſive hiſtoria, ſive fabula, Cel. *Buffon* in Gallia excitavit, ut de eiusmodi ſpeculo uſtorio cogitaret, quod ex pluribus exiguis ſpeculis planis, ſecundum ſuperficiem ſphaericam diſpoſitis, conſtaret. Neque fefellit expectationem ſucceſſus; hoc enim modo inſignem vim uſtoriam ad ingentem diſtantiam propagavit. Antequam hoc inventum ad notitiam Cl. Auctoris perveniſſet, iam ipſe de combinandis pluribus ſpeculis planis cogitaverat, quorum lumen reflexum, dum in eundem locum proiiceretur, idem eſſet praeſtiturum, quod ſpeculum metallicum concavum maximis ſumtibus comparandum; ex quo iure ſibi partem quandam gloriae huius inventionis vindicare poteſt. Hic autem inprimis egregium artificium excogitavit, ſpecula quotcunque plana facili negotio ſecundum ſuperficiem ſphaericam diſponendi, idque ope aſſerum, qui,

XI

vi rite adhibita, ſponte quaſi ad hanc figuram incurvantur. Neque vero hic inveſtigationes ſuas terminandas putavit, ſed etiam artificia quaedam excogitavit, tabulis vitreis planis curvaturam inducendi, qua deinceps, tamquam ſpeculo uſtorio, vel binis coniungendis, et cavitatem inter eas aqua implendo, tamquam lente uſtoria, uti liceat. Ad hunc finem aſſequendum, pluribus inſtitutis experimentis, didicit, quomodo tabula vitrea, catino concavo impoſita, igni ita ſit committenda, ut ea tantum non liquefacta catino perfecte ſe applicet, eiusque figuram accipiat, quam deinceps refrigerata conſtanter ſit ſervatura; hoc certe modo maximis orbibus vitreis figura ſphaerica ſine tantis ambagibus induci poterit, quales alioquin politura exigeret. Etſi vero etiam ſine igne huiusmodi orbes vitrei aliquantillum incurvari poſſunt; ob elaſticitatem enim parumper a viribus idonee applicatis ſe inflecti patiuntur: attamen ex hoc ſtatu violento, ceſſante virium actione, mox ſe in ſtatum naturalem reſtituturas eſſe nemo dubitabit. Clar. Auctor autem modum perquam ingenioſum proponit, iſtas tabulas hac ratione incurvatas in ſtatu violento retinendi, ita ut, ſi ſuperficies argento vivo fuerit inducta, altera ſuperficies concava vicem tanti ſpeculi metallici, maxima opera et ſumtibus comparati, eo maiore ſucceſſu ſuſtinere poſſit, quo ſpeculum vitreum radios ſolis multo copioſius reflectit, quam ſpeculum metallicum optime politum. Huc accedit, quod a tali vi externa vitrum non ad figuram ſphaericam incurvatur, ſed ad aliam propius ad parabolam accedentem, quae propterea radios ſolis multo magis in unum focum eſt collectura. Hinc intelligere licet, quanta incrementa ab huiusmodi machinis uſtoriis, intenſiſſimas etiam ignis fuſorii vires longe ſuperantibus, tam in Phyſica, quam praeſertim Chemia, exſpectare poſſimus.

II. *Phaenomenorum Iridis ſeu arcus coeleſtis diſquiſitio.* Auctore SIM. KOTELNIKOW. Iridis originem et naturam Cl. Auctor hic explicandam, et ex principiis dioptricis perſpicue evolvendam ſumſit; ubi ſtatim animadvertit, iam ve-

teribus cognitum fuiſſe, hoc phaenomenon in guttis aqueis per aerem delabentibus generari, dum a radiis ſolis ex adverſo colluſtrantur. Non uno autem modo, ſed pluribus, imo innumeris, iris produci poteſt, dum radii ſingulas guttas ingreſſi, vel ſemel, vel bis, vel pluries reflectuntur, antequam inde revertantur. Etſi enim guttae aqueae inſigni pelluciditatis gradu ſint praeditae, tamen hoc habent cum omnibus corporibus diaphanis commune, quod non omnes radios in ſuam ſuperficiem incidentes transmittant, ſed partem quandam eorum reflectant, unde fit, ut radii ſolares, in guttas intrantes, iam quandam iacturam ſint paſſi. Radii autem ingreſſi, ob eandem rationem, non omnes per guttulam transmittuntur, ſed pars quaedam a ſuperficie interiore reflectitur, quae denuo, ubi inde in aerem erumpere deberet, ex parte quadam reflectitur; ita in eadem gutta, idem radius, plures reflexiones pati poteſt, antequam rurſus in aerem emittatur. Quo plures autem in gutta reflexiones patitur, eo magis debilitatur, ita ut mox omnem vim amittat. Neque vero omnes radii in guttas intrantes, et poſt unam vel aliquot reflexiones inde emergentes, ad Iridem repraeſentandam ſunt idonei; ſed ii tantum, qui in exitu iterum inter ſe fiunt paralleli, quando quidem neceſſe eſt, ut radii, a ſingulis obiectorum conſpicuorum punctis in oculos noſtros transmiſſi, ſint fere inter ſe paralleli. Hinc pro certo ſolis et ſpectatoris ſitu, certae tantum guttulae aptae ſunt ad Iridem producendam, atque aliae quidem, quae radios ſemel reflexos, aliae, quae bis plurieſve reflexos, ad oculos noſtros transmittunt; et quia radii diverſorum colorum diverſam refractionem patiuntur, aliae guttae nobis radios rubros, aliae violaceos, et reliquorum colorum, reddent; ob quam cauſam diverſi colores in Iride, a ſe invicem ſeparati, repraeſentantur. Iam Iris principalis ab iis radiis exhibetur, qui in guttis aqueis ſemel tantum reflectuntur, quae etiam propterea maxime vivida adparet; radii autem bis in guttis reflexi, ideoque multo maiorem diminutionem paſſi, Iridem ſecundariam multo debiliori

liori lumine ſpectandam praebent. Cum ipſum problema, quo vera poſitio omnium cuiusque ordinis Iridum quaeritur, attentione Phyſicorum quam maxime dignum cenſendum ſit, nulli dubitamus, Lectores cum voluptate ſolutionem a Cl. Auctore ſuppeditatam lecturos eſſe.

III. *Deſcriptio ac Explicatio novorum quorundam experimentorum electricorum.* Auctore F. V. T. AEPINO. Pekini commorantes Rever. Patres Societ. Ieſu, pro laudabili ſuo in omne doctrinarum genus ſtudio, a multis annis nullam praetermittere occaſionem ſolent, qua non Academiam Petropolitanam, hoc litterarum commercium debita officiorum reciprocatione colentem, de laboribus ſuis phyſicis, mathematicis, hiſtoricis, geographicis, certiorem reddant. Nunc accidit, ut novo quodam experimento electrico valde ſingulari inſtituto, anſam praebuerint, ad ipſam theoriam electricitatis magis illuſtrandam, et quantum in re, de qua tot ſenſus quot capita, fieri poteſt, fere evictam praeſtandam. Lamina vitrea electrica applicatur ad pyxidem magneticam vitro tectam, quod dum fit, acus magnetica ſtilo incumbens cuſpide ſua confeſtim ſurſum rapitur ad vitrum pyxidem tegens, ipſique horas 2. vel 3. quaſi adglutinata conſtanter adhaeret. Poſtmodum repentine decidit acus, et ad ſitum ſuum conſuetum redit. Aufertur lamina a pyxide, ecce paradoxon! acus dicto citius denuo aſcendit, operculo pyxidis vitreo iterum ſe adglutinans, et ad duarum aut trium horarum ſpatium, non aliter ac ante factum erat, adhaerens. Admota iterum lamina, acus decidit, et ſublata rurſus attrahitur. Hoc vel centies repetere licuit Patribus Ieſuitis. Et haec eſt ſumma experimenti Pekinenſis, in quo nemo non mirabitur, quo modo Electricitas, quae poſt decurſum aliquot horarum penitus extincta videbatur, momento quaſi, et ſine ulla nova frictione, aut excitatione, per ſolam laminae remotionem potuerit reſuſcitari, admota autem lamina iterum extingui. Haec cum ad Cl. Auctoris huius diſſertationis notitiam perveniſſent, mox in cauſam horum tam inſolentium phaenomenorum ſibi

inquirendum eſſe cenſuit, et examinare, utrum ex princi-piis theoriae electricae *Franklinianae*, quam, ut ex libro ipſius, *de theoria electricitatis et magnetiſmi*, conſtat, naturae miro modo congruentem expertus eſt, explicari poſſint. Conſpicere autem ſibi viſus eſt conſenſum prorſus notabilem, de quo ut certior fieret, aliosque, ſi vera ſentiret, convinceret, repetiit primum experimentum Pekinenſe, dein elicuit ex novis phaenomenis varias concluſiones, novaque experimenta, ab his concluſionibus ſibi ſuggeſta, multo ſtudio inſtituit. Solitae auctoris dexteritati tribuimus, quod maximis in hac re cautelis uſus eſt. Scimus, illum valedicturum fuiſſe principiis theoriae Franklinianae, ſi experimenta, quae, quid docere debebant, praevidit, id iuſſiſſent. Accidit autem contrarium; quare nunc in ſententia ſua omnimode ſe confirmavit.

IV. *Obſervatio optica*, *de mutabilitate diametri apparentis foraminis anguſti oculo propinqui.* Auctore F. V. T. AEPINO. Inter alias ſtupendas viſionis affectiones, ex quibus infinita omnipotentis Creatoris ſapientia copioſiſsime elucet, ea quoque proprietas, qua pupilla, pro copia luminis ingredientis, vel dilatatur, vel conſtringitur, nos in admirationem rapere poteſt, tantoque magis, quo minus haec mutatio a voluntate noſtra pendet, ſed ſponte quaſi ad viſionis perfectionem, oculorumque conſervationem, temperatur. Cum pupilla ſit foramen illud rotundum, in iride conſpicuum, per quod radii ab obiectis emiſsi in oculum intrant, in eoque ſuper retina, tamquam in camera obſcura, imagines obiectorum depingunt: hinc fit, ut, quo magis pupilla fuerit dilatata, eo maiori radiorum copiae ingreſſus in oculum concedatur, ſicque imago ſuper retina depicta vividiori lumine exprimatur, ſi quidem lumen externum pari vi fuerit praeditum. Quemadmodum autem, ad ſenſationem excitandam, certa vis luminis requiritur, ita etiam lux nimis fortis delicatisſimo huic organo damnum adferre poſſe in propatulo eſt; quod ne eveniat a ſapientisſimo creatore eſt cautum, ut pupilla a fortiori lumine ſponte ſe contra-

hat,

hat, a debiliore autem ſe dilatet. Experientia hoc luculentisſime teſtatur, dum in locis tenebricoſis pupillae apertura vehementer augeri, ad inſignem autem lucem ad puncti fere parvitatem imminui conſpicitur. Quae etſi ſunt notisſima, tamen ſingularis circumſtantia circa mirabilem utriusque oculi conſenſum, hic a Cl. Auctore primum obſervata eſſe videtur, haec nempe, qua, ſi alter tantum oculus fortiori lumini exponitur, pupilla quoque alterius ſe contrahit, etiamſi multo minorem luminis copiam excipiat; ita memorabili Auctoris exemplo edocemur, ſi quis oculo v. gr. ſiniſtro utens, obiecta per exiguum foramen ſpectat, tunc multo maiorem campum viſionis ſe offerre ipſi clauſo oculo dextro, quam eo aperto; cuius phaenomeni ratio in eo ſita eſt, quod aperto oculo dextro, eiusque pupilla ob maius lumen coarctata, ſimul oculi ſiniſtri pupilla, ob mutuum conſenſum, contrahebatur, quae, clauſo oculo dextro, ob minorem luminis copiam per foramen acceptam, iterum expandebatur; ideo non poterat non maiorem viſionis campum complecti.

V. *Acus novae declinatoriae deſcriptio.* Auctore I. E. ZEIHERO. Optimos ſaepe latet acuum magneticarum fabros, unde fiat, quod nulla opera acubus ſuis eam quam volunt virtutem communicare queant. Hoc autem inde fieri docet clarisſimus Auctor, quoniam acus magneticae vulgares plerumque hoc laborant vitio, quod, ob capitulum ſuſpenſioni inſerviens, duabus quaſi partibus a ſe invicem diſcretis ſint compoſitae, quarum utraque vicem acus ſingularis gerat, ſicque, ob interruptam magnetiſmi virtutem, niſus, ſeſe fixam plagam verſus dirigendi, minuatur. Vitium hoc in pluribus acubus, more ſolito fabricatis, per experimenta luculenter comparuit, dum in iis quatuor poli obſervati ſunt, prorſus uti eveniret ſi binae acus ſimplices ſecundum longitudinem iungerentur, ex quo huiusmodi acus vis inſigniter minuitur. Hinc Cl. Auctor in novam rationem acus declinatorias ſuſpendendi inquiſivit, qua continuitas magnetiſmi, per totam eius longitudinem diffuſi, non interrumperetur,

peretur, hicque ingenioſe excogitatum modum proponit, quo acus ſine ullo capitulo ita ſuſpendi poteſt, ut liberrime ſecundum omnes plagas ſe convertere, et vim ſe dirigendi ſine ullo impedimento exercere queat. Quod ſi ad curſum navium dirigendum applicari poteſt remedium, inſignem inde utilitatem certe expectare licet, cum navigantes nimis crebro de imbecillitate acuum nauticarum adhuc ſint conqueſti. Poſtquam enim ars eſt inventa, etiam duriſſimum chalybem ſumma vi magnetica imbuendi, nihil amplius ad perfectionem acuum magneticarum, quam idonea ſuſpenſionis ratio, deſiderari videtur.

Haec excipiunt *Phyſica*, et quidem I. *Nitraria planta obſcura explicata.* Auctore CAROLO LINNAEO. Plantam hanc Ruſſiae indigenam, in vicinia officinae nitrariae Aſtrachanenſis, primus obſervavit breviterque deſcripſit *Gottlob Schoberus* M. D. cuius *Memorabilia* Ruſſico Aſiatica, ineditum adhuc opus, itineris Aſtrachaniam verſus et ad fluvium Terek usque inſtituti fructum, beneficio viri doctisſimi, *Io. Iac. Lerche*, M. D. Conſiliarii aulici et in curia medica Aſſeſſoris, ex autographo b. Auctoris quondam transſcriptum, nuper ad Academiam pervenit, ideoque deſcriptionem authenticam huius plantae, ſine qua hiſtoria eiusdem manca foret, in gratiam Botanophilorum inde decerpitur. „Inter „exſpatiandum, ait *Schoberus*, in hac Nitraria officina, ſub „menſis Iulii initium, ob ſolum aridum et ſalinum, pauca „quidem vidi vegetabilia, et vix graminum culmos; habet „tamen hiſce in terris Kali ſuam patriam. Vidi enim Kali „maius fruticoſum, Kali incanum brevibus foliis, Kali lig„noſum Linariae foliis, Kali foliis longioribus et anguſtiori„bus. Prae hiſce Kali ſpeciebus iucundam me rapuit in ad„mirationem planta nondum viſa, nec ab aliis Botanicis, „quantum recordor, deſcripta. Eſt autem fruticoſa, unius „ulnae Brabanticae longa; radix nihil ſingulare habet; cau„lis lignoſis conſtat fibris, albiſſimoque cortice eſt obductus; „folia habet anguſta, in ſummitate rotundiora, ad formam „folii Gnaphalii, ſive Elychryſi; flores ſunt regulares penta-

„petali,

„petali, albi coloris; fructus eſt cylindraceus et conicus, „in ſummitate anguſtus et acutus, rubicundisſimus, bina ut-„plurimum ſemina ſubrotunda duraque continens; ſapor eſt „fere nullus, ſed quodammodo farinaceus. Reducere ad „ſuum genus allaboravi quidem, ſed nullum invenire potui; „fructus quidem analogiam quandam *Berberum* praebet, ſed „flores harum non conveniunt cum noſtris, quatenus illi „hexapetali ſunt regulares, hi vero pentapetali, uti dictum „eſt. Ad *Orobum*, germ. *Forlitzen*, quem Botanici inter „*Sorbi* ſpecies recenſent, noſtra planta ex parte, ratione „fructus, accedere videtur; ſed melius eſt novum genus „formare, et in defectu nominis commodioris, ad memo-„riam ſuae patriae *Nitrariam* adpellare." Poſt Schoberum ſimilem plantam in Sibiria, ad lacum ſalſum Iamyſcham repertam, ſub nomine *Caſiae fructu nigro*, deſcripſit *Gmelinus*, quam deſcriptionem in Stirp. p. 178. edidit *Ammanus*. Denique Stellerus, referente *Gmelino* Flor. Sibir. II. p. 237. eandem ſuam Caſiam ad locum ſalſum *deſerti Vrunſcinenſis*, (forte *Orongoenſis*, ab Orongoi amne Selengam ſubeunte cognominati,) obſervavit, et ſub generico *Elaeagni* nomine recenſuit. Hinc occaſionem nactus eſt *Gmelinus*, de hac planta uberius diſſerendi Flor. Sibir. l. c. eamque, praeeunte illuſtri *Linnaeo*, Oſiridis nomine ſalutavit. Aſt inauſpicato accidit, ut Gmelinus aeque ac Stellerus, plantam viderint floribus iam orbam; cumque Gmelinus rogaverit Lerchium, Aſtrachaniae tunc commorantem, ut Nitrariae Schoberi exempla ad ſe mitteret, inter chartas ſiccata, ipſamque plantam viridem deſcriberet, neque hic, quod ad flores attinet, voti factus eſt compos. Tandem ill. *Linnaeus*, ſemina ex Ruſſia accepta in horto Upſalienſi ita colere inſtituit, ut tandem quaeſitos diu flores obtineret; unde iam notitiam huius plantae ad plenariae perfectionis gradum deductam eſſe gaudemus.

II. *Polypi marini*, *Ruſſis* Karakatiza, *Graecis* ὀκτάπους *dicti*, *deſcriptio*. Auctore IO. THEOPH. KOELREUTER. Merito conqueritur Cl. Auctor de paucitate Scriptorum, qui

 hiſto-

hiſtoriam animalium marinorum data opera illuſtrarint. Cauſae in promtu ſunt. Multitudo namque et diverſitas animalium; dein difficultas illa adipiſcendi, quae interdum tanta eſt, ut nonniſi fortuito caſui tribuendum ſit, ſi tale animal inciderit in manus viri docti, amatoris inveſtigationis naturae, hanc hiſtoriae naturalis partem ſuo ſtudio amplificare cupientis. Pleraſque de rebus exoticis notitias peregrinatoribus deberi conſtat, hominibus utplurimum minus eruditis, qui, ad quae potiſſimum attendere debuiſſent, ignorarunt. Scriptores ſyſtematici; *Geſnerus*, *Aldrovandus*, *Ionſtonus*, omnia undecunque corraſerunt, minus ſolliciti de veritate, aut veri ſpecie eorum quae dicerent, quam ne quid ab aliis dictum praetermitterent. Hinc tot in hiſtoria animalium, inprimis marinorum, errores, tot defectus, quos haud facile, niſi erudita opera virorum intelligentium, qui ipſi per terrarum mariumque anfractus longinqua itinera huic uſui inſtituere non grave duxerint, eliminari aut ſuppleri poſſe patet. At quam difficilis, et ſumtuum incommodis praepedita haec res eſt? Clar. *Koelreutero* minori conſtitit curioſitatem ſuam explere, cum viri rerum naturalium ſtudioſi ſua ſponte occaſionem ipſi ſubminiſtrarint, hanc, quam deſcripſit, Polypi ſpeciem, in pluribus exemplaribus accurate examinandi. Ut enim Polypi, Karakatiza dicti, Graecis hominibus, Aegaei Adriaticique maris accolis, in eſcam cedunt; imo a veteribus, quod pluribus exemplis Ionſtonus docet, in deliciis habiti ſunt: ita ob eandem cauſam haec animalia, exenterata, ſicca, in Ruſſiam quoque importari ſolent, gratum palato praebituri edulium tempore ieiunii, inprimis ſi brachia, ſive tentacula, ſpectes, quae elixa et aſſa guſtu vix a carnibus ſuillis diſcernuntur. Exempla Polyporum, in ſpiritu vini ſolius curioſitatis gratia adſervata, effecerunt, ut deſcriptioni ſuae hunc, quem videmus, perfectionis gradum conciliare Auctor potuerit. Denique obſervamus, vocabulum *Karakatiza* ex Tatarica lingua in Ruſſicam invectum eſſe: *Kara* enim Tataris et Turcis *niger* eſt, hunc autem colorem cutis externum, in ſupina

inpri-

inprimis facie, Polypis competere, Auctoris noſtri teſtimonio confirmatur.

III. *Zoophyti marini e Coralliorum genere hiſtoria;*

IV. *Deſcriptio Tubiporae, maris albi accolae:*

V. *Continuatio hiſtoriae Zoophyti marini e Coralliorum genere:* Auctore I. T. KOELREUTER. Aliud rerum marinarum genus hoc loco ſibi ſumſit Cl. Auctor, ſterilem itidem, ac cultura indigentem calcando campum, unde apud hiſtoriae naturalis Scriptores vix nuda rerum nomina decerpſeris, tantum abeſt ut, quod de rebus ipſis ad plenam illarum cognitionem faciat, haurire poſſis. *Zoophyta* ſunt, ut inſcriptio docet, unum e *Coralliorum* genere, alterum *Tubiporae* ſpecies, ab Auctore deſcripta. De primo diſiunctis opellis agit, quoniam duo corpora conſiderat, eiusdem omnino ſpeciei, an patriae eiusdem? non liquet. Alterum Archangelopoli miſſum, ex Gazophylacio Imperatorio alterum depromtum eſt. Utinam omnes theſauri, tam naturales, quam numarii, aliique, in locupletisſimo hoc Gazophylacio latentes, eodem ſtudio atque doctrina in apricum producerentur. Tubiporae ſpecies, hucusque ignota, etiam Archangelopoli ad Cl. Auctorem perlata eſt, unde perſpicitur, inexhauſtas eſſe ubique maris opes, coelumque frigidum inhibere quidem poſſe perquiſitionem circa illas inſtituendam, naturae tamen facultati, in producendis infinitis operibus, limites non ponere. Non eſt cur ad ſpecialia deſcendamus. Obſervamus generatim, tam exteriorem, quam interiorem conditionem atque texturam deſcribi; deinde, cum non conveniat inter hiſtoricos naturales, utrum Zoophyta naturali regno, an vegetabili ſint adnumeranda, experimenta chemica addi, ex quibus clarum fit, ab utroque participare. Hoc nempe gradu a vegetabilibus ad animantia tranſit natura, quam nihil facere per ſaltum, vetus dicterium eſt.

VI. *Obſervationes meteorologicae, factae Petropoli annis 1755. et 1756. cum conſectariis.* Auctore I. A. BRAUN. De obſervationibus ipſis, eadem omnino methodo ac praecedentes

dentes Tomo V. Commentariorum Academiae expoſitae, quarum continuationem ſuppeditant, inſtitutis ac digeſtis, dicere nihil attinet. Singulare eſt, quod hic ex comparatione inſtituta colligitur, primis Februarii diebus anni 1755. frigus in Germania circa Goettingam magis intenſum regnaſſe quam Petropoli. Deinde inter tonitrua, propter hiſtoriam Petropoleos, iſtud memorabile eſt, quo turris templi S. Petri in Caſtello die 30. Aprilis 1756. conflagravit. Ceterum Cl. Auctor, in gratiam eorum, qui thermometro Petropolitano, ſeu Delisliano, minus adſueti, illud cum Fahrenheitiano, Reaumuriano, aliisque, comparare voluerint, concinnavit tabulam ſcalarum omnium fere uſitatiorum thermometrorum, ita iuxta ſe invicem poſitarum, ut comparatio uno intuitu fieri poſſit. Haec inter Tabulas aeri inciſas XVIII. locum obtinet.

Iam deinceps *Aſtronomica* ſuccedunt: I. *De refractionibus in oris ſeptentrionalibus* diſquiſitio. Auctore GODOFR. HEINSIO. Notum eſt, Solis et omnium ſiderum radios, dum, purisſima coeli ſpatia emenſi, in noſtram atmoſphaeram intrant, a tramite ſuo rectilineo aliquantillum deflecti, idque eo magis, quo propius ad horizontem adveniunt. Hinc omnia ſidera altius ſupra horizontem elevata nobis videntur, quam ſi eorum radii recta ad nos pervenirent; atque ob hanc cauſam Sol citius nobis oriri, tardiusque occidere videtur, quam ſine hac radiorum inflexione eſſet eventurum. Differentia iſta, qua altitudo ſiderum ob atmoſphaeram augetur, refractio aſtronomica adpellari ſolet, in qua inveſtiganda Aſtronomi ab omni tempore maxime fuerunt occupati, atque tabulas condiderunt, quibus pro quavis altitudine ſideris obſervata haec refractio aſtronomica deſignatur. Cum autem atmoſphaera noſtra maximis ſit mutationibus obnoxia, facile intelligitur, etiam refractiones haud leviter, pro locorum tempeſtatumque diverſitate, variare debere. Hyeme certe ubique maiores deprehenduntur, quam aeſtate, quia frigore aer condenſatur, ideoque radios magis refringit; et cum in altisſimos montes aſcendimus,

dimus, ubi aer levior eſt et tenuior, ibi quoque minores refractiones experimur. Deinde etiam ſub Aequatore Aſtronomi Galli, graduum terreſtrium dimetiendorum cauſa eo profecti, refractiones minores deprehenderunt, quam Pariſiis; quod ſine dubio aeri, ob inſignem calorem multo tenuiori, tribuendum eſt. Hinc viciſſim concludi debere videtur, in regionibus borealibus, ob frigus intenſiſſimum, refractiones haud mediocriter augeri debere; quam coniecturam relatio Hollandorum, qui anno 1597. in Nova Zembla hybernare coacti, ſolis ortum multo ante, quam expectare poterant, experti ſunt, mirifice confirmare videtur. Cum autem Celeb. *de Maupertuis* in Lapponia refractionem ſiderum omni cura exploraſſet, eam praeter expectationem haud maiorem invenit quam Pariſiis, quod merito tamquam inſigne paradoxon eſt ſpectandum. Clariſſimus igitur diſſertationis huius Auctor, hanc inveſtigationem, ſumma qua pollet vi ingenii, ulterius eſt proſecutus, et poſtquam *Ludovici de l' Isle de la Croyere*, ad ultimos fines Sibiriae ablegati, obſervationes, ad oſtium fluminis *Olenek* habitas, omni ſtudio ac ſollertia examinaſſet, in hac quoque tam boreali regione, cuius latitudo 73. gradus ſuperat, refractiones Pariſinis non maiores fuiſſe demonſtrat, ac frequenter adeo minores ipſi ſunt viſae; quod inexpectatum phaenomenon in Aſtronomia certe maximi momenti eſt.

II. *Relatio obſervationum circa longitudinem penduli ſimplicis inſtitutarum.* Auctore A. N. GRISCHOW. Poſtquam ſollertiſſimus obſervator *Griſchowius*, praematura morte Academiae et litterato orbi ereptus, rationem obſervationum ſuarum in inſula Oſilia, ad Lunae parallaxin accuratius definiendam, a. 1757. inſtitutarum, quem in finem potiſſimum hoc iter ſuſceperat, in praecedenti Volumine reddidiſſet, nunc obſervationes quoque, quas ad gravitatis determinationem, ſummo ſtudio et cura in eodem hoc itinere inſtituerat, exponit, ex quibus theoria Telluris maxima incrementa adeptura videtur. Cum enim ſatis ſuperque fuiſſet explora-

tum, tam ob motum diurnum telluris, quam ob eius figuram ſphaeroidicam, vim gravitatis ſub aequatore diminui, propter polos autem augeri oportere, ex obſervationibus adhuc inſtitutis regula eſt ſtabilita, cuius ope ad quamvis latitudinem vera gravitatis quantitas definiri queat. Concluditur autem ea ex numero oſcillationum, quas pendulum datae longitudinis dato temporis intervallo abſolvit. Namque ex principiis mechanicis evictum eſt, quo maior fuerit gravitas, ſeu niſus deorſum, eo frequentiores reddi eiusdem penduli oſcillationes. Quare certiſſima methodus, vim gravitatis explorandi, in hoc conſiſtit, ut oſcillationes, a pendulo datae longitudinis certo tempore peractae, accurate numerentur, id quod Cl. Auctor *Revaliae*, *Pernaviae*, et in *Oſilia* inſula, omni adhibita induſtria et circumſpectione praeſtitit. Saepius autem repetitis, ac diverſimode inſtitutis huiusmodi experimentis, in his locis motum penduli aliquanto tardiorem deprehendit quam Petropoli, unde quidem, quod regulae illi egregie eſt conſentaneum, ſequitur, in his locis, utpote magis aequatorem verſus ſitis, gravitatem eſſe minorem quam Petropoli: ipſa autem differentia cum multo maior prodierit, quam ea regula patitur, concludendum inde videtur, non ſub omnibus meridianis diminutionem gravitatis aequatorem verſus eandem legem ſequi, neque in omnibus locis, ſub eodem parallelo ſitis, gravitatem eſſe eiusdem magnitudinis; immo etiam fortaſſis non omnes meridianos eadem figura eſſe praeditos, neque totius terrae figuram ita eſſe regularem, ut adhuc eſt creditum: cuius rei aliae quoque obſervationes Viror. Clariſſimor. *Maire* et *Boſcovich*, in ditione Pontificia, ad dimetiendos gradus duos meridiani inſtitutae, non levem ſuſpicionem praebent. Hic igitur ſcrutatoribus naturae ampliſſimus campus aperitur, in veram terrae figuram, tam novis obſervationibus et experimentis, quam rationibus ex interna eius indole petitis, multo accuratius inquirendi.

Atque hae ſunt, hoc Commentariorum Petropolitanae Academiae Volumine, ſummorum virorum diſquiſitiones,

qui-

quibus, quantopere et augeatur, et illuſtretur liberalis doctrina omnis, nemo non videt. Eſt vero adhuc aliquod *Supplementum* capiti Voluminis praemiſſum, de *Ibice imberbi*, cuius aequum eſt, etiam hic ideam lectoribus noſtris exhiberi. In Volumine V. novorum Commentariorum p. 345. exſtat b. *Gmelini* deſcriptio Ibicis imberbis, Ruſsis *Saiga* dicti, ubi inter alia dicitur de dentibus: „eſſe in maxilla inferiore quatuor inciſores, et quatuor caninos, cum quinque „molaribus, quorum ſingulis binae radices ſint; ſuperiorem „autem maxillam eodem inciſorum et caninorum numero „gaudere," et quatuor tantum molaribus, triplici radice ni„xis, praeditam eſſe." Haec cum legiſſet ill. *Linnaeus*, per litteras Upſalia d. XIV. Oct. 1760. datas, dubium Academiae movit de dentibus primoribus in ſuperiore maxilla, et de caninis in inferiore, tamquam naturae omnium cognitorum animalium repugnantibus, rogavitque, ut, ſi hoc animal umquam Petropolim perferatur, aut ſi cranium eius obtineri poſſit, illud attente inſpiceretur, ipſeque de obſervatis Academiae certior redderetur. Iudicium tanti viri mox in eius partes deſcendere Academiam iuſſit, etiamſi multum miraretur, Gmelinum in re tam clara, nulliſque in obſervando difficultatibus obnoxia, deceptum fuiſſe. Fatendum autem eſt, quod tota Ibicis imberbis deſcriptio Gmeliniana feſtinationem, qua confecta eſt, redoleat; procul dubio accuratiorem ſuppeditaſſet, ſi in reditu ex Sibiria, per itineris rationes, regionem in qua hoc animal commoratur, ipſi denuo peragrare licuiſſet. Tanto igitur magis neceſſarium erat, animal denuo examinare, eiusque talem dare deſcriptionem, quae, omne dubium avertendo, nihil non complecteretur, quod ad iuſtam ideam facere poſſet. Exhibuit hanc, hoc ſupplemento, *Alexius Protaſſow*, V. Cl. Profeſſionis Anatomicae Adiunctus, ex duobus cadaveribus animalis, maſculi et foeminei, quae ex Ucrania et Orenburgo, opitulantibus Viris Excell. *Gregorio Teplow*, et *Baſilio Adodurow*, ad Academiam perlata fuerunt. Non deſcribimus eam deſcriptionem, quam iſtarum rerum curioſi

in

in his ipſis Commentariis legere poterunt: hoc certum eſt, exactiſſimam eſſe. Atque ut clarius figura et corporis habitus animalis iſtius pateſceret, mas et femina, Tabula XIX. aeri inciſa, pulchre exhibentur. Iſtud adhuc monemus, in raro opere *Nicolai Witſenii* de orientali et ſeptentrionali Tataria, edit. 2dae pag. 790. confundi hoc animal cum animali Moſchifero, id quod a communi utrique nomine *Saiga* factum eſſe ſuſpicio eſt. Ad finem eius Supplementi, alia eſt, et brevicula iſtius animalis deſcriptio, auctore *Iunkero*, Profeſſore quondam Petropolitano, dein Conſiliario redituum aulico, in Ucrania confecta, ex qua adhuc quaedam, ad pleniorem animalis cognitionem facientia, innoteſcunt. Depromta eſt ex codice manu ſcripto, qui elegantem deſcriptionem geographicam totius Ucraniae, ſeu Parvae Ruſſiae, complectitur.

## *CONIECTURA DE VI ELECTRICA VAPORUM Solarium in lumine boreali. Auctore IOH. HENR. WINKLERO, in Lipſ. Acad. Phyſ. Prof. Publ. Ord.*

Celeberrimus *Mairanus*, occultiorum cauſſarum ſagaciſſimus indagator, delabentibus ex atmoſphaera ſolari vaporibus tribuit vim, qua in atmoſphaeram terreſtrem ingreſſi generent *Lumen*, quod *Boreale* nominatur. Argumenta, quibus cognoſcamus hanc vim, explicuit in Commentatione gallica, *de l' Aurore boreale*, regiae Academiae Scientiarum Pariſinae Commentariis (*Memoires de l' Academie Royale*) A. 1731. inſerta. Epitomen Commentationis, ab Excellentiſſimo *Heinſio*, in Relationibus Novorum Petropolitanorum A. 1739. et 1740. publicatam, tradidi in libro germanico, *Anfangsgründe der Phyſik* §. 627. p. 732-755.

Videamus primo argumenta, deinde contemplemur rationem, qua ex halitibus Solis in atmoſphaera terreſtri Lumen Boreale exiſtere putat *Mairanus;* tandemque diſquiramus, quid ſit, ex quo coniectura fiat de vi electrica in vaporibus Solis.

Origi-

Originem *Luminis Borealis* in vaporibus Solis quaerendam eſſe, *Mairanus*, partim ex hoc intelligi monſtrat, quod lumen hoc ex ſolis vaporibus terreſtribus explicari non poſſit; partim quod id, quod in vaporibus terreſtribus fruſtra quaeritur, in vaporibus Solis clarum ſit atque apertum.

Ex profunditate Solis ſub horizonte in crepuſculi veſpertini fine et matutini initio patet, altitudinem vaporum, qui radios ſolares refringere et reflectere valeant, haud maiorem eſſe decem milliaribus germanicis *a*). Sed materia Luminis Borealis in longe altiori loco Atmoſphaerae Terreſtris verſatur. Arcus Luminis Borealis, quod A. 1726. die 19. Octobris mirationem fecit, Pariſiis ex *Godini* dimenſione 37. graduum, et Romae ex dimenſione Eminentiſſimi Cardinalis *Polignac* 20. graduum altitudinem habuit. Ex harum altitudinum viſarum differentia *Mairanus* demonſtrat *b*), veram altitudinem arcus complexam eſſe 266. milliaria gallica, quae 160. germanica efficiunt.

Quaeritur, cur Lumen Boreale Polo continue propinquius ſit, quam Aequatori? Ratio apta et congruens reddi non poteſt, ſi omnem cauſſam poſitam eſſe arbitremur in vaporibus Atmoſphaerae Terreſtris. In locis enim prope Aequatorem, ex aqua, terra, vegetabilibus et animalibus, in Atmoſphaeram adſcendentes materiae eiusdem generis ſunt cum iis, quae in regione polari aerem ingrediuntur. Si quis pendulos in Atmoſphaera vapores ex regionibus Aequatori propinquioribus ſecerni, Polumque verſus abigi opinetur ex hoc, quod, cum in locis Polo vicinioribus minor quam in remotioribus centrifuga vis lapſui vaporum repugnet, hi ipſi maiori gravitate Polum verſus agitentur; quaeſumus, ut cauſſam afferat, cur vapores illi non ſplendeſcant extra regionem polarem, cum tamen ex eodem genere vaporum in Zona temperata et torrida fulmina, fulgura, et alia meteora lucentia naſcantur?



*a*) *Wolfius* in Elementis Aſtronomiae §. 405.

*b*) In Commentationis Sect. 2. c. 3.

Lumen Boreale, ſi ex ſolis vaporibus terreſtribus exiſtat, quid impedit, quo minus in menſibus aeſtivis, Maio, Iunio, Iulio, et Auguſto, in quibus Atmoſphaera Terreſtris in regionibus Europaeis materiis fulmineis abundat, aeque frequenter appareat, ac in Septembri et Octobri? Ex *Mairani* tabula chronologica *c*) Luminum Borealium, quae ab anno poſt Chriſtum natum 500. ad annum 1731. obſervata litteris extant, manifeſtum eſt, in Maio, Iunio, et Iulio, Lumen Boreale rariſſime, in Aprili et Decembri ſaepius, in Ianuario, Februario, Martio, et Novembri, adhuc frequentius, in Septembri autem atque Octobri creberrime apparuiſſe.

Hiſce difficultatibus non conflictatur *Mairani* ſententia de Luminis Borealis origine. Acerrimi ingenii vir, ex Lumine Zodiacali, eiusque obſervatis altitudinibus demonſtrat *d*), cingi Solem Atmoſphaera, cuius vapores longius nonnumquam evagati ad Terram noſtram perveniant, eamque circumfundant. In his vaporibus, cum ipſum Lumen Zodiacale ex iis conſtet, aliquid eſt, quod, quando Atmoſphaeram Terreſtrem intrant, lumini idoneum ſit. Ita materia in promtu eſt, ex qua lumen prodeat in locis Atmoſphaerae Terreſtris ſublimioribus, in quae ex Terrae ſuperficie adſcendere haud valent vapores motu inteſtino fulgentes.

Quamquam vapores ex Atmoſphaera Solari circumquaque per caelum diſſipantur: ii tamen, qui ad Telluris Aequatorem vicinosque circulos parallelos contendunt, Polos verſus confluere coguntur gravitate, quae in regionibus polaribus maior eſt, quam in iis, quae Aequatori propinquiores ſunt, propterea, quod in his maior centrifuga vis centripetae ſeu gravitati reluctatur. Itaque cum vapores ſolares maiori copia in regionibus polaribus colligantur: ex hac condenſatione ratio intelligitur, cur Lumen Boreale prope Polum Boreum validius ſit, eamque regionem prae iis, quae ab eo longius abſunt, ſibi ſedem quaſi et domicilium legat.

Simi-

*c*) In Commentationis Sect. 4. c. 2.

*d*) In Comment. Sect. 1. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Similiter Polum Antarcticum verſus, ubi gravitas itidem maior eſt, quam in Aequatore, delapſi ex Atmoſphaera Solari vapores depelluntur. Ex iis oriundum circa Polum Antarcticum lumen nobis in oculos non incurrit, niſi per duo et quinquaginta gradus aut plus ab iſto Polo diffundatur. Petropoli A. 1751. die 6. et 7. Novembris St. v. eiusmodi lumen auſtrale obſervavit, idque Tomo IV. Novorum Commentariorum Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae expoſuit Aſtronomiae gloria clariſſimus *Griſchovius*.

Per quatuor ultimos menſes anni Lumen Boreale frequentius apparet, quam per quatuor primos, quoniam Terra in illis profundius, quam in his, in Atmoſphaeram Solarem immergitur. Nam poſt ſolſtitium aeſtivum Terra Soli fit propinquior. Poſt idem ſolſtitium, quando Sol ex ſigno Cancri Signum Capricorni verſus migrare videtur, Terra per Eclipticam ad ſignum Cancri adſcendit. In Ecliptica Atmoſphaera Solaris verſatur. Per hanc igitur Terra, quoniam itidem in Ecliptica verſatur, tanquam navis per mare movetur. Axis Terrae ad Eclipticam ſub angulo 66½ graduum inclinatur. A ſolſtitio aeſtivo igitur usque ad hibernum per Atmoſphaeram Solarem migrantis Terrae praecedens Polus Arcticus, cum in dies altius in vapores ſolares immergatur, continue copioſiori materia Luminis Borealis oppletur. Praecipue circa Aequinoctium autumnale larga copia vaporum ditatur, ubi Atmoſphaerae pars, quae Solis Aequatorem circumfluit, Eclipticam decuſſat. Quae enim Aequatorem Solis ambit, Atmoſphaerae pars, quia cum Sole circa axem eius rotatur, a Sole longius diffunditur, quam quae circulos Aequatori parallelos circumdat. Ita ratio patet, cur, quando Sol ad Capricorni ſignum deſcendere videtur, praeſertim circa Aequinoctium autumnale, maior fit crebritas Luminis Borealis, quam per reliquas anni partes.

Declaratis argumentis, quae, ex Atmoſphaera Solari in Terreſtrem delabentes vapores Luminis Borealis cauſſam eſſe monſtrent, ſequitur, ut expendamus rationem, qua

 hoc

hoc ex illis gigni cenſet *Mairanus*. Exardeſcens Luminisque Borealis genitrix materia ipſi eiusmodi eſſe videtur *e*), ut, antequam Atmoſphaeram Terreſtrem ingreditur, haud careat mutationibus, ſuaeque ſtructurae atque extenſionis mutabilitate, ſi cum aliis materiis miſceatur, apta ſit novis ſubeundis mutationibus. Atmoſphaerae noſtrae partes ſuperiores, ubi Lumina Borealia exoriuntur, itidem ſuas habere mutationes exiſtimat, quae ex Atmoſphaera Solari habentis materiae incenſionem modo iuvent, modo impediant. Aliam adhuc viam monſtrat *Mairanus f)*, qua, ſi quis materiam Atmoſphaerae Solaris per ſe neque ardere, neque lucere opinetur, utrumque in vaporibus ex ea ſeiunctis exiſtere cognoſcat. Fieri vere hoc poſſe arbitratur, ſi lapſu attingant ſuperiores regiones Atmoſphaerae Terreſtris; argumentumque petit ex phoſphoro, qui vaſe aperto, in quo concluſus nihil virium habere videretur, aeris externi contagione flammam concipit. In Spiritu vini ſolutae reſinae tenues et inviſibiles partes, aqua infuſa, coeunt et viſibiles redduntur. Similiter fieri poſſe *Mairanus* autumat, ut per Atmoſphaeram noſtram cadentes vapores ſolares, quo profundius, gravitate creſcente, labantur, eo magis coaleſcant. Pro credibili ſumit, inter ſe differre vapores ſolares figura, magnitudine ſeu volumine, et pondere ipſaque vi, qua inter ſe cohaereant; ponderoſiores et craſſiores, qui difficilius inflammentur, profundius Atmoſphaeram Terreſtrem intrare, inque locis ſuperficiei Telluris propinquioribus colligi et denſari, ut fumum et nebulas regionem boream verſus exhibeant; ſubtiliores autem et altiores vel ſua ſponte, vel partium aeriarum reniſu et conflictu, vel naſcente certa ex aeris miſtura fermentatione, ardere.

*Mairanus* igitur non definit vim, qua fulgere incipiant vapores ſolares, ſi cum aere noſtro confundantur. Contemplatus ego ſaepius Lumen Electricum in campanis vitreis aere vacuis, ex mira ſimilitudine, quam cum Lumine Boreali habet,

*e*) In Commentat. Sect. 3. c. 10.
*f*) In Sect. 5. Quaeſtione 4.

habet, cepi coniecturam, qua *vaporibus ſolaribus electricam vim* tribuerem. In Lumine Boreali perfecto, ex tenebricoſo ſegmento, ſeu ſpatio vaporoſo, quod inter horizontem borealem et albeſcentem arcum continetur, adſcendentes lucidae columnae varios colores exhibent. Prope oram ſegmenti tenebricoſi, albo, flavo, et viridi colore imbutae ſunt. Partes columnarum altiores colorem aureum induunt, qui ad igneum accedit. Diſperſae per caelum albicantes nubes igneum et rutilum colorem ſaepius ducunt. Quaedam ex his nubibus interdum adeo citatim oriuntur et evaneſcunt, rurſusque exoriuntur, ut caelum fulgurare videatur. Nonnunquam omnis materia Luminis Borealis ſpeciem tremoris praebet. Imo fieri ſolet, ut per caelum provolvi videantur undae igneae.

In tubis et campanis vitreis, ex quibus aer eductus eſt, excitatum Lumen Electricum ſimilibus motibus et coloribus in conſpectum prodit. Si tubus eiusmodi vitreus corpori, quocum electricitas communicata eſt, admovetur, derepente, facto contactu, albicans Lumen Electricum inſtar fluminis per cavitatem tubi diffunditur. Si ſphaera vitrea, quae aere vacat, facta rotatione applicatae manus contactu fricatur; partemque ſphaerae oppoſitam adiuncta fila metallica attingunt, ex alia ſphaera vitrea electricitatem naniſcentia: illico flumen electricum vacuae ſphaerae cavitatem explet, diſperſum in radios coloratos, qui ſphaeram quaſi perforantes cavitatem pervolant ex loco, cui fila metallica adiacent, ad oppoſitum locum, ubi vola manus aut digiti applicatur. Iucundiſſimum ſpectaculum, quo Lumen Boreale praeclare effingitur, praebet Lumen Electricum ſub campana vitrea, ex qua aer abeſt, enaſcens ex filo metallico per caput campanae traiecto, omnibus rimulis cera liquata ita occluſis, ut nihil aeris externi penetrare valeat. Fili huius parti extra caput campanae prominenti admovetur aliud filum metallicum electricitatis particeps. Inter haec duo fila in aere ſcintilla electrica gignitur. Actutum vero ex altera fili extremitate ſub campana ingens nu-

 merus

merus radiorum electricorum erumpit, quorum alii orbem Antliae pneumaticae, cui campana inſiſtit, alii latera campanae petunt. In campanis quatuor pedes altis vidi radios electricos, ex fili extremitate profluentes, univerſam campanae cavitatem pererrare, et in Antliae orbem delabi. Hi longiores radii electrici aeque albent ac certae columnae Luminis Borealis ex ſegmento tenebricoſo per caelum adſcendentes, et ita tenues ſunt, ut per eas latera campanae cerni poſſint. Breviorum vero radiorum electricorum minor tenuitas eſt, denſitate continue increſcente cum decreſcente radiorum longitudine. Quod v. c. fit, ſi in orbe Antliae poſitum ſit corpus metallicum. Quo breviori intervallo corpus hoc a filo metallico per caput campanae traiecto diſtat, eo denſius flumen electricum in hoc intervallo generatur. Hoc brevius autem ſpiſſiusque flumen electricum varios colores induit, qui colores radiorum et columnarum Luminis Borealis imitantur. Si filo metallico electricitas traditur, cuius magna vis eſt, univerſum vacuum ſub campana, tum diſtinctis inter ſe radiis electricis, tum lumine confuſo expletur, innumeraeque particulae albentes ſurſum deorſumque proiiciuntur *g*).

Ex hac igitur ſumma Luminis Electrici in vacuo excitati ſimilitudine cum Lumine Boreali, coniicio, oriri hoc pariter ex materia electrica. Neque deſunt argumenta, quae doceant, eſſe in vaporibus ſolaribus materiam electricam, eamque in Atmoſphaera Terreſtri excitari poſſe, commodumque habere ſpatium, per quod longe lateque diffundatur.

In locis, in quibus Lumen Boreale exoritur, aeris tanta raritas eſt, ut nihil ſit, quod materiae electricae conatus elaſticos

---

*g*) Methodum excitandi lumen electricum in vacuo, et adornandi inſtrumenta idonea, expoſui A. 1744. in §. 102. 103. et 104. libelli germanici: *Gedanken von den Eigenſchaften, Wirkungen, und Urſachen der Electricität*, et A. 1745. in §. 56. 57. et 58. libelli: *Die Eigenſchaften der electriſchen Materie und des electriſchen Feuers.*

ſticos atque diffuſionem cohibeat. In monte Americano *Coraçon de Barionuevo*, cuius altitudo ſuperficiem Maris Pacifici 2476. hexapodis gallicis ſuperat, Galli Geometrae, cum dimetiendo gradui Meridiani in America operam darent, Mercurium in Tubo Torricelliano non niſi 15. digitorum et 9. linearum altitudinem habere viderunt *h*). Sub campana vitrea, ubi denſitas aeris ita minuta eſt, ut altitudo Mercurii in Tubo Torricelliano 15. tantum digitorum ſit, Lumen Electricum ex filo metallico per caput campanae traiecto large effunditur. Ex regula *Mariottii i*), in altitudine 181440. pedum ſeu 30240. hexapodarum ſeu octo milliarium germanicorum aeris tanta raritas eſt, ut ad pellendum levandumque Mercurium in Tubo Torricelliano nihil valeat. Cum igitur in magna illa altitudine, quam Lumen Boreale occupat, impendio maior ſit aeris raritas, iſtud ſpatium atmoſphaerae oppido accommodatum eſſe patet eruptioni Luminis Electrici ex vaporibus ſolaribus.

Sed quaeres, unde conſtet, eſſe in his vaporibus materiam electricam? Cum delapſi in atmoſphaeram noſtram, collectique inſtar fumi et nubis regionem borealem interdum obſcurent: eorum naturam non plane abhorrere a natura vaporum terreſtrium exiſtimemus. Hos vero materia electrica non eſſe vacuos, cum ex hoc, quod ſecreti ſunt ex rebus corporeis, quae materia electrica abundant, tum ex atmoſphaerae electricitate in tempeſtate fulminea, manifeſtum eſt.

Difficile vero explicatu videtur, quid in ſpatio caeleſti ſit, quod haerentem in vaporibus ſolaribus materiam electricam concitet. Ponamus, eam huius eſſe naturae, ut tritu et frictione cieri et ſolvi poſſit. Non igitur eſt, cur de concitatione electricitatis in delabentibus ex atmoſphaera ſolari vaporibus dubitemus. Lapſu enim fieri poſſe, ut fricentur, ex

*h*) *Bouguer* in praemiſſa libro, *la Figure de la Terre*, Hiſtoria: *Relation abregée du Voyage fait au Perou*, p. 57.

*i*) In Diſſertatione gallica: *Diſcours de la Nature de l' Air*, p. 175.

ex celeritate, qua caelum percurrunt, intelligitur. Luna intra unum minutum horae primum gravitate ſua, qua terrae centrum petit, per tantum ſpatium labitur, quantum prope ſuperficiem terrae corpus ex quiete libere delapſum primo minuto ſecundo percurrit *k*). Hoc vero ſpatium 15. pedibus et 1. digito et $1\frac{7}{9}$. linea, ſeu 15625. ſcrupulis pedis rhenani conſtat *l*). Gravia libere cadentia motu aequabiliter accelerato labuntur, quo fit, ut ſpatia diverſis temporibus confecta inter ſe ſint uti temporum quadrata, et temporum quadrata uti ſpatia iis lapſu abſoluta. Ex atmoſphaera ſolari igitur delati in regionem ubi luna a ſuperficie terrae 59. ſemidiametros terreſtres abeſt, intra 147. horas ad terram perveniunt. Aſſignemus ſemidiametro telluris 860. milliaria germanica. Tribuamus cum *Kraftio m)* cuilibet 24', 000, 000 ſcrupula pedis rhenani. Semidiameter telluris igitur = 860 × 24', 000, 000 = 20, 640', 000, 000. ſcrupulis, Quadratum temporis itaque, quo vapores ſolares ex regione lunari cadentes ſpatium unius ſemidiametri terreſtris abſolvunt, aequat 1320960. quadrata minuta horae prima. Ut enim altitudo 15625. ſcrupulorum ad altitudinem 20640000000. ſcrupulorum, quibus ſpatium unius ſemidiametri terreſtris conſtat: ita unum quadratum minutum primum ad 1320960. minuta prima quadrata, ſcilicet 15625 : 20640000000 = 1 : 1320960, qui quartus numerus exiſtit, quando factum ex ſecundo et tertio per primum dividitur. Ut altitudo unius ſemidiametri terreſtris ad altitudinem 59. ſemidiametrorum terreſtrium: ita 1320960. minuta prima quadrata, quae ſunt quadratum temporis, quo vapores ſolares ex regione lunari per ſpatium unius ſemidiametri terreſtris percurrunt, ad quadratum temporis, quo vapores ſolares 59. ſemidia-

*k*) *Newtonus* in Principiis Mathematicis Philoſophiae naturalis lib. 3. propoſ. 4.

*l*) Vid. Muſchenbroekii Phyſica §. 292. et *Euleri* Mechanica P. I. §. 223.

*m*) In Praelectionibus in Phyſicam Theoret. §. 147.

diametros terreſtres lapſu conficiant. Hoc quadratum aequat 77936640. minuta prima quadrata. Scilicet 1 : 59 = 1320960 : 77936640. Quartus hic numerus fit ex facto numeri ſecundi et tertii diviſo per primum, h. e. $\frac{59 \times 1320960}{1}$. Numeri quadrati 77936640. radix = 8828. minutis primis, ſeu 147. horis. Vapores ſolares igitur, quanquam per aerem infinite tenuem labuntur, valde tamen fricentur neceſſe eſt, cum tanta celeritate praecipitentur. Attritu aeris noſtri globi metallici ex fundis et baliſtis proiecti incaleſcunt. Itaque non eſt cur dubitemus de ratione, qua labentium vaporum ſolarium materia electrica excitetur.

Si corpori, in cuius ſuperficie lux et radii electrici micant, aliud admovetur, certo tamen intervallo interiecto, in admoti corporis ſuperficie ſimiliter lux radiique electrici emicant. Neceſſe igitur eſſe intelligimus, ut, ſi delapſorum vaporum ſolarium materia frictione excitata ſit, ex pendulis in atmoſphaera terreſtri corpuſculis, ſpatio, per quod electrica materia vaporum ſolarium diffuſa eſt, vicinis, itidem erumpat materia electrica, lineasque lucidas emittat. Motibus reciprocis igitur, quibus ex ſolaribus et terreſtribus vaporibus erumpentes particulae electricae mutuo ſe petunt, ſibique immiſcentur, continuoque loca ſua repetunt, ad modum luminis electrici artis ope concitati, generatur *lumen* iſtud, quod a regione, in qua hoſpitari videtur, *boreale* appellamus.

Quid in corporibus, quae electrica per ſe dicuntur, ut in electro et vitro aliisque huius generis, ad excitandam electricitatem vehementior frictio aeris valeat, experimentis tentatum eſſe mihi non conſtat. Operae pretium foret, experiri hoc. Si ſphaera vitrea ſolida electricitatem conciperet, acta per aerem ea celeritate, qua globi metallici ex ſclopetis et tormentis proiecti per aerem volitant: opinio, in vaporibus, ex atmoſphaera ſolari ſeiunctis, celeri lapſu excitari poſſe vim electricam, haud parum probabilis redderetur.

In aeris tractu, in quo materia fulminis cietur, homines et metalla, quando in pice, aut retibus ſericis, aut aliis corporibus electricis per ſe, poſita ſunt, electricitatem nanciſcuntur aeque ac a vitreis ſphaeris et cylindris, in quibus electricitas frictione excitatur. Quod cbſervationibus et tentaminibus demum anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo cognitum eſt *)*. Fortaſſe dabitur ſimili tentandi ſtudio explorare Vaporum Solarium Electricitatem, ſi qua in iis ſit, aut lapſu et frictione exiſtat, et per atmoſphaeram terreſtrem ad loca diffundatur, in quibus aerem ducimus. In locis editioribus, ut in turribus et montibus, Lumine Boreali corruſcante, collocanda erit campana vitrea et aere vacua, per cuius caput filum metallicum traiectum ſit, videndumque, an ex hoc filo ſub campana effluat lumen ſimile Lumini Electrico, quod in vacuum ſub campana erumpere videmus, quando cum filo ex capite campanae prominenti electricitas communicatur.

## BABIOLES LITTERAIRES ET CRITIQUES en proſe et en vers:

i. e.

## *NUGAE LITTERARIAE ET CRITICAE; proſaicae partim, partim metro expreſſae.*

Hamburgi, apud Io. Carol. Bohnium 1761. T. I. pl. 10. T. II. pl. 10. in 8.

*Et parvis quoque rebus ineſt*
*Sua ſaepe voluptas.*

Viſum eſt illuſtri huius libelli auctori, lepido eundem nugarum titulo inſignire, ratione ad noſtrorum hominum ingenia maxime accommodata, qui magis fere nugis et fabulis, quam ſeriis et graviter ſcriptis delectantur. Verum non eſt cur id graviſſimum quemquam a legendo illo

*) Brevem relationum hiſtoriam tradidi in Inſtitutionibus Philoſophiae univerſae Anno 1762. editis §. 1821.

illo deterreat. Nam cum rerum, quae in illo continentur, varietate, quodque in eodem perpetuo floret, dicendi genere nitido atque amoeno, ſuaviter animum recreet, tum et plura paſſim reperiuntur collecta, quae ſicut ingenii acumen, et lectionis amplitudinem non minimam produnt, ita varia explicant, nec trita nimis, et cognitione non prorſus indigna. Si quid tamen ſit, quod merito omnium plauſum non fuerat, erit profecto tenue illud de nobili illo Germaniae noſtrae idiomate iudicium, tanto magis admirandum, quanto apertius, illam ſibi linguam vernaculam eſſe, ipſe A. fatetur. Noſtrum eſt, ut capitum ſingulorum ſummam breviter, quantum fieri poteſt, colligamus.

Pag. 1-12. Horatius poeta ab ignaviae et vagae Veneris criminatione ſatis ingenioſe vindicatur. P. 13-24. Lucani Pharſalicorum converſio gallica, quae Brebeufio debetur, ob multa in eadem egregia, tamquam aeterna oblivione indigna, vindicatur. P. 24-32. Auctor quaſi irridens quorundam de *Sacci* vocabulo obſervationem, omnibus linguis communi, quaeque eius rei profertur rationem; idem de aliis verbis, ut *Scorpionis*, *draconis*, *pantheri*, *tigridis*, et *roſae*, oſtendere haud inſulſe allaborat. P. 33-49. commendatur ratio, lecto aliquo libro breviter adſcribendi ſuum de eodem iudicium; cuius etiam rei Auctor ingenioſa praeit exempla, variis in varios libros epigrammatibus conſcriptis. In his eminet illud, quod Homeri verſioni gallo-francicae, ab Anna Fabri concinnatae, vult praeponendum:

*Savante enfant d'un ſavant Pére,*
*Docte moitié d'un docte époux!*
*O combien de ſavants, ſans vous*
*Vivroient en France ſans Homère!*
*O combien de pédants grecs, dans leurs Galétas*
*Courtiſent la Dacier, et ne s'en vantent pas!*

Item Memoriis Grammondi Comitis, editore Hamiltono:

*Mieux que comptes, mieux que fables,*
*Ici mille Riens aimables*
*Nous ſont cherir Hamilton.*
*S'il faut rire, pour bien vivre,*
*Préférons ce charmant livre,*
*A l' hiſtoire de Caton.*

et Concionibus ſacris I. Saurini, huius ſententiae:

*Des Proteſtants le Bourdaloue*
*Préſente aux Chrétiens des Sermons*
*Si beaux, ſi touchants, ſi profonds,*
*Que même à Paris on les loue.*
*Rome, ſi tu te plainds: que c'eſt là te trahir,*
*Fais toi des ennemis, que l'on puiſſe haïr.*

P. 50-60. auctor, obtemperaturus nobilis cuiusdam feminae deſiderio, ſtudet detegere errata in *Boileau* poeta; quod etiam ſtudium p. 73-82. porro proſequitur. P. 61-72. et in univerſum de ironia, et ſpeciatim de Socratis atque Ciceronis aliquot ironice dictis, diſſeritur; ut illius: ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα; et huius epiſt. XII. L. V. ad Lucceium, de ſcribenda ſui Conſulatus hiſtoria. P. 83-96. varia variorum librorum epigrammata continuantur. P. 97-106. Auctor de mundo optimo, eiusque defenſoribus praecipuis, nonnulla diſſerit. P. 107-117. de Berenice fabula prudenter diſſeritur, cuius praeſertim exitus ſpecimen probabilioris exhibetur. P. 118-135. Canonici in republica litteraria clari ordine alphabetico enumerantur. P. 136-153. varia iterum, neque acumine deſtituta, epigrammata proponuntur, ut in librum de moribus, auctore *Touſſaint*.

*O Moeurs! il faut-vous l' avouer,*
*On ſouffre, en vous liſant, de n'oſer vous louer.*

Tomo II. Auctor de verſuum componendorum ſtudio in genere, poetice diſſerit. P. 9-18. diſputatur de verſibus proſaicae orationi immiſtis, quos non repudiat omnino Auctor, cum proſaicos in poeſi verſus minime probet. P. 19-90. Viri quidam illuſtres luſci ſive monoculi commemorantur; addita etiam femina principe Hiſpanica, *d'Eboly*, forma prae-

praeſtanti, P. 31-47. alia epigrammatum collectio reperitur. P. 48-58. varii generis obſervationes breviuſculae ab Auctore proponuntur. P. 59-70. de Apologis diſſeritur, quorum adeo exempla aliquot rarioris generis exhibentur. P. 71-81. Auctor improbat rationem comice tractandi parabolas N. T. ſuadens contra exornationem earundem poeticam. P. 81-98. epigrammata continuantur. P. 99-113. alter Canonicorum in republ. litteraria clarorum Catalogus exhibetur. P. 114-123. Auctor quaedam praefatus de mulierum in viros poteſtate, Oroſi et Agathae hiſtoriam verſibus breviter proponit. P. 124-143. continuatur Canonicorum celebriorum catalogus. P. 144-161. alia epigrammatum collectio proponitur. His igitur, breviter licet, excerptis, praemonitorum pars ſatis, ut opinamur, comprobatur; partem ipſa libelli lectio confirmabit.

---

## *NOVA LITTERARIA.*

Venerunt in manus noſtras ſcripta quaedam, in celebratiſſima Ianſeniſtarum cauſa, ab anno inde 1756, in ipſa, ut nobis quidem videtur, Gallia, licet Romae nomen praeferant, excuſa. Venduntur certe Pariſiis, in urbibus maioribus Batavorum, et maxime Amſtelodami apud M. M. Rey. Horum commemorationem aliquam non ingratam ſperamus Lectoribus futuram. Sunt autem hi eorum indices:

I. et II.) *Renverſement de la Religion, et des loix divines et humaines*, etc. h. e. Deſtructio religionis, omniumque et divinarum et humanarum legum, per Bullas et Brevia, quae ab annis inde ducentis contra *Baium*, *Ianſenium*, *Quinque Propoſitiones*, pro *Formulari*, et contra *P. Queſnellum* promulgata fuerunt; ſeu Collectio omnium harum Bullarum, adiectis obſervationibus hiſtorico criticis, multisque ſcriptis magni momenti, e quibus hiſtorica ſeries innumerorum delictorum, malorum, et ſcandalorum, quibus Epiſcopi Romani, Aula Romana, et Ieſuitae, a duobus inde Seculis, continuo eccleſiam inundant, eandemque infeliciſſimam reddunt, formari poteſt: 1756. Volumina duo, octonis, quae

iunctim 534. paginis, et tabula monumentorum quae inſunt, pagg. 10. conſtant.

III.) *Idée de la Vie et des Ecrits de M. G. de Witte, Paſteur et Doyen de l' Egliſe Collégiale et Parochiale de Notre Dame au de là de la Dille, dans la Ville de Malines*, h. e. de vita et ſcriptis *Aegidii Wittenii*, in Mechlinienſi urbe miniſtri ſacrorum et Decani, Commentarius. Cum appendice memorabili, quae *Ieſuitas* ſpectat, etc. 1756. pagg. 324. 8.

IV.) *Nouvelle Apologie de la ſainte doctrine de M. Ianſenius*, etc. h. e. Nova Apologia pro ſancta doctrina *Ianſenii*, Epiſcopi Iprenſis, ſuper quinque propoſitionibus, cum Reſponſo oppoſito criticae, qua illam oppugnavit *Andreas van der Schuur*, Auctore *Aegidio Wittenio*. Editio altera, 1756. pagg. 178. 8. cum Tabula ſynoptica et appendicibus variis.

Omnia quidem haec opuſcula cum eo, quod quinto loco indicabimus, Auctorem agnoſcunt Ven. P. *le Clerc*, Subdiaconum Eccleſiae Rothomagenſis, nunc Amſtelaedami commorantem. Hic enim iam anno 1733. cum paucis ante annis vulgatum illud *Alexandri VII*. Pont. Rom. *Formulare*, facta ſubſcriptione recepiſſet, eidem publico ſcripto, (quod *Acte de Revocation* appellavit, legique primo horum librorum pag. 179. ſq. poteſt,) contradixit. Ab eo tempore videtur manum admoviſſe his ſcriptis componendis; ſed neceſſaria quadam feſtinatione et occultatione in eo labore uſus eſt. Quod ipſum effecit, ut ordinem iuſtum tueri, praeſertim in prioribus duobus libris, non potuerit. Sed hunc turbatum inprimis in chronologicis reſtituit, adiecta, ut ſupra diximus, tabula, quae praecipit, quo ordine legenda ſint monumenta et ſcripta ſingula, ut temporis, quo prodierunt, ratio habeatur. Poſt tot autem ac pene infinitos pro cauſa *Ianſenii* libros editos, erit et his quoque, maxime illis quos primo loco poſuimus, Voluminibus, pretium ſuum ſtatuendum. Nam primum in illo libro, quem *Deſtructionem religionis per mandata pontificia* Auctor appellavit, omnis fere harum litium, quae a centum et quod excedit annis in Ec-

clesia

cleſia Romana geruntur, hiſtoria panditur; pluſima certe aſferuntur edita in hac cauſa Pontificum Romanorum decreta, neque minus multa ſcripta hiſtorica, polemica, et alius generis, quae cum iisdem contentionibus coniuncta ſunt. Atque ut a prima earum origine res omnis deducatur, inſertae leguntur etiam conſtitutiones Pontificum, quae iam Seculo XVI. in cauſa *Baii* propoſitae fuerunt. Sed maxime ea, quae *Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. Innocentius XII.* et *Clemens XI.* in litibus *Ianſenii* cauſa exortis, geſſerunt, ex mandatis eorum ſcripto exaratis intelligitur. His ſubiunguntur obſervationes in illa, magno numero, ſcriptaque illuſtrantia partim, partim oppugnantia, quae ſuperiore et hoc Seculo prodierunt. Haec igitur hiſtorica monumenta, quae utroque hoc Volumine leguntur, utilem illis operam praeſtant, qui cognoſcendae breviter ingentis huius diſputationis cupidine tanguntur, praeſertim ſi palmaria duntaxat ex his ſcriptis legerint. — Iam duo reliqui libri nec ipſi indigni ſunt, qui inſpiciantur. Tradunt enim de vita clari inter Ianſeniſtas, vel quemadmodum dici malunt, *Diſcipulos S. Auguſtini*, doctoris eorumque propugnatoris, *Aegid. Wittenii*, qui Gandavi a. 1648. natus, vita autem functus eſt a. 1721. et eodem cum *Quesnellio* ſepulchro, Warmonti prope Lugdunum Batavorum conditus eſt. Huius laudatur pietas et ſtudium veri defendendi inſigne, ſcripta etiam longe plurima ab eo vulgata recenſentur, omnia propemodum ad eam quam ſaepius diximus cauſam pertinentia. Idem etiam Script. S. in linguam Belgicam (*Flamande*) tranſtulit. Sed adiunguntur quoque duo illius ſcripta, quorum inſcriptiones ſupra dedimus. Poſterius latine ſcriptum eſt, et *Polemicon*, ſeu *bellica expoſtulatio* audit, utrumque vero ſatis fortiter concinnatum. Appendix Relationi de vita et ſcriptis *Wittenii* ſubiecta, ſiſtit vaticinia et omina peſſima de *Ieſuitarum* ſocietate, a primis eius initiis concepta, (in quibus eminet clariſſimi illius *Melch. Cani* iudicium, qui eos *Antichriſti praecurſores, emiſſarios*, et *ſectatores* dicere non dubitavit;) multorum in Eccleſia Romana contra eos querelas publicas, narrationem de eorum in Paraguaria rebus geſtis, et

de

de crudeliter ab iis ſtabilito in India orientali Inquiſitionis illius nefandae iudicio. His denique quatuor libris, qui unicum quaſi componunt, ſi ex conſilii et argumenti ſui rationibus aeſtimentur, addimus

V.) *Précis d'un Acte de Denonciation ſolemnelle faite à l'Egliſe et au Concile général, qui la repréſente*, etc. h. e. Compendium ſolennis denuntiationis ſeu accuſationis, ad Eccleſiam et Concilium generale, quod illam repraeſentat, relatae; qua quidem partim multae Bullae, Brevia etc. Epiſcoporum Romanorum, quae religionem et leges divinas humanasque evertunt; partim ipſi Epiſcopi Romani, tamquam rei malorum et ſcandalorum Eccleſiam affligentium, deferuntur: pagg. 65. quaternis, cum variis appendicibus. Videtur hic libellus poſt a. 1758. editus eſſe. Sed quamvis brevior ſit, tamen rerum et verborum pondere reliquos fere vincit; adeo aperte et graviter non modo iurisdictionem ſupremam, quam ſibi Epiſcopi Romani in Eccleſiam arrogant, ſed et alia illorum delicta non pauca perſtringit, vultque ab Eccleſiae Concilio generali his omnibus modum ſtatui et medelam adferri. Quis eſt autem adeo hebes quin intelligat, multa in his eſſe longe veriſſime dicta, quibus boni viri innumeri in Eccleſia Romana ipſa adſenſum praebeant, eaque re vanam oſtendant eſſe gloriationem, qua ſpectabile illud caput Eccleſiae dicitur erroris omnis expers, et ad hoc ipſum datum eſſe Chriſtianis, ut verum inter eos auctoritate ſua tuendo, diſſenſiones omnes et ſchiſmata ab iis prohibeat, qui mandatis eius reguntur. Ac mirantur ſane Evangelicae doctrinae confeſſores, viros cordatos, beneque et fortiter animatos, qui a tot annis atrocem illam et oppoſitam Scripturae S. *Conſtitutionem Unigenitus* negant ſe recipere poſſe, querelis potius et accuſationibus contra auctorem illius et defenſores pugnare, quam facta a tam crudeli et iniuſto imperio ſeceſſione, unice verbi divini auctoritatem ſequi. Nihil eſt quod a Rom. Epiſcopo, aut a Concilio in eius Eccleſia congregando exſpectent ſua ſibi iura reſtituenda eſſe; neque his, et vera libertate Chriſtiana frui incipient ante, quam prorſus extra teli iactum, ab illo metuendum, ſeſe proripuerint.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Septembris Anno* MDCCLXII.

## *Pars II.*

---

*CONCILIA GERMANIAE, QUAE CELSISS. PRINC. Ioannis Mauritii, Archiepiſcopi Pragenſis, ſumtu, Cl. IOANNES FRIDERICUS SCHANNAT magna ex parte primum collegit, dein P. IOSEPHUS HARTZHEIM S. I. eiusdem Celſiſſimi impenſis, plurimum auxit, continuavit, notis, digreſſionibus criticis, charta et praefatione chorographicis illuſtravit. TOMUS II. ab A. DCCCXVI. ad M. Aerae Chriſtianae.*

Coloniae Aug. Agrippinenſ. typo Viduae Krakamp et heredum Simonis, Bibliopolarum, 1760. Alphab. 4. duern. in fol.

Quam Germaniae Conciliorum Collectionem eruditiſſimus Hartzhemius, primo Tomo ad annum usque DCCCXVI. produxerat, eam hoc altero, cuius hic recenſionem paramus, ad annum M. continuat: gratiſſimum patriae munus, inprimis tamen rerum eccleſiaſticarum curioſis. Quae menſe Aprili anni 1759. horum Actorum, de omni conſilio hoc, deque rationibus quas ſecutus eſt Hartzhemius, libere profeſſi ſumus, ea hic repetere nihil attinet. Eadem eſt ſecundi huius Voluminis facies, quae fuit primi; niſi quod excurſus atque obſervationes rariores ſint. Dabimus igitur primum omnium Conciliorum, quo nomine et

Comitia Editor complectitur, catalogum chronologico ordine, ut hoc Volumine proponuntur; dicturi deinceps, pro more noſtro, ſtrictim, de rebus iis, quae prae reliquis expendi merentur, et diſcuti. Eſt autem Conciliorum Volumine hoc editorum haec ſeries. Prima anni 815. *Synodus Friſingenſis V.* qua Hitto Epiſcopus acceptat donationem Cundharti Comitis: 817. Concilium *Aquisgranenſe XI.* ſub Ludovico Pio, Epiſcopis et Abbatibus. Conduntur Capitula 80. pro regula monachorum: 817. Synodus *Friſingenſis VI.* publica ſub Hittone, acceptante donationes duas, factas Eccleſiae Cathedrali; item reſtitutionem ablatorum eidem Eccleſiae. Alia *VIIma* eiusdem anni: 818. *Friſingenſis VIII.* Synodus ſub Hittone Epiſcopo, acceptante oblationes factas eccleſiae: 818. *Aquisgranenſe* Concilium *XII.* puniuntur rebelles clerici et laici, iudicio Imperatoris et Epiſcoporum: 818. *Ulmae* Concilium, in quo monachis S. Galli, contra Wolfoleon Epiſc. Conſtantiae, Ludovicus Imperator confirmat privilegia. 819. Conventus publicus *Aquisgrani.* Coram Ludovico ad honorem ſanctae dei eccleſiae cap. 29. conduntur, danda Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, et omnibus miſſis Dominieis. Hetti Treverenſis Archiep. epiſtola ad Frotharium Tullenſem Epiſcopum, de obtemperatione mandatis Regiis debita. 819. Synodus *Friſingenſis IX.* magna et univerſalis, in qua Hitto Epiſcopus acceptat Parmoini donationes factas Eccleſiae S. Mariae: 820. *Ahytonis*, Baſileenſis Epiſcopi, capitulare capitum XXV: 820. *Friſingenſis X.* Synodus. Alhoarti Presbyteri donationem olim factam, nunc reſtitutam acceptat Hitto Epiſcopus. 821. *Friſingenſis XI.* Synodus. Hartpaldi donationes factas acceptat Hitto Epiſc. 821. In *Theodonis Villa III.* Conventus. Ludovicus Imp. reſtituit rebelles Clericos et Laicos. 822. *Triburienſe* Capitulare. Petitio Epiſcoporum XXXII. contra calumniatores et perſecutores Epiſcoporum et Presbyterorum. Decretum Imp. ad hanc petitionem: 822. *Friſingenſis XII.* Synodus. Oadalpaldi et Minigonis Presbyterorum dona olim facta reiterata confirmat

mat Synodos. 822. Conventus *Attiniacenſis III.* Imp. et Epiſcoporum. Poenitentia publica Imp. ob poenas in nepotes et fratres: reconciliatio eiusdem cum Agnatis: horum reſtitutio. 823. Capitulare 28. capitum ad Miſſos Dominicos, Epiſcopos, et Comites. 825. *Aquisgranenſe* Concilium de transferendo corpore S. Huberti Leodio Andainum, ſub Hadebaldo Metropolita Colonienſi, Walcando Leodii Epiſcopo. 826. In *Ingelheim* Conventus Ludovici Imp. duorum Legatorum Papae Leonis et Theophylacti. §. 1. Herioldi Daniae Regis et familiae baptiſmus. §. 2. Miſſio prima S. Ansgarii in Daniam. §. 3. Capitula VII. pro Eccleſia et ſacerdotibus. 826. In *Walacria* Synodus S. Friderici Epiſcopi Ultraiectini. Illicitarum nuptiarum damnatio. 827. *Friſingenſis* Synodus in Ehingen. §. 1. Hitto Epiſcopus acceptat traditionem Wicharii Presbyteri. §. 2. Fritilonis Presbyteri cenſum ablatum. 828. Ibidem Synodus. Hitto in ea confirmat traditiones Ellanpurgae et Engilpurgae. §. 2. Haereditatem Denchilonis acceptat. §. 3. Traditionem Tutonis pro Eccleſia Cathedrali. §. 4. Traditionem haereditatis in Crazzun. 828. Capitulare *Aquisgranenſe* Ludovici Imp. Capitum 27. Epiſtola Ludovici commonitoria ad omnes Fideles ſanctae dei Eccleſiae. Ludovici et Hlotharii Epiſtola Encyclica de Conciliis Epiſcoporum in quatuor imperii partibus celebrandis. 829. Synodus *Moguntina* ſub Otgario Archiep. Vota parentum pueros offerentium quatenus ratificanda? 829. Conventus *Ratisbonenſis.* Ludovicus fines Laureacenſis et Salisburgenſis Dioeceſeon dividit. 829. *Wormatienſis* Synodus, in qua Ludovicus Imp. et Legati Apoſtolici legunt ea, quae in quatuor Synodis, in quatuor locis imperii ſtatuta ſunt. 830. *Friſingenſis* Synodus, in qua Hitto Epiſcopus acceptat traditionem Innichonis. 830. *Naviomagi* Conventus, in quo decernitur reducenda Imperatrix ad Imp. Ludovicum. 831. *Aquisgrani* placitum. Iudithae Imperatricis purgatio et abſolutio canonica ab Epiſcopis. Ansgarii conſecratio in Epiſcopum Hammaburgenſem. 831. *Friſingenſis* Synodus.

 Haere-

Haereditatis Sigeſunſi traditio. Traditio Iacobi proprietatis acceptatur. 834. *Aquisgrani* Conventus, in quo Ludovicus Imp. Diploma dat de paganis convertendis, et inſtitutio ac dotatio Hammaburgenſis Eccleſiae firmatur. 834. Narratio hiſtorica factorum in depoſitione Ludovici Baſileae, Compendii etc. 835. In *Theodonis Villa* Synodus a 2. Februarii ad 1. Martii. Reſtitutio Ludovici in Imperium. Ebonis Remenſis confeſſio et dimiſſio Epiſcopatus. Fulconis Abbatis ſurrogatio in eam Cathedram. Flori Diaconi Lugdunenſis accuſatio Amalarii apud Patres in Theodonis Villa congregatos. 836. Conventus *Aquisgranenſis*. Commonitoria ad Pippinum Aquitaniae Regem de reſtituendis rebus Eccleſiae ablatis. Canonum Libri III. Caput I. De vita Epiſcoporum. Canones XII. Caput II. De doctrina Epiſcoporum. Canones XII. De vita et doctrina inferiorum ordinum. Canones XV. Caput III. De perſona Regis et Filiorum et Miniſtrorum eius. Canones XXV. Ex eadem Synodo Libri III. ad Pippinum Regem, contra raptores aut detentores bonorum Eccleſiaſticorum ex divinis Scripturis commonitiones. Lib. I. Lib. II. Lib. III. 837. Concilium *Aquisgranenſe* de ſubiectione Aniſolenſis Abbatis erga Aldricum Cenomanenſem Epiſcopum. Confirmatoria Synodalis ſententiae per Ludovicum Imp. 838. *Neomagenſis* Conventus. Ludovicus Imp. reſtituit Fuldenſi Monaſterio ablata. Donum facit Monaſterio Herivordienſi. 838. Synodus in *Friſia*, ſub Friderico Epiſc. Ultraiectino. Doctrina vera de SS. Trinitate traditur et promulgatur. 838. Synodus *Tullenſis*. Frotharius Epiſc. confirmat Abbatiae S. Apri Parochiam S. Maximini. 839. *Morinenſis* Synodus, in qua coenobium S. Audomari Bertini Abbati ſubiicitur. 840. In *Ingelheim* Concilium. Lotharius Imp. Ebonem reſtituit Remenſi ſedi, cum conſenſu multorum Epiſcoporum. 841. In confinio *Germaniae* et *Franciae* Synodus, in qua victoria ad Fontanetum contra Carolum Calvum obtenta, deciditur eſſe iudicium Dei pro cauſa Ludovici Germanici et Caroli Aquitani: Victoribus a perſecutione deſiſtendum. Orandum et ieiunan-

nandum pro mortuis ex utraque parte. 842. In loco incerto, ut ſupra, decernunt Epiſcopi, Regnum Franciae inter Ludovicum Germanicum et Carolum Calvum herciscundum, excluſo Lothario Imp. 843. Synodus *Friſingenſis*, in qua Erchanbertus Epiſc. acceptat donationem Baldrici. 843. *Ulmae* Conventus, in quo Epiſcopus Conſtantienſis et Abbas S. Galli compromittunt in Regem arbitrum. 844. *Sergii* II. PP. Epiſtola ad Epiſcopos Tranſalpinos, qua Drogonem conſtituit Vicarium Sedis Apoſtolicae. 1. Dat ei poteſtatem congregandi Concilia in Germania et Gallia. 2. De Provincialium Synodorum relatione Papae facienda. 3. Poteſtatem appellantes ad Papam audiendi. 4. Poteſtatem examinandi Epiſcopos et Abbates. 844. *Theodonis Villanum* Concilium. Capp. VI. 845. Conventus in *Paterbrunnem* de ſtatu Eccleſiarum in Saxonia firmando. Donationes tres Regiae Corbeienſi coenobio, factae in hoc Concilio. 843. Concilium *Treveris* indictum, ſed Pariſios translatum. 847. Concilium *Moguntinum* Provinciale ſub Rabano Archiep. Praefatio ad Ludovicum Germaniae Regem. Canones XXXI. conditi. Caſtigatio Thiotae Pſeudo-Propheтiſſae. Coniunctio Epiſcopatus Hammaburgenſis cum Bremenſi Ansgario deſtinata. 848. Concilium *Moguntinum* nationale. Sub Rabano II. Goteſcalci Monachi praedeſtinatiani auditio, damnatio, relegatio. Epiſtola Synodica Rabani Moguntini ad Hincmarum Remenſem. Reſtitutio decimarum Osnabrugenſi Eccleſiae ablatarum. 852. Concilium *Moguntinum*. Sub Rabano III. Confirmat Abbatem Gohbertum: dat ei poteſtatem eligendi advocati. Monaſterium ſub banno regio conſtituit. Ludovicus Rex donat novae Corbeiae Meppiam et Eresburg, Herifordiae Bugimthi et Hreni. Definit manſionaticam viſitaturo Epiſcopo. 853. Concilium *Francofordiae*. 857. Concilium Moguntinum ſub Carolo. Epitome ventilatorum de iure Eccleſiaſtico. Lecta Epiſtola Guntharii. Archiep. Colonienſis. 857. *Wormatienſe* Concilium. Conſenſus Guntharii Colonienſis in coniunctionem Hammaburgi et Bremae, ſi Papa

conſentiat. Legatio Salomonis Epiſc. ad Papam a Rege et Synodo. 858. Nicolai I. Papae Confirmatoria Synodi Wormatienſis. Ansgarii et Bremenſis Eccleſiae exemptio a Metropoli Colonienſi. 859. Concilium *Tullenſe* ad Saponarias XII. Provinciarum ſub Carolo Calvo. §. 1. Canones XIII. §. 2. Libellus proclamationis Caroli Regis adverſus Wenilonem. §. 3. Epiſtola Synodalis ad Wenilonem Senonenſem Archiep. §. 4. Epiſtola Synodalis ad Epiſcopos Britonum, qui a Metropolitano Turonenſi deſciverant. §. 5. Epiſtola Synodi ad Britones excommunicatos. 859. *Metenſe* Concilium contra Ludovicum Germaniae Regem, ad quem Epiſcopi cum commonitorio ablegantur. Commonitorium Synodale. 859. *Wormatienſis* Synodus, in qua Ludovicus, Germaniae Rex, Legatos Epiſcopos excipit, reſponſum differt: ad Papam cauſam defert per Thiotonem Abbatem Fuldenſem, et abſolvitur. 859. *Rabani* Archiep. Moguntini Epiſtola Canonica ad Heribaldum Epiſcopum Antiſſiodorenſem. Continet capp. XXXIV. Eiusdem ad Reginboldum Epiſcopum Moguntinum reſponſoria Canonica ad V. quaeſtiones. Eiusdem ad Reginbaldum Chorepiſcopum reſponſoria et definitoria. Eiusdem de Chorepiſcoporum poteſtate ad Drogonem Metenſem Epiſc. Eiusdem ad Humbertum Wurceburgenſem Epiſc. quota generatione liceat nubere? 895, *Rabani* tractatus de Conſanguineorum nuptiis, et de magorum praeſtigiis. 860. Concilium *Moguntinum* ſub Carolo Archiepiſc. Cuius variis quaeſtionibus Romam miſſis reſpondet Nicolaus Papa Epiſtola XIII. capitibus conſtante. 860. Concilium *Aquisgranenſe*, in quo Teutberga Regina accuſatur inceſtus V. Idus Ianuarii et ad poenitentiam damnatur. 860. Medio Februario Concilium *Aquisgranenſe*, in quo iterato examine Teutberga publicae poenitentiae ſubiicitur, et a Rege ſeparatur. 860. *Confluentiae* Synodus, menſe Iunio, in qua arbitrio Epiſcoporum regna dividuntur, et foedera iurantur. Capitula ab omnibus ſervanda XII. 860. *Friſingenſis* Synodus. Manonis donatio pro colendis Sanctis in monte S. Stephani. 860. Concilium

cilium *Tullenſe* apud Tuſiacum. Canones V. Epiſtola Synodica ad rerum ſacrarum pervaſores. 862. Concilium *Aquisgranenſe*, in quo permittitur Lothario divortium a Theutberga, et connubium cum Waldrada. Conteſtatio Lotharii de ſua incontinentia. Epiſcoporum aſſenſus. 862. Nicolai PP. a Theutberga provocati literae ad Radoaldum et Ioannem Epiſcopos, Legatos in Lotharingiam, cognoſendi divortii cauſa, commonitorium iisdem Legatis datum. 862. Eiusdem Epiſtola ad Lotharium Regem, ut Legatos ad Synodum cogendam mittat. Eiusdem ad Carolum Calvum, ut Regni ſui Epiſcopos mittat Metas. Eiusdem ad Ludovicum II. Imperatorem. Commendat ei legatos, ad Synodum in Franciam miſſos. Eiusdem ad omnes Archiepiſcopos per Galliam et Germaniam, ut ad Synodum Metenſem accedant, cauſam Lotharii inquirant. Eiusdem ad omnes Reverendiſſimos Archiepiſcopos Confratres in Concilio Metenſi reſidentes. 863. Concilium *Metenſe* de divortio Lotharii et Theutbergae, praeſentibus Legatis Apoſtolicis et ſolis Epiſcopis Lotharingiae, menſe Iunio. 863. *Adventii* Metenſis Epiſcopi, Libellus Apologeticus pro Conciliis Aquisgranenſibus et Metenſi. 863. Synodica Epiſcoporum ex Concilio *Metenſi* ad Papam. 863. Synodus *Romana* ſub Nicolao I. circa Kalend. Novembris. In qua I. damnatur Conciliabulum Metenſe anni huius: Theutgaudus et Guntharius ab Officio Epiſcopali deponuntur: In complices Epiſcopos comminatio ſimilis, ni reſipiſcant: Ingeltrudis, uxor Boſonis Comitis vaga, iterum excommunicatur. Anathema in violatores Apoſtolicorum Decretorum. 864. *Theutgaudi* et *Guntharii* Epiſtola Apologetica et appellatio. 864. Eorundem et aliorum interceſſoria pro Rothado Sueſſionenſi, iniuſte ab Hincmaro depoſito. 864. Synodus *Conſtantienſis* ſub Salomone Epiſcopo, elevante corpus S. Othmari. 864. Synodus Romana II. Excommunicantur Theutgaudus et Guntharius Archiepiſcopi. 864. Narratio ſummaria geſtorum ab Arſenio Ortenſi Epiſcopo, Legato Papae, Francofurti, in Gundulfi villa, Attiniaci, pro executione

cutione Concilii Romani anni 863. et pro tollendo divortio Lotharii et Theutbergae. 864. *Nicolai* PP. Epiſtola ad Ludovicum Germaniae, et Carolum Calvum Galliae Reges, epiſcopos in urbem mittendos fuiſſe: Lotharium a divortio removendum: Coloniae et Cameraci conſecrandos Epiſcopos. 865. *Franconi* Tungrenſi poenitenti, veniam dat Nicolaus Papa. 865. *Adventii* Metenſis Epiſtola ad Papam purgatoria et deprecatoria. 865. Caroli Calvi Regis interceſſoria pro Adventio ad Papam. Nicolai Papae abſolutoria, Adventio miſſa. 867. *Nicolai* Papae ad Hincmarum et Epp. Galliae Epiſtola narratoria de criminationibus Graecorum contra Occidentales Eccleſias, et excitatoria ad omnes Epiſcopos occidentis contra omnes Graecorum. 868. Concilium *Wormatienſe*. Profeſſio fidei contra primarium errorem Graecorum. Canones LXXX. circa diſciplinam et poenitentiam. Confirmatio Monaſterii Heriſienſis. 868. *Lotharii* Regis Epiſtola ad Nicolaum Papam. Rogat, ne aemulis credat: paratum ſe, coram Papa ad calumnias aemulorum confutandas. 868. *Nicolai* PP. ad Carolum Calvum, Patruum Lotharii, de novis attentatis huius Regis; ut Theutbergam in regnum ſuum recipiat interim, dum Epiſtolas Pontificias Lothario et Epiſcopis dirigat. 868. *Treverico* in Conventu conatur Lotharius Theutbergam *iterum* inducere, ut falſi criminis ſe ream fateatur et velum ſumat. 868. Synodus *Ticinenſis*, hic primum edita, ab Epiſcopis Ludovici II. Imp. celebrata pro depoſitis Theutgaudo, et Gunthario Archiepiſc. reſtituendis. Epiſtola Synodica PP. Ticinenſium ad Nicolaum I. Epiſtola Guntharii ad Hincmarum. 866. *Nicolai* PP. Reſponſoria ad Ludovicum Regem Germaniae, ut deſinat intercedere pro depoſitis. *Nicolai* PP. Reſponſoria ad PP. Synodi Ticinenſis. Eadem eſt apologetica omnium Actorum a Nicolao in hac divortii cauſa. 868. *Nicolai* PP. ad Archiepiſcopos et Epiſcopos in Regno Lotharii: Waldradam iam tertio excommunicatam eſſe; doceri vult, an et quomodo Lotharius cum Theutberga vivat. 868. Eiusdem ad Lotharium Regem, cui refert, quod Theutberga

berga contra ſe ipſam ſcripſerit. Matrimonium ſolvi non poſſe, niſi et ipſe caelebs deinceps vivat. 868. Eiusdem ad Theutbergam. Reprehendit eius impatientiam: Coniugium non poſſe diſſolvi, niſi maritus caelebs dein velit manere. 868. Eiusdem ad Ludovicum II. Regem, ut Lotharium ad Theutbergam, Ingeltrudem ad Boſonem redire compellat. 868. Eiusdem ad Ludovicum Regem. Reprehendit eius in praeſtandis promiſſis moram. Lotharium Romam non vult venire, niſi Waldrada dimiſſa, Theutberga recepta: Coloniae et Treveris legitimos Epiſcopos ordinandos eſſe. 869. Synodus Dioeceſana *Colonienſis*. Electio et conſecratio Williberti Archiep. Coloniae. 873. Synodus nationalis *Coloniae*. §. 1. Licentia proprietatis Canonicis a Gunthario indulta confirmatur. §. 2. Electio Praelatorum iisdem conceditur. §. 3. Poteſtas Praepoſiti in gubernandis perſonis et rebus temporalibus. §. 4. Licentia teſtandi. §. 5. Dedicatio Eccleſiae Metropolitanae. §. 6. Fundatio Eſſendienſis Coenobii. §. 7. Fundatio et dotatio Gerresheimenſis Coenobii. 873. Conventus Regis et Epiſcoporum in *Franconofurt* et *Moguntia*. Caroli filii obſeſſi liberatio. 873. *Ioannes VIII.* Pp. Pallium donat Waloni Epiſcopo Metenſi. 876. Concilium *Treverenſe*. De cauſa et uſu Pallii, Suffraganeo donati a Papa. 876. *Ioannes VIII.* invitat Epiſcopos Germaniae ad Synodum Trecenſem. 880. Synodus *Germanica* loci incerti, in quo Adalgarius Coadiutor Hammaburgi conſtituitur. 887. Concilium *Colonienſe* Provinciale contra raptores rerum Eccleſiae. Canones VI. 888. Concilium *Moguntinum* ſub Arnulpho et Archiepp. Capitula XXV. cum Praelocutione ad Patres Concilii. Confirmantur a Synodo privilegia Corbeiae et Herivordiae. De ſubtractis Eccleſiae Oſnabruggenſi decimis conſultatio. 888. Concilium *Metenſe* de reformandis moribus. Capita IX. 890. *Forchemenſis* Synodus. Confirmat fundationem Herifienſis Coenobii, et donationes Wicberti Epiſcopi factas variis Eccleſiis. 890. Concilium *Wormatienſe* indictum in cauſa coniungendae Bremae et Hamburgi. 892. *Franco-*

 *for-*

*fordienſe* Concilium, in quo decernitur ſubiectio aliqua Bremenſis Epiſcopi erga Colonienſem Metropolitam. Epiſtola Formoſi Papae confirmatoria Synodi. Confirmantur dona facta Herifordienſi Caenobio. 895. *Triburienſe* Concilium ſub Arnulfo Rege a XXIII. Epiſcopis celebratum. Canones LVIII. Epiſtola praelocutoria Capitulorum. Capitula ex Burchardo ſervata praeter priora LVIII. 898. *Treverenſis* Synodus. Elevatio corporis S. Maximini Archiep. 898. *Aquisgrani* Synodus in qua Traiectenſis Abbatia Treverico Archiepiſcopo reſtituitur. 899. *Saltzburgenſis* Synodus. Wichingi Patavienſis Epiſcopi et Richardi ſurrogatio. *Remedii*, Curienſis Epiſc. Canones XLIX. ſaeculo nono ſcripti. *Digreſſio ad Saeculum Nonum.* §. 1. De delectu Conciliorum tum a Comitiis, tum nobiliorum a conditis Canonibus. §. 2. Synodi extra Germaniam habitae, ſpectantes tamen ad Germaniae Eccleſias. §. 3. De exitu Synodi Aquisgranenſis anni 809. §. 4. Cur Canonizatio S. Swiberti anno 803. praetermiſſa ſit? §. 5. Canoniſtae Saeculi noni in Germania praecipui. §. 6. Quot Synodi in cauſa coniungendae Bremae cum Hamburgo celebratae, quibus annis? contra Cl. Manſi in Supplementi Conciliorum Tomo I. §. 7. De Godeſcalci damnatione in Synodo Moguntina anno 848. §. 8. De Synodis in cauſa divortii Lotharii et Theutbergae: diſſentiente Cl. Manſi. *Saeculum X.* 904. Libellus *Reginonis* de Eccleſiaſticis diſciplinis et religione Chriſtiana. Inquiſitio de his, quae Epiſcopus vel Miniſtri eius viſitaturi Dioeceſin inquirant. Primus Libellus colligit Canones CCCCXLIII. Secundus continet Canones CCCCXLVI. 903. Synodus *Forchemenſis*, in qua Adelbertus Comes ob vaſtatam Wurceburgenſem Dioeceſin multatur a Ludovico III. Imp. et Epiſcopis ſuis bonis: donantur eidem Eccleſiae nova bona. 903. *Ottingenſis* in Bavaria Conventus Ludovici et Epiſcoporum. Donatur Monaſterio S. Emmerani curtis. 906. In *Holtzkircha* Bavariae conventus. Ludovicus et Epiſcopi renovant Eccleſiae Friſingenſi libertatem eligendi inter ſe Epiſcopi. 908. *Friſingenſis* Synodus. Dracholfi

cholfi Friſingenſis Epiſcopi et Cuononis Chorepiſcopi mutua complacitatio et traditio. 912. *Halberſtadenſis* Synodus, in qua Hatheburg, nupta Henrico Aucupi, quia ante nuptias monaſterium ingreſſa fuerat et velata, excommunicatur. 916. Tullenſis Synodus, in qua decima Eccleſiae S. Apri reſtituenda deciditur. 916. Synodus in *Altheim*, ſub Conrado Reg. Germaniae, Canones X. ex Burchardo ſervati et huc tranſcripti ex XXXVIII. Canonibus factis ſuperſtites. 919. Aut poſt 512. *Conſtantiae* Synodus una et altera de Wendelgarta, Henrici Regis filia, ob abſentiam mariti velata, ſed reduci marito reſtituta certis pactis. 920. *Leodienſis* Synodus. Eugenii Martyris et Epiſcopi reliquiae advectae et cultae ſub Stephano Tungrenſi Epiſc. 920. *Caroli III.* Simplicis Epiſtola ad Epiſcopos Regni ſui contra Hilduinum electum Tungrenſem. 920. Hermanni Archiep. Colonienſis Epiſtola ad Richarium electum Tungrenſem. 920. *Ioannis* Pp. Epiſtola ad Hermannum Colon. qua iubetur Hermannus cum Candidatis Tungrenſis Eccleſiae Romam venire. 921. Conventus Bonnae, in quo Epiſcopi utriusque Regis arbitros et ſponſores agunt de regno Francorum inter Carolum Simplicem Franciae Occidentalis et Henricum Aucupem Franciae Orientalis et Germaniae Regem. 922. Synodus *Confluentina* eorundem Regum, ut ſupra, Conventus cum VII. Epiſcopis, Canones V. ſervati ex octo conditis. 927. *Treverenſis* Synodus, in qua liber Sanctionum Eccleſiaſticarum a Ruotgero Archiep. Treverenſi ſcriptus, promulgatur et acceptatur. 929. Concilium *Duisburgenſe*, in cauſa Bennonis Epiſc. Metenſis excaecati. 932. *Erfordienſe* Concilium nationale. Capitula V. ſervata ex XXVIII. 932. *Ratisbonenſis* Synodus. Admonitio mutua Epiſcoporum de omnibus rebus et iuſtitiis ad veram et orthodoxam religionem Catholicae Fidei pertinentibus. Indictae et condictae Miſſae, Pſalteria, Eleemoſynae, pro defunctis Epiſco 932. *Dingolvingenſis* Synodus. Reſtitutio facta Eccleſiis Arnulpho malo, Duce Baioariae. 937. *Leonis VII.* Papae Epiſtola ad Gallos et Germanos Epiſcopos circa diſciplinam

Cleri. 939. *Leo VII.* ſcribit Gerardo, Laureacenſi Epiſcopo, eique Pallium mittit, certis diebus gerendum, ſpeciatim Synodum celebranti. 942. *Bunnae* Synodus XXII. Epiſcoporum. Acta perierunt: at memoria ſupereſt. 944. *Duisburgi* Synodus, ubi Ruotbertus Treviror. et Richardus Tungrorum Epiſcopi ſe purgant apud Ottonem I. contra accuſatorem Conradum Lotharingum. Corpus S. Servatii Duisburgum Traiecto advehitur, quo Rex flectatur ad vindictam inferendam Immoni Comiti, Eccleſias perſequenti. 947. *Virdunenſe* Concilium coram duobus Regibus Ludovico et Ottone et plurimis Epiſcopis. Artaldo ſedes Remenſis adiudicatur contra Hugonem competitorem. 948. *Moſomenſe* Concilium. Artaldo iterum addicitur cathedra Remenſis. Hugo a Communione ſuſpenditur usque ad generalem Synodum. 948. *Ingelheimenſe* Concilium nationale, menſe Ianuario. In eo Artaldi Remenſis electio confirmatur, Hugo excommunicatur, praeſente Rege, Legato Apoſtolico Marino, et plurimis Epiſcop. Canones X. ſanciuntur. 948. *Artaldi* Remenſis Archiep. Epiſtola ad Marinum Legatum Apoſtolicum apologetica. 948. *Treverenſe* Concilium, in quo Hugo denuo excommunicatur, praeſide Marino Legato Apoſtolico. 948. *Agapiti II.* Papae Epiſtola ad Adalgarium Hamburgenſem Archiepiſc. in qua coniunctionem cum Bremenſi confirmat. 948. *Colonienſis* Synodus, in qua Wicfridus Archiep. ampliat bona Eccleſiae S. Severini. 952. *Francofurtenſis* Synodus. Capitula duo, Ottonis Regis et Epiſcoporum conſenſu decreta. 952. *Auguſtana* Synodus nationalis ſub Ottone I. Capitula XI. 954. In *Arnſtadt* Thuringiae oppido Conventus. Pax poſt cladem Hungerorum ſtabilita. Wilhelmus, filius Ottonis, Moguntinus Archiep. a Clero et populo electus. 956. *Friſingae* Synodus. Concambium Lantperti Epiſcopi et Engilscaletri nobilis viri. 957. In *Quidlinburg* Conventus Regis, Epiſcoporum, et Abbatum; Monaſterium Alanesburg transfertur Lutram: praeficitur Abbas, cuius electio libera datur cum variis praediis ab Ottone Rege. 958. In Ingelheim

heim Conventus XII. Epiſcoporum et Regis: Heroldo Salisburgenſi exoculato ſubrogatur Fridericus. 961. *Ratisbonae* Conventus nationalis praeſentibus duobus Legatis Apoſtolicis. Decernitur translatio reliquiarum S. Mauritii ad Magdeburgum. 962. *Ioannis XII.* Bulla prima pro erectione Magdeburgi Archiepiſc. et Merſeburgi Epiſc. Canones VI. ſtatuti. 964. *Coloniae* Concilium ſub Brunone Archiepiſc. pro diſciplina Cleri. Synodica Brunonis Papae miſſa a Rutgero dicitur, ſed periit. 965. Coloniae Concilium, in quo fundatio collegiatae S. Martini Leodii confirmatur. 966. In *Quedlinburg* conventus Ottonis et cunctorum Regni Archiepp. et Epp. Mathildis, filia unica Regis, Abbatiſſa benedicitur non ab uno Epiſcopo, ut moris eſt, ſed a multis ibi collectis Epp. 967. *Virdunenſis* Synodus, ſub Wicfrido Epiſcopo. Decimam Capellae S. Martini ſubiectam eſſe et fuiſſe ſancti Syri Eccleſiae VII. Presbyteri iurant, ratificante Epiſcopo ſuo Banno et Synodo. 967. Concilium *Ravennatenſe:* in quo Heroldus Salisburgi Archiep. excaecatus ob attentata varia contra canones, excommunicatur. Synodica I. Ioannis XIII. Pp. de inſtitutione Magdeburgi Metropolis et Suffraganeorum. 968. *Ingelheimii* Synodus, in qua Fridericus Salzburgi Heroldo ſurrogatur. 968. Synodus *Romana*, in qua Burchardus, primus Miſnenſis Epiſcopus, Sanctae ſedi immediate ſubiicitur: Termini dioeceſis Miſnenſis finiuntur: Donata Miſnenſi Eccleſiae ab Auguſto, Papa et Synodo confirmantur. Synodica altera Ioannis XIII. qua Gerbertae Abbatiſſae Gandersheimenſi conceditur protectio ſedis Apoſtolicae, libera electio Abbatiſſae, et bona omnia confirmantur. Synodica III. Ioannis XIII. ad Theotfridum Abbatem S. Maximini, qua electio libera conceditur eius Monaſterio. 2. Ab omni vi et iurisdictione eximitur: 3. Omnis alienatio vel cambiatio bonorum interdicitur. 968. *Ravennatenſis* Synodus, in qua perficitur inſtitutio Archidioeceſis Magdeburg. Synodica IV. Ioannis XIII. ad Adelbertum primum Magdeburgi Archiep. cui conceditur Primatus inſtar Moguntini in Germania prima, Treverenſis in

Belgica, Colonienſis in Germania 2da. Canonicorum Metropolitanae numerus, qualitas, poteſtas definitur. 968. *Ioannis XIII.* Synodica ex Synodo Ravennatenſi, qua Adelberto Archiep. Magdeburgi mittit Pallium certis diebus geſtandum. 968. In Coenobio *S. Galli Conſtantienſis* Dioeceſis, conventus Epiſcoporum et Abbatum. Accuſationes intentatae enervantur. Ruodmannus Augienſis Abbas, accuſator reiicitur. Fraternitas omnibus datur. 968. *Leodienſis* Synodus ſub Eberkaro. Praedium ad Lauresham ſpectans, et decimae inde provenientes, eidem reſtituuntur. 969. *Romanum* Concilium, in quo Ioannes XIII. Primatum Treverenſi AEpiſcopo confirmat, et Vicariatum Sedis Apoſtolicae. 969. In hac, vel poſt Synodum *Ravennatenſem*, Hatto Moguntinus Archiepiſc. conſentit, et Hildewardus Magdeburgenſi Archiepiſcopatui erecto et ſubtractioni Brandenburgenſis et Havelburgenſis Eccleſiarum ſubiiciendarum Magdeburgenſi. 970. *Metenſis* Synodus, ſub Theodorico Epiſcopo decimas hactenus deputatas perſonis laicalibus Eccleſiarum Officialibus reſtituit. 970. *Magdeburgenſis* Synodus I. Inthronizatio primi Archiepiſcopi Adelberti et Suffraganeorum Hierarchia ordinata. 971. *Tullenſis* Synodus ſub Gerardo Epiſcopo bona quaedam Eccleſiae S. Michaelis donante. 972. Concilium *Ingelheimenſe*, quo Adalbero, nepos S. Udalrici, vetatur uti inſignibus Epiſcopalibus, vivente Epiſcopo S. Udalrico. Corbeienſis Abbas et Herfordenſis Abbatiſſa coguntur decimas reſtituere Eccleſiae Osnabrugenſi. 975. *Tulnenſis* in Bavaria Synodus, in qua bona Batavenſi Eccleſiae ablata, reſtituuntur. 975. Synodus *Romana*, in qua Benedictus VII. donat Theodorico Archiep. Treverenſi cellam quatuor coronatorum in urbe Roma. 976. Synodus *Laureacenſis* ſub Piligrimo Archiep. de decimis Eccleſiae huic debitis. 977. In *Trutmannia* Synodus. Henricus Auguſtae Epiſcopus exilio liberatur. 979. Ingelheimii Synodus. Elevatio S. Celſi Epiſc. Treverenſ. decreta Epiſcoporum conſenſu. Coniunctio Monaſteriorum Stabulenſis et Malmundarienſis ſub unico Abbate libere eli-

gendo

gendo a Monachis utriusque coenobii. 980. *Leodienſis* Synodus, in qua miracula S. Landoaldi lecta approbantur, et Gandavum mittenda decernuntur, Notkero Epiſcopo praeſide. 981. *Treverenſis* Synodus, ſub Egberto Archi-epiſcopo: S. Paulini Monaſterium dotatur et fundis augetur. 982. *Tullenſis* Synodus ſub S. Gerardo Ep. Praeſide, confirmante teſtamentum Goderanni Primicerii et omnia bona Abbatiae S. Manſueti. 985. Apud *Tulnam* in Bavaria Conventus, ſub Piligrimo Epiſc. Patavienſi, obtinente ab Ottone III. immunitatem pro colonis Eccleſiaſtici patrimonii in Auſtriam deductis. 985. Synodus *Laureacenſis I.* de decimis Eccleſiae Laureacenſi competentibus, ſub Piligrino Epiſcopo Pataviensi: altera in Mautoren, tertia in Miſtelpach, de eodem argumento, eodem anno. 987. Synodus *Andernacenſis*, in qua Otto III. auget privilegia Vilicenſis Coenobii. 988. *Tullenſis* Synodus ſub S. Gerardo Epiſc. praeſide, dante cellam in Ingolini curte ſitam, S. Michaeli, manu ſua, teſtante Clero et anathematis adiectis. 991. *Halberſtadenſis* Synodus ſub Hildewardo, conſecrante ſuam Cathedralem, cuius ſingula altaria a diverſis Archiepiſc. et Epiſc. conſecrantur, et reliquiis ditantur. 992. Synodus *Aquisgranenſis IV.* Hebdomadis ante nativitatem Domini, a Septuageſima ad Paſcha, XIV. diebus ante feſtum S. Ioannis Baptiſtae, interdicuntur ſaecularia placita et nuptiarum celebratio. 993. *Romana* Synodus, in qua S. Udalricus Auguſtae Epiſcopus canonizatur. Synodica *Ioannis XIV.* ad omnes Epiſcopos et Abbates Galliae et Germaniae. 993. *Tremonienſis* Conventus, in quo deciditur controverſia inter Dudonem Epiſc. Monaſterienſem et Monaſterium Meteleſe. 995. *Gandersheimenſis* Synodus, de controverſia Iurisdictionis in Coenobium Gandersheimenſe inter Willigiſum Moguntinum Archiepiſcopum et Bernwardum Hildeſinum. Confirmatio privilegiorum Corbeiae ab Ottone III. 996. *Romanum* Concilium de cauſa vaſtatae Cameracenſis Eccleſiae ad favorem Hilduini. Epiſtola Synodica Gregorii V. ad Hilduinum Cameracenſem. 998. *Romanum* Concilium, ex quo pauca

pauca excerpuntur. Canon. III. de reſtituendo Merſeburgenſi Epiſcopatu. Canon. IV. de Giſilario Magdeburgenſi Archiepiſcopo examinando, qua via a minori ad maiorem ſedem migraverit. 999. *Magdeburgenſis* Synodus. Luitgarda rapta a Werinhario ad tempus ſeparatur. Sigefridi apoſtatae ab ordine Monaſtico purgatio. Macthildis monialis a peccato abſolutio. 1000. *Aquisgrani* Conc. XXV. de cauſa Giſilarii Merſeburgo removendi. 1000. *Quedlinburgi* Synod. II. de Giſilario appellante ad Concilium generale, contra Legatum Papae. *Digreſſio ad Saeculum X.* §. 1. De autoritate Eccleſiae Romanae et Epiſcoporum apud Reges et omnem Clerum et populum, primo Millenario aerae Chriſtianae, ac praeſertim hoc Saec. X. §. 2. De Canoniſtis Germanis hoc Saec. X. §. 3. De Canonizationibus Sanctorum et Reliquiarum elevatione hoc Saeculo. §. 4. De Conciliis Germaniae Saeculo X. nobilioribus. §. 5. De mutationibus Hierarchiae Epiſcopalis fundatae, ampliatae.

Atque haec ſunt Tomi Secundi Collectionis Conciliorum Hartzhemianae contenta. Quod iam ad primum Tomum obſervatum a nobis eſt, hic iterum repetimus, Hartzhemium Principum Curias, in quibus, pro illorum temporum genio, Epiſcopi et Abbates dominabantur, Concilia et Synodos nominaſſe: quaſi vero Cleri auctoritate, non Imperatorum iuſſu, Proceres ad deliberandum convenerint. — Ita quod Aquisgranenſe Concilium ad a. 817. nominavit, Curia fuit, ſeu Conventus Principum, Ludovici Pii auctoritate indictus. Sunt in *Manſii* V. Cl. Supplem. Concil. T. I. p. 789. ſupplementa ad 80. capitula, eo conventu clericis emendandis propoſita, quae tamen an genuina ſint, fere dubitamus. Quod ad a. 818. Concilium Aquisgranenſe XII. nominat, itidem curia fuit, qua Theodulfus Epiſcopus, cum aliis aliquot, qui Bernardo regi Italiae, Ludovici pii adverſario, favebant, puniti ſunt. Legi meretur ſuper ea re *Bunavii* Comitis Hiſtoria Imperii Germanici, T. III. p. 44. *Conventus* ad Theodonis Villam, (amat hanc vocem dubiam Hartzhemius, miſcendis Curiis et Conciliis apprime

prime idoneam,) anno 821. Comitiis imperii accenſendus eſt, quibus Ludovicus Imp. poenas acuit illorum, qui Clero graves eſſent. Atque hic vehementer miramur, Auctorem nullam feciſſe mentionem *Neomagenſis Concilii*, quod aliqui huc referunt ex *Petri Franc. Chifletii* Adpend. ad quatuor opuſcula p. 225, etſi neque mentio ulla eo conventu Principum iniecta eſt rerum ſacrarum. Concilium *Aquisgranenſe*, de corpore S. Huberti, Tungrorum Epiſcopi, Leodio Andainum transferendo, quod ad a. 825. adfert, maxime dubium eſt, ut videre eſt ex *Manſi* Supplem. Conc. T. I. p. 833. Conventum Compendienſem rebellium A. 833. in quo praeſens erat magna Epiſcoporum copia, et cuius Acta ſunt apud *Sirmondum* Conc. Gall. T. II. p. 560. itemque *Harduinum* Concil. T. IV. p. 1378. et alios, tamen prudenter reticuit, ne rebellionis eius videretur notam praeſenti Clero inurere. Narrationem hiſtoricam factorum in depoſitione Ludovici inſcripſit. In *Theodonis Villa* Synodus a. 835. inter Comitia pertinet, habita Ludovico in ſolium reſtituendo, etſi multis Archiep. et Epiſcopis praeſentibus; iudicatum eſt etiam per eam occaſionem de rebellibus Epiſcopis, inter quos auctor turbarum omnium, Metenſis Praeſul, Ebbo, qui graviora meruerat, punitus legitur: vid. *Flodoardi* hiſt. Eccl. Rhemenſ. L. II. c. 20. Concilium ad *Theodonis Villam*, in loco qui dicitur Iudicium (Iudz,) a. 844. Principum Conventus fuit, praeſentia Lotharii, Ludovici, Caroli, regum Francorum, nobilitatus; neque enim eapropter erat inter Concilia numerandus, quod praeſentes Epiſcopi ſex Canonibus dignitati et poſſeſſionibus ſuis caverunt, quod *Bünavius* docuit Hiſt. Imp. T. III. p. 242. Idem vir eruditiſſimus l. c. pag. 293. multis argumentis oſtendit, *Wormatienſe* Concilium anni 857, quod Manſius, contra Pagii ſententiam, ad annum 863, retulit, ſuper coniunctione Praeſulatuum Hammaburgi et Bremae, in numero Comitiorum Imperii habendum eſſe. De Digreſſionibus, cuivis Saeculo ſubiunctis, nil quidquam monemus; daturi propediem et Tertii Tomi Collectionis Hartzhemianae ſciagraphiam.

## *DEMONSTRATIO THEOREMATIS ACTIS LIPſienſibus propoſiti ad Annum 1754. Menſe Ianuar. pag. 40. Auctore Archidiacono IOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS DE FAGNANO, ex Sancti Honorii Marchionibus.*

In Actis ſuperius dictis, invitati ſunt Geometrae ad demonſtrandum ſequens *Theorema:* (Fig. I.)

Tab. III. Si Ellipſis $AEBF$, axibus principalibus $AB$, et $EF$ deſcripta, per diametrum quamcunque obliquam $XCY$ biſecetur, ad quam Semidiameter coniugata $CZ$ producatur in $V$, ut ſit $CV$ aequalis ſemiaxi $CA$, et ex $V$ ad $CA$ normalis agatur $VP$, haec ellipſin ita ſecabit in puncto $S$, ut Arcuum $XAS$, et $YFS$ differentia geometrice aſſignari poſſit. Si enim ex $X$ ad $CZ$ perpendiculum $XQ$ ducatur, intervallum $CQ$, bis ſumtum, aequale erit illorum arcuum differentiae, ſeu erit $YFS - XAS = 2\,CQ$.

Ut via, qua poſſim, expeditiori, hoc Theorema demonſtrem, praemittendum mihi eſt ſequens

### *Lemma.*

Sit Ellipſis $AEBF$, cuius Axes ſint rectae $AB$, $EF$, et Centrum punctum $C$.

Sit $CA = a$, $EC = b$; abſciſſa $CM = x$. Si ſumatur abſciſſa $CP\,(z)$ talis, ut ſit $z = \dfrac{a\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$, et ducantur ordinatae $MX$; $PT$. Dico quod

$$\text{Arc. } EX - \text{Arc. } AT = \frac{(a^2-b^2)}{a^3}\,xz = \frac{(a^2-b^2)\,x\sqrt{a^2-x^2}}{a^2\sqrt{a^2 - \frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$$

Omnium primus hanc veritatem invenit, ac demonſtratione fulcivit *Pater meus*, uti videre eſt in *Diario Eruditorum*

*rum Italiae* ad Annum 1716, Venetiis edito, Tom. XXVI. Articulo VI, cui titulus *Theorema*, *ex quo deducitur Nova Menſura Arcuum Ellipticorum*, *Hyperbolicorum*, *et Cycloidalium.* Et in ſecundo ſuarum *Productionum Mathematicarum* Tomo pag. 336. Piſauri impreſſo Anno 1750.

## *Demonſtratio Theorematis*

### I.

Salvis, quae praecedunt, denominationibus. Ex Vertice $Z$ Semidiametri $CZ$ ducatur ordinata $ZO$

*) Ex his, quae demonſtrantur in Conicis, $CO = \sqrt{a^2 - x^2}$; $CZ = \sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}$. Iam ex Hypotheſi Theorematis $CV = a$.

Hiſce praemiſſis, ob parallelas $VP$, $ZO$, ſubſiſtet proportionalitas

$ZC . CO :: VC, PC$; hoc eſt in terminis analytice expreſſis

$\sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}} . \sqrt{a^2 - x^2} :: a . CP$; ideoque $CP = \frac{a\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}}$

et per Lemma

$$\text{(A) Arc. } EX - \text{Arc. } AT = \frac{\frac{(a^2 - b^2)\, x \sqrt{a^2 - x^2}}{a^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}}$$

 II. Re-

*) Haec, et caetera, quae ex Conicis ſupponimus, iam in noſtro *Sectionum Conicarum Tractatu Analytico* demonſtravimus, brevi imprimendo.

II.

Recta $XQ$, quae per ſuppoſitionem perpendicularis eſt ad Diametrum $CZ$, ſecet ſemiaxem $CA$ in $L$

Per ſimilitudinem Triangulorum Rectangulorum $CVP$, $CQL$ obtinebitur $CV.CP::CL.CQ$.

Per Articulum praecedentem $CP = \frac{a\sqrt{a^2-x^2}}{\sqrt{\frac{a^4-(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$

Ulterius per Conica $CL = x\frac{(a^2-b^2)}{a^2}$. Propterea in Proportionalitate praecedenti ſubſtituendo cuique valori lineari valorem analyticum reſpondentem, orietur haec alia $a. \frac{a\sqrt{a^2-x^2}}{\sqrt{\frac{a^4-(a^2-b^2)x^2}{a^2}}} :: x\frac{(a^2-b^2)}{a^2}.CQ$; Conſequenter

(B) $CQ = \frac{(a^2-b^2)}{a^2}\,\frac{x\sqrt{a^2-x^2}}{\sqrt{\frac{a^4-(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$

Et per Aequationem $(A)$

Arc. $EX$ — Arc. $AT = CQ$

Ideoque etiam

(C) 2 (Arc. $EX$ — Arc. $AT$) $= 2\,CQ$

III.

Sectores $XCE$, $FCY$, qui ad verticem opponuntur, cum ſint aequales, ſuperimpoſiti perfecte congruent, erit igitur

Arc. $EX =$ Arc. $FY$.

Similiter producendo ordinatam $XM$, donec ſecet Curvam in puncto $H$, notum eſt, quod

Arc. $EX =$ Arc. $HF$

Quapropter 2 Arc. $EX =$ Arc. $FY +$ Arc. $HF =$ Arc. $YH$

Pari-

Pariter producendo ordinatam $TP$, donec Ellipſi occurrat in puncto $S$, erit 2 Arc. $AT =$ Arc. $TAS$.

Facta ideo debitis ſubſtitutionibus in prima parte Aequationis ($C$), eadem evadet

Arc. $YH -$ Arc. $TAS = 2\,CQ$.

Et addendo huic Aequationi Arc. $HS =$ Arc. $XT$, et poſtea transponendo, obtinebitur

Arc. $YH +$ Arc. $HS -$ Arc. $TAS -$ Arc. $XT = 2\,CQ$, id eſt

(D) Arc. $IFS -$ Arc. $XAS = 2\,CQ$. Quod erat demonſtrandum.

*Corollarium I.*

Ex Diametri $CX$ vertice $X$ ducatur Tangens $XN$, in quam producta ex Centro $C$ in puncto $K$ incidat normalis $CK$, cum ſit Tangens $XN$ ſemidiametro $CZ$ parallela, evidens eſt, quod $KX = CQ$; ergo per Theorema

Arc. $YFS -$ Arc. $XAS = 2\,KX$

*Corollarium II.*

Cum ſit $z = \dfrac{a\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$, erit quoque $a^2 z^2 -$

$\dfrac{(a^2-b^2)}{a^2} x^2 z^2 = a^4 - a^2 x^2$;

Conſequenter $a^2(z^2 + x^2 - a^2) = \dfrac{(a^2-b^2)}{a^2} x^2 z^2$.

Ex qua Aequatione profluet

$\dfrac{a^2\sqrt{z^2 + x^2 - a^2}}{\sqrt{a^2 - b^2}} = xz = \dfrac{ax\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$. Ideoque

per Aequationem ($D$)

Arc. $YFS -$ Arc. $XAS = 2\left(\sqrt{\dfrac{a^2 - b^2}{a}} \times \sqrt{z^2 + x^2 - a^2}\right)$

 Sit

Sit nunc punctum $F$ focus Ellipſis (Fig. II.), notum eſt quod $CF = \sqrt{a^2 - b^2}$.

Si ergo in Aequatione praecedenti valoribus analyticis ſurrogentur lineares, eadem immutabitur in

$$\text{Arc. } YFS - \text{Arc. } XAS = \frac{2\,CF}{CA}\sqrt{CM^2 + CP^2 - CA^2}$$

$$= \frac{2\,CF}{CA}\sqrt{CM^2 - PV^2}$$

Id eſt in

$$\text{Arc. } YFS - \text{Arc. } XAS = \frac{2\,CF}{CA}\sqrt{AO \times OB - AP \times PB}$$

*Corollarium III.*

Quoniam $CQ = \frac{(a^2 - b^2)}{a^2}\, x \, \frac{\sqrt{a^2 - x^2}}{\sqrt{a^2 - \frac{(a^2 - b^2)x^2}{a^2}}}$. Si cuique Analyticae Expreſſioni, ex quibus huius aequationis ſecunda pars componitur, ſubſtituatur ſuus reſpondens valor linearis, eadem evadet

$$CQ = \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{CZ}$$

Modo ex Focis $F$, et $f$, ducantur ad punctum $X$ rectae $FX$, $fX$, et ſemiaxis $CE$ protrahatur, donec in puncto $R$ occurrat Tangenti $NX$, ſitque recta $XI$ radius Circuli curvam oſculantis in puncto $X$. Per ea, quae ex Conicis habentur, hae quatuor ſubſiſtunt Aequationes

$$CZ = \sqrt{FX \times fX}$$
$$CZ = \sqrt{RX \times XN}$$
$$CZ = \sqrt{IX \times XQ}$$
$$CZ = \sqrt[3]{CA \times CE \times IX}$$

Ergo

Ergo etiam ſequentes

$$\frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{CZ} = \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{FX \times fX}}$$

$$\frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{CZ} = \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{RX \times XN}}$$

$$\frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{CZ} = \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{IX \times XQ}}; \quad \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{CZ} = \frac{CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt[3]{CA \times CE \times IX}}$$

Conſequenter per Aequationem $(D)$

$$\text{Arc. } \Upsilon FS - \text{Arc. } XAT = \frac{2CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{FX \times fX}}$$

$$\text{Arc. } \Upsilon FS - \text{Arc. } XAT = \frac{2CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{RX \times XN}}$$

$$\text{Arc. } \Upsilon FS - \text{Arc. } XAT = \frac{2CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt{IX \times XQ}}$$

$$\text{Arc. } \Upsilon FS - \text{Arc. } XAT = \frac{2CF^2}{CA^2} \times \frac{CM \times CO}{\sqrt[3]{CA \times CE \times IX}}$$

In hac poſtrema aequatione ſubſtituatur $\frac{CA^2 \times LX^3}{CE^4}$ pro radio oſculi IX, et obtinebitur

$$\text{Arc. } \Upsilon FS - \text{Arc. } XAT = \frac{2CF^2}{CA^3} \times \frac{CE \times CM \times CO}{LX}$$

*Corollarium IV.*

Si quaeratur maxima differentia Arcuum Ellipticorum $\Upsilon FS$, $XAS$, differentietur quantitas $\dfrac{\frac{2(a^2-b^2)}{a^2} x \sqrt{a^2-x^2}}{\sqrt{\frac{a^4-(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$ valor analyticus rectae $2CQ$; atque haec differentiatio, omit-

omittendo quantitatem $2\frac{(a^2-b^2)}{a^2}$, per quam quisque illius terminus multiplicatur, exhibebit

$$\frac{dx\sqrt{a^2-x^2}-x^2dx}{\sqrt{a^2-\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}\sqrt{a^2-x^2}\times\sqrt{a^2-\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}+\frac{\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}\sqrt{a^2-x^2}\times dx}{\left(a^2-\frac{(a^2-b^2)xx}{aa}\right)^{\frac{3}{2}}}$$

$=o$ Conſequenter ad eundem Denominatorem reducendo, poſtea multiplicando per $\sqrt{a^2-x^2}\times\left(a^2-\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}\right)^{\frac{3}{2}}$.

$a^4dx-2a^2x^2dx+\frac{(a^2-b^2)}{a^2}x^4dx=o$, ex qua aequatione per $dx$ diviſa, inde tranſpoſita orietur
$-2a^2x^2+\frac{(a^2-b^2)}{a^2}x^4=-a^4$; et multiplicando per $\frac{a^2}{(a^2-b^2)}$; $\frac{-2a^4x^2}{(a^2-b^2)}+x^4=\frac{-a^6}{(a^2-b^2)}$, et addendo ad utramque partem Aequationis $\frac{a^8}{(a^2-b^2)^2}$;
$\frac{a^8}{(a^2-b^2)^2}-\frac{2a^4x^2}{(a^2-b^2)}+x^4=\frac{a^8}{(a^2-b^2)^2}-\frac{a^6}{(a^2-b^2)}=\frac{a^6b^2}{(a^2-b^2)^2}$, et extrahendo $\frac{a^4}{(a^2-b^2)}-x^2=\frac{a^3b}{(a^2-b^2)}$, et denuo tranſponendo $\frac{a^3(a-b)}{(a^2-b^2)}=\frac{a^3}{a+b}=x^2$; denique extrahendo $\frac{a\sqrt{a}}{\sqrt{a+b}}=x$

Qui valor $x$ ſi ſubſtituatur in ſecunda parte Aequationis $z=\frac{a\sqrt{a^2-x^2}}{\sqrt{a^2-\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}}$; erit $\sqrt{a^2-x^2}=\frac{a\sqrt{b}}{\sqrt{a+b}}$; $\sqrt{a^2-\frac{(a^2-b^2)x^2}{a^2}}=\frac{\sqrt{ba^2+b^2a}}{\sqrt{a+b}}=\sqrt{ab}$; Ideoque $z=\frac{a^2\sqrt{b}}{\sqrt{a+b}\times\sqrt{ab}}=\frac{a\sqrt{a}}{\sqrt{a+b}}$,
Hoc eſt $z=x$. Si ergo fiat $x=\frac{a\sqrt{a}}{\sqrt{a+b}}$, et ſuma-

tur

tur $z = x$, maxima habebitur differentia Arcuum $YFS$, $XAH$

### *Corollarium V.* Fig. III.

In hac Hypoteſi cum punctum $T$ incidat in $X$, et punctum $S$ in $H$, Aequatio Theorematis ſubminiſtrat Arc. $YH$ — Arc. $XAH = \frac{2(a^2-b^2)}{a^3} \times \frac{a^3}{(a+b)}$, id eſt

(E) Arc. $YH$ — Arc. $XAH = 2(a-b)$

Maxima ergo differentia Arcuum Ellipticorum $YH$, $XAH$ erit aequalis differentiae, quae intercedit inter utrumque Axem, quae poſterior differentia maxima quoque eſt relate ad differentiam quae intercedit inter Diametrorum coniugatorum quodcunque par.

### *Corollarium VI.* Fig. I.

In Hypotheſi duorum poſtremorum Corollariorum, erit etiam maximum per Corollarium primum pars $KX$ Tangentis $XN$ intercepta inter verticem $X$ ſemidiametri $CX$, et punctum $K$, in quo eadem Tangens a normali $CK$ ſecatur.

### *Corollarium VII.*

Ex Aequatione (E) diviſa per 2, immo ex Aequatione (A) in praecedenti Hypotheſi immediate deducitur

(F) Arc. $EX$ — Arc. $AX = a - b$. Huic Aequationi addatur Aequatio identica Quadr. $AE$ = Quadr. $AE$, et profluet Quadr. $AE$ + Arc. $EX$ — Arc. $AX = a - b$ + Quadr. $AE$, id eſt 2 Arc. $EX = a - b$ + Quadr. $AE$.

### *Corollarium VIII.* Fig. III.

Ducantur rectae $Xx$, $HY$ ad Axem $AB$ parallelae, Curvam in punctis $x$ et $y$ ſecantes. Patet, vigore Aequationis Corollarii praecedentis, locum quoque habere ſequentem Aequationem, 2 Arc. $HF = a - b$ + Quadr. $AF$ Erit igitur 2 (Arc. $EX$ + Arc. $HY$) = 2 $(a-b)$ + ſemi ellipſi

 $EAF$,

*EAF*, hoc eſt Arc. $XEx$ + Arc. $HFY = AB - EF +$ ſemiellipſi *EAF*. Quae Aequatio ſi multiplicetur per 2, exhibet ſequens

### *Theorema.*

Integra Peripheria Ellipſis *EAFB* eſt aequalis quantitati 2 (Arc. $XEx$ + Arc. $HFY + EF - AB$).

### *Corollarium IX.* Fig. IV.

Semidiametri coniugati $CG$, $Cg$, ſint ſemidiametri coniugati aequales. Notum eſt, quod in hoc caſu $CM\ (x) = \frac{a}{\sqrt{2}}$; conſequenter $CP = z = a\sqrt{\frac{a^2 - x^2}{\frac{a^4 - (a^2 - b^2)xx}{a^2}}} = \frac{a^2}{\sqrt{a^2 + b^2}}$, et Aequatio (A) convertetur in Arc. $EG$ − Arc. $AT = \frac{(a^2 - b^2)}{\sqrt{2(a^2 + b^2)}}$ et ſubſtituendo $2CG$ pro $\sqrt{2(a^2 + b^2)}$ in Arc. $EG$ − Arc. $AT = \frac{(a^2 - b^2)}{2CG}$.

### *Corollarium X.*

Si praecedens Aequatio cum Aequatione (E) conferatur, ex hac comparatione ſequens orietur proportionalitas. Arc. $EX$ − Arc. $AX$ . Arc. $EG$ − Arc. $AT :: a - b \,.\, \frac{(a^2 - b^2)}{2CG}$, hoc eſt Arc. $EX$ − Arc. $AX$ . Arc. $EG$ − Arc. $AT :: 2CG \,.\, a + b :: CG + Cg \,.\, AC + CE$.

### *Scholion.*

Ex Lemmate, quo uſus ſum in hoc Theoremate demonſtrando, iudicet aequus Lector, an iure, vel iniuria, Proponens Anonymus aſſerere potuerit, fuiſſe usque ad Annum 1754. inter deſiderata Arcuum Ellipticorum menſuram.

Johann

## Johann Georg Schelhorns Ergötzlichkeiten aus der Kirchenhiſtorie und Litteratur,

i. e.

## *IO. GE. SCHELHORNII, THEOL. MEMMING. Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae, et litterariae. VOL. I. P. I. et II.*

Ulmae et Lipſ. 1762. pl. 25. in 8.

Siſtitur hic liber, quem etiamſi non primo intuitu rerum propoſitarum pretium commendaret omnibus, certe qui legatur, ob maximam Auctoris eruditionis famam, claritatemque ſummam, iure digniſſimus cenſeretur. Vir enim iſte doctiſſimus, carus litterariae reipublicae, ſuo magno merito, ſcriptisque aetatem laturis celebris, omni tempore, cum ſeverioribus ſtudiis humaniorum litterarum ampliſſimam cognitionem, doctaeque amoenitatis notitiam exactiſſimam coniunxit. Et has quidem eius laudes pluribus confirmare argumentis minime opus eſt; cum tot eius exſtent luculenta ſpecimina, et eſſe fere neminem credamus, niſi hoſpitem in literis, qui *Schelhornii* Hiſtoriam Reformationis S. R. Imperii Civitatis Memmingenſis, Acta hiſtorico-eccleſiaſtica, Amoenitates Hiſtoriae eccleſiaſticae, Amoenitates Litterarias, exceptas ſummo omnium adplauſu, ignoret. Horum igitur ſimilis per omnia eſt liber is, quem hic proponimus; cuiusque capitum ſummam, eo quo poſita ſunt ordine, breviter nunc ſumus enumeraturi. Totus liber deſcribendus eſſet, ſi plura vellemus.

I. Narratio de notabili, quod Auctor poſſidet, *Operum Hieronymi exemplo, editorum ab Eraſmo Roterodamo*, Baſil. 1516. Editio illa, cohortante praeſertim Petro Caraffa, Epiſcopo Theatino, ſummo cum labore ab Eraſmo confecta eſt. At poſt idem Caraffa, Papa factus, implacabili in Eraſmum flagravit odio, eiusque opera omnia ac ſingula, edito quidem primo librorum prohibitorum indice, iuſſit comburi. Quod Papae decretum in Concilio Tridentino reſtrictum,

et nonnulli quidem Roterodami libri prorſus interdicti, alii vero, ſi expurgati eſſent, legendi permiſſi ſunt. Eiusmodi igitur Hieronymi Eraſmiani expurgati Auctor poſſidet exemplum, quod mirum in modum optimis in locis mutilatum, eraſum, carta, figuris, atramento, aut colore rubro inductum, planeque corruptum eſt.

II. *Litterae Papae Iohannis XXIII.* ad Carolum ducem Aurelianenſem, in quibus exponit de ſua ex urbe Conſtantienſi fuga, eamque tamquam iuſtam defendit. Deſumtae ex Andreae Ratisbonenſis Collectione magna epiſtolarum, in bibliotheca urbis Memmingenſis ſervata. III. *Pauli II. R. P. bulla* ad epiſcopum Ratisbonenſem, data ao. 1470. ex originali impreſſa. IV. *Friderici III.* Imper. *litterae ad Innocentium VIII.* R. P. quibus ipſi Raimundum Peraudi, ad Cardinalis dignitatem evehendum, commendat; e Mſto vetuſtiſſimo editae: item ad Iohannem Tornacenſem, de eadem re, epiſtola. V. *Alexandri VI. R. P. bulla* de ao. 1500. ex originali edita. VI. De quodam *libro cantionum* a temporibus ante Reformationem. Titulum habet: Paſſio Chriſti *von Martino Myllio in Wengen zu Ulm geiſtlichen Chorherrn, gebracht und gemacht nach der gerümpten Muſica, als man die Hymnus gewont zu brauchen. Und hieby angezaigt vor yedem Gedicht, under waſs Melodey zu ſingen werd.* Eſt de ao. 1517. continens 26. cantiones, in quibus quaedam occurrunt cultum Mariae et crucis Chriſti prodentia, ut bina haec loca teſtantur:

*Von wegen diſser traurigkeit*
*Behiet mich vor dem helſchen laid*
*O Iunckfraw gottes mutter rain*
*Von mir nem alle ſünd gemain.*
*Und im leben mich auch bewar*
*Nach Tod ſez in der engel ſchar*
*Verſchmäch mich nit o junckfraw zart*
*Für den dein ſun gecreuzgot ward.*

de

de cruce autem ita canit:

*O Creuz ain boum gleiſſendt mit zierd*
*Mit künglich wadt würſt du berierd*
*Du biſt ain auſſerwölter aſt*
*Der göttlich glider anetaſt.*
*Du ſälger boum, an armen ſchon*
*Tregſt du der welt zalung und lon*
*Und biſt des leibs ain wag gemacht,*
*Der den Nom auſs der helle bracht.*
*O Creuz mein hoffnung diſe ſtund*
*Grüeſs ich dich auſs meins herzens grund.*
*Wer in den grechten götlich huld*
*Und löſch aus aller ſünder ſchuld.*

VII. *Litterae Senatus Ulmenſis*, de anno 1517. quibus civibus quibusdam Ulmenſibus Fraternitas S. Franciſci erigenda permittitur; e Chronico Ulmenſi MSto. VIII. *Litterae indulgentiarum* pro iis, qui contulerint aliquid in uſum hoſpitaliorum et orphano trophei Argentinenſium, de anno 1518. Papa Leone X. IX. *Tres Lutheri epiſtolae* e veteri MSto; ad Wenceſl. Linck, Mart. Gilbertum, et Caſp. Heidenreich. X. *Binae Melanchthonis epiſtolae*, ad Io. Agricolam, et Io. Mantelium; e veteri MSto. XI. *De Auguſto Severo*, praeceptore Maximiliani II. Imper. Lutheri partibus favente; adiuncta Melanchthonis ad Adamum Carolum, Ferdinando Imp. a conſiliis, commendatitia. XII. *De Io. Seb. Pfauſero*, in aula Maximiliani II. ſacrorum primum praeſide, poſt per inimicorum invidiam dimiſſo, quod Luthero eſſet addictus. XIII. *Litterae Maximiliani R.* ad Chriſtophorum Würtemb. ducem, de recipiendo Pfauſero: huius reſponſio, ipſiusque Pfauſeri ad ducem Würtembergenſem epiſtola; ex originali impr. XIV. *De Seb. Franckii patria*, dogmatibus, et ſcriptis, quaedam minus in vulgus nota. XV. *Staniſl. Hoſii ad Frid. Staphylum epiſtola*, de accurate citando quodam e ſcriptis Lutheri loco, in quo

 dicit:

dicit; *ſi ego non ſum probus, ſufficit, quod Chriſtus eſt probus*, ex origin. XVI. *De magnifica* in honorem Leopoldi Firmiani, Archiepiſcopi Salisburgenſis, *Lactantii editione*, tantummodo inchoata; ſubiuncta XVII. ex eadem, exempli loco, diſſertatione hiſtorico-critica: *an Conſtantinus M. iure dicatur primus Imperator Chriſtianus?* quod ſub finem affirmatur quidem, attamen illud prius contenditur, Philippum Arabem, cum filio Philippo iuniore, Imperatores, iam ante fuiſſe doctrinam chriſtianam, occulte licet, amplexos. XVIII. XIX. *Tres C. Scriverii ad Spitzelium epiſtolae*, varii argumenti; ex originali. XX. *De merito prohibita a pontificiis lectione binorum Weislingeri ſcriptorum*, nimirum Hutteni delarvati, et ſcripti contra ſermonem revocatorium Franciſcani cuiusdam transfugae, nomine Proſperi, adhibitis locis teſtibus viliſſimi generis dicendi. XXI. Additamentum ad n. I. *de Hieronymo Eraſmi mutilato*. XXII. *De M. A. Flaminii Carminum recentibus binis editionibus*, ex officina Cominiana, horumque per Mancurtium in altera editione truncatione; ubi obiter de Petro Carneſerco martyre, ad quem directae odae ſuppreſſae ſunt, quarum tamen hic aliquot proferuntur: item quaedam interiecta de Savonarola leguntur. XXIII. *Honorii III. P. R. bulla* de anno 1216. qua collatio eccleſiae de Memmingen in Magiſtros ac fratres domus Hoſpitalis S. Antonii confirmatur; ex originali impreſſa. XXIV. *Ferdinandi*, Arragoniae regis, *epiſtola ad Sigiſmundum Imperatorem*, de Huſſo ſupplicio capitis afficiendo, de anno 1415. e MSto. XXV. *Concilii Conſtantienſis litterae ad Carolum VI.* R. F. de rebus in Concilio geſtis ante et poſt receſſum Papae, de anno 1415. e MSto. XXVI. *Calixti III. R. P. bulla*, qua cavetur, ne quaeſtores Ordinis hoſpitalis S. Antonii a Praedicatoribus quorumcunque ordinum mendicantium ullo modo impediantur, ſub poena excommunicationis, aliisque graviſſimis. XXVII. *De mercatu indulgentiarum Raym. Peraudi Cardinalis*, ſpeciatim in urbe Memmingenſi, anno

1501.

1501. XXVIII. *Indulgentiae publicatae a duodecim Cardinalibus* in emolumentum Capellae S. Magni in urbe Memmingenſi, anno 1507. ex originali. XXIX. *De Gervaſio Waim*, Doctore Sorbonico, quaedam anecdota. Vir iſte, praeclarus olim, hodie parum notus, patria fuit Memmingenſis, natus ſeculo decimo quinto. Studiorum curſum exegit Pariſiis, (quo veniſſe anno 1507. videtur,) doctore uſus Ludov. Ber, Theologo poſtmodum Baſileenſi, quod ipſe in litteris, hic ſubiunctis, profitetur. Magnam adeptus matheſeos, philoſophiae, ac theologiae ſcientiam, Rector Academiae Pariſienſis factus eſt anno 1519. A Franciſco, rege Francorum, anno 1531. miſſus eſt in Saxoniam ad Electorem, cauſſa religionis; Vitembergae etiam cum Luthero collocutus. Anno 1535. Memmingae aliquam diu moratus deprehenditur, cuius urbis magiſtratus, Lutheri tum temporis partibus deditus, eius in rebus graviſſimis conſilio uſus eſt. XXX. *Binae Lutheri epiſtolae*, ad D. Iohannem Pomeranum, et Ant. Lauterbach; e veteri MSto. XXXI. *Tres Phil. Melanchthonis epiſtolae* ad amicos, e veteri MSto. XXXII. *Relatio de iis quae acta ſunt cum ludimagiſtris Auguſtae Vindel.* tempore Interim; quorum qui librum illum recipere ac profiteri detrectarunt, a munere ſunt remoti: e veteri MSto. XXXIII. *Staniſlai Hoſii, Epiſcopi Varmienſis*, (qui gente Suevica ortus docetur,) *ad Fr. Staphylum epiſtola;* ex originali. XXXIV. *Quaedam excerpta e Wilh. Lindani*, Epiſcopi Ruraemundenſis, *oratione ſynodica ad clerum habita*, et eiusdem apologetico ad Germanos; in quibus et in conditorum Breviariorum, in caſtigandis ac emendandis illis, oſcitantiam, et in mores clericorum monachorumque diſſolutiſſimos, graviſſime liberrimeque invehitur. XXXV. *Io. Petr. Spethii epiſtola ad Gottl. Spizelium;* ex originali. XXXVI. *Io. Chriſt. Edelmanni epiſtola* D. Hermanno ab Inſpiratorum ſecta revocando. XXXVII. *Additamentum* ad articulum XX. *de ſcriptis Weislingeri.*

Haec

Haec igitur, quamvis brevis recenſio, facile unumquemque docebit, quam docta, varia, ac notabili amoenitate niteat iſte Schelhornii liber; quamque ſit hic vir ſimilis illi veteri ſapienti, qui numquam fuit minus otioſus, quam cum otioſus. De reliquis Partibus dicemus futuris menſibus.

*MUSEUM MAZZUCHELLIANUM, SEU NUMISmata Virorum doctrina praeſtantium, quae apud IO. MARIAM COMITEM MAZZUCHELLUM Brixiae ſervantur. A PETRO ANTONIO DE COMITIBUS GAETANIS, Brixiano Presbytero et Patricio Romano, edita atque illuſtrata. Accedit verſio Italica, ſtudio Equitis COSMI MEI elaborata. TOMUS PRIMUS.*

Venetiis, 1761. typis Antonii Zatta; Alph. 5. plagg. 3. forma folii, cum 100. tabulis numorum aere expreſſorum.

Si dulce eſt, ut omnes fatentur eſſe, doctiſſimorum virorum libros non intermiſſo ſtudio lectitare, et perennem quaſi ſitim ex his tot ſeculorum fontibus reſtinguere: non minori profecto voluptate perfundi nos exiſtimamus, ubi immortales eorundem vultus, quorum adhuc ingenium et ſcientiam cognovimus, intueri nobis liceat. Huius tam exoptati ſpectaculi copiam nobis ampliſſimam facit opus hoc praeclarum, quod aeternitati doctorum hominum et literis faventium conſecratum eſt. Satis vel hi theſauri, qui eo exhibentur, amorem in litteras ſummum, et intelligens earum ſtudium, in Viro Illuſtriſſimo, a quo collectos accipimus, loquerentur; ſed fecere dudum alia, in his *Scriptores Italiae*, quos ipſi lingua Hetruſca vulgatos debemus, ut nomen eius inter eruditos celebretur, dignusque videri poſſit, cuius ora in hoc

hoc opere cum tot aliis cernerentur. Ac cernuntur ſane in numo honori eius dicato, qui indices conſequitur.

Maxima quidem pars horum numiſmatum, pari ſtudio et ſumtu conquiſitorum, iam dudum ope duorum catalogorum in *Opuſculis Calogerianis* Tomo XXXV. et XL. editorum, in rei publicae litteratae notitiam venerant. Qui cum multis vehemens deſiderium inſpiciendi numos ipſos inieciſſent, impetravit denique typographus ab Illuſtriſſ. Poſſeſſore, ut ſibi publicandi permitterentur, et a *Comite Caietano*, ut ſua ſingulis elogia adderet. Hic autem primo fatetur, nonnulla numiſmata huius collectionis neque σύγχρονα eſſe, neque fortaſſe veras doctorum virorum effigies, ſed arbitrarias duntaxat, referre. Quod cum caveri in tanto numero vix potuerit, propterea etiam reprehenſione caret, quod iſtiusmode ſylloge omnis generis numiſmata, cum genuinis ſpuria quoque, deſiderare videtur. Bene item iudicat Editor de Graecis Romanisque, quae hic ſpectantur, numismatibus. Licet enim multo poſteriora ſint eorum aetate, quorum memoriae ea dicarunt artifices, ut Homerica v. c. Tulliana, alia; tamen ex originariis figuris, ſcalptisque lapidibus, et gemmis, videntur deſumta eſſe. In quo numero reponit non modo *Cotrones* illos, qui poſt reſtitutos ab Auguſtis Conſtantinopolitanis Circenſes ludos, victoribus dono dari ſolebant, et numiſmata omnia, quae ex *Daſſieriorum*, artificum Genevenſium, officina, hoc Seculo prodierunt; ſed ea quoque ſigna, quae Italos exhibent, ante initia Seculi XV. defunctos; quoniam ſatis conſtat, ab hoc demum tempore reſumtam fuiſſe conſuetudinem, aerea eiusmodi virorum doctorum monumenta exigendi.

Iam in ordinanda ſerie operis, chronologicam quidem methodum obſervandam ſibi propoſuerat V. D. ſed

Ooo tamen

tamen variis de cauſis recedere nonnumquam ab ea neceſſum habuit; tum ut ſingula commodius concinniusque vacuis tabularum areis aptaret, tum etiam ne ob leve temporis diſcrimen in Appendicem reiicere pleraque cogeretur, quae in Poſſeſſoris manus aliquanto ſerius, quam oportuiſſet, pervenerant. Ceterum curavit inprimis, ut perfecte typi reſponderent archetypis, nihil moratus barbariem et inſcriptionum errores, ſive opificum imperitia, ſive ex alia cauſa commiſſos. In quo, ſi pauca demas, praecipuam fidem et diligentiam artificis agnovimus.

In explicandis vero numiſmatibus, ſcrutandisque eorum cauſis et occaſionibus, tantum egit, quantum in multa temporis vetuſtioris obſcuritate per coniecturas praeſtare licebat. In elogiis ipſis perſcribendis, concinnam brevitatem ſecutus, maxime memoranda de viris doctis protulit, reliqua biographorum reliquit diligentiae. Nonnumquam nihil praeter hoc ipſum, quod in numiſmate expreſſum erat, Philoſophum aut Medicum fuiſſe, cuius in eo vultus conſpiciatur, referre propter ſepultam quorundam memoriam potuit; neque tamen vel hos omittendos putavit, utpote artificum ingenioſis operibus cohoneſtatos. E contrario autem reiiciendos cenſuit tum Romanos Pontifices omnes, etſi in his ſint cum doctiſſimis viris conferendi; tum Gallorum Reges quosdam, qui litterarum et artium patrocinium magnanimi ſuſceperunt: idque ne actum agere videretur, ſiquidem horum numiſmata *Menetreius (Meneſtrier)*, illorum *Venutus*, luculentis operibus collecta illuſtrarunt. Hic tamen cum in anno quarto Pontificatus *Benedicti XIV.* deſinat, ea, quae ab illo tempore in honorem Pontificis huius vere docti, ſucceſſoris item eius *Clementis XIII.* cuſa fuerunt, adiecit *Comes Gaetanus*.

Inſunt igitur hoc primo Operis Tomo numiſmatum in

in Maecenates et viros doctos excuſorum fere DCCCL, prout obiter numerum inivimus, quibus ex viris uni ſaepius plura, imo integrae tabulae attributae ſunt. Harum ſingulae quatuor, quinque, aut ſex, ſaepiuscule etiam plura, (et aliquoties ad decem imo duodecim aſcendunt,) numiſmata comprehendunt, magnitudine nihil aucta vel minuta. Et cum ſcite radio inſcripta reddantur, accurate etiam utraque lingua deſcribuntur, ut nihil fere lectoribus in eo genere deſiderandum ſuperſit. Etiam de ordine, ſaepius, ut diximus, turbato, quodammodo reſtituendo feliciter ſollicitus fuit Editor. Ut enim uno quaſi obtutu circumſpici poſſent omnes, quorum hoc loco monumenta eduntur, plures indices eorum concinnavit, quos nominare noſtrum eſt: I. per *nomina* ipſa. II. per *nationes*, ſeu *patrias*. III. per *dignitates*, ſeu *munera*, ubi tamen eccleſiaſtica tantum munera, et principum ſuprema, in cenſum veniunt. IV. illuſtrium mulierum. V. per *religiones regulares*, Ordines vocant. VI. per *ſcientias* et *artes*. VII. *Sectariorum*, quo nomine placuit Editori partem eorum appellare, qui ab aliquot inde Seculis a Romanae eccleſiae communione diſceſſerunt; partem, aimus, nam omnes eorum hoc Indice non contineri, vel ſecundus docet eo loco, ubi Germani ſiſtuntur. In hoc tanto numero Italorum et maxima copia eminet, et de iis omnium rectiſſime traditur; de Germanis contra noſtris hinc inde, per invidiam religionis, iniquius et durius. Sed in talibus locis nemo bonus aut ſapiens, credimus, haerebit aut angetur animo.

Nunc tabulas operis ipſas, quoad neceſſarium videbitur ad notitiam illius comparandam, percurramus. I-III. Haec numiſmata *Moſis* prophetae vultum referunt, priora quidem duo cum inſcriptione Hebraica, in qua bis recurrit mendum in voce אחדים, cum ſcribenda erat אחרים; tertium latina epigraphe ornatum. — IV. *Evander*

*der* cum matre *Carmenta*, quae etiam *Themis* vel *Nicoſtrata* dicitur. V. *Salomon* rex. Pileatus et coronatus ſpectatur, vittas e vertice in ſcapulas demittens, cum pectore torquato, circumiectis his vocibus, quae latinis literis perſcriptae ſunt: *Der alleweis Kinneig iſt Salomonis.* Apparet, haec corruptiora quaedam Germanica eſſe. Noſter reddit: *Omnimode regnum eſt Salomonis.* Quod neutiquam placet. Quamquam enim Vox *alleweiſe*, vel *auf alle Weiſe* utique ſignificet *omnimode*, tamen et articulus ei praepoſitus, et alia oſtendunt, tantundem valere hanc inſcriptionem, ac ſi poſitum eſſet: *Der allerweiſeſte König iſt Salomo;* h. e. *Regum ſapientiſſimus Salomo eſt.* Oppoſitum latus feminam regia corona decoratam, ac rurſus Salomonem, manibus quaſi geſtientem in horto exhibet, his verbis additis: *Salomon ſingt ein Lied Can.. Sal. Canit Carmen.* Poſtrema vox, ſeu ſyllaba potius, alludere videtur Auctori ad *Canticum Canticorum*, quod ferunt, inquit, Salomonem adornaſſe pro Pharaonis filia, ſibi matrimonio ſociata.

Tabula II. quatuor *Homeri* numiſmata, deinde *Themiſtoclis*, *Thaletis*, *Socratis*, *Xenophontis*, *Anaxarchi*, et *Catonis* eius qui *Cenſor* dictus eſt, oſtendit. — Tab. III. octo numiſmata *Ciceronis*, unum *Corn. Galli* habet. — Tab. IV. *Catonis Uticenſis* 3. *Virgilii* et *Horatii* 5. *Terentius*, *Ovidius*, *Tibullus*, *Catullus*, *Propertius*, *Maecenas*, *Marc. Agrippa*, *Livius*, *Salluſtius*, *Paulus* Apoſtolus. — Tab. V. *Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas*, Evangeliſtae, *Iacobus* maior et *Thomas* Apoſtolus, (quorum numiſmata vetuſta ſatis et minime contemnenda dicuntur, ſed nihil tamen pro antiquitate eorum adfertur.) Additur huic tabulae *Q. Rhemnii Palaemonis* numiſma. — Tab. VI. *Io. Scheldus*, vulgo *da Schio*, Ord. Praedicat. Sec. XIII. *Iacobus Vitriacus*, *Thomae Aquinatis* 2. — Tab. VII. *Octavianus* Cardin. *Ubaldinus* Sec. XIII. *Dantis Aligerii* 4, *Ciccus Aſculanus*, *Andreae Danduli*, Ducis Venetorum doctiſſimi, numiſmata 2. — Tab. VIII. *Io.*

*Io. Wicleſus*, *Franc. Petrarcha*, *Io. Boccacius*, *Colucius Salutatus*, *Io. Huſſus*, *Hieron. Pragenſis*, et *Franc. Zabarella*, ſiſtuntur. — Tab. X. inter alios numos habet quoque cuſum in *typographiae* inventae memoriam. — Tab. XI. ſeqq. *Paulus Venetus* cum aliis oſtenditur. Tab. XX. *Coſmus Medices*, Tab. XXVII. *Franc. Philelphus*, Tab. XXVIII. *Marſilius Ficinus* et *Io. Picus Mirandulanus*, Tab. XXIX. et XXX. *Laurent. Medices*, Tab. XXXII. *Io. Iovianus Pontanus*, Tab. XXXIII. *Hieron. Savonarola* ſpectandos ſeſe praebent. De quo quidem poſtremo ita iudicatur, (et quantum nos videmus, licet recentiorum quorundam ſententiae in alia omnia inclinent, rectiſſime,) fuiſſe hominem pium, minimeque hypocritam. Cui non obſtat, quod praeter declamationes graviſſimas in ordinis eccleſiaſtici vitia, in tuenda etiam Florentinae reipublicae libertate, operam poſuit. Haec enim ita interpretari, ut propterea turbulenti ingenii hominem adpelles *Savonarolam*, prorſus iniquum videtur.

Verum, ut alias quoque Partis huius Tabulas delibemus, XXXVII. *Aldum Pium Manutium* exhibet, XXXIX. *Leonardum Vincium*, XL. *Hippolytum Eſtenſem*, XLIII. *Balthaſarem Caſtilionum*, XLI. et XLII. *Alb. Dürerum* noſtrum, rurſus XLII. *Patricium Hamiltonium*, quem quidem indignis modis lacerat commentarii auctor, primum ut haereticum, deinde ut hominem obſcurum: quaſi vero clarus eſſe non poſſit, (ut eſt revera *Hamiltonius* in Proteſtantium coetibus,) cuius non meminerint Itali. Tabula XLIII. *Io. Oecolampadius* et *Ulr. Zwinglius*, Tab. XLV. *Simon Grynaeus* et *Berthold. Hallerus*, Tab. XLVII. *Ludov. Arioſtus*, XLVIII. *Franc. Guicciardinus*, XLIX. *Anton. Puccius*, L. *Andreas Alciatus*, LII. *Raphael Urbinus*, et *Bilibald. Pirckheimerus*, LIII. *Lazarus Spenglerus*, ut omittamus alios, ſpectantur.

Tab. LIV. et LV. continentur numi memoriae *Martini Lutheri* dicati, quam ſi nec numi, nec ſcripta ſervaſſent, ſervatura erat in omne aevum reſtituta religionis et ingeniorum aurea libertas, et excuſſum intolerabile Cleri et ſuper-

 ſtitio-

ſtitionis iugum. In iis quae de *Luthero* tradit Noſter, nihil aeque mirati ſumus, quam quod illum fuiſſe ait *ad ſeditiones animo maxime propenſo:* cum profecto nemo mortalium eo tempore officia principibus praeſtanda commendaverit diligentius, et a bellis abhorruerit magis. Sed repetant talia, per nos licet, quorum intereſt, conſpurcare *Lutheri* imaginem, cuius factis et inſtitutis hodie quoque vulnerantur, et conficientur denique.

Tab. LVI. *Henricum IX.* Angliae regem; *Conradum Peutingerum*, *Melch. ab Oſſe*, et *Gaſp. Hedionem*, itemque *Hieron. Paumgartnerum*, Tab. LVII. *Petrum Bembum*, Tab. LXI. *Hieron. Fracaſtorium*, Tab. LXVI. *Herculem Eſtenſem* et *Luc. Gauricum*, Tab. LXVII. *Phil. Melanchthonem*, et *Io. a Laſco*, LXIX. *Mennonem Simonis*, LXXI. *Nicolaum Crellium*, itemque ac rurſus LXXII. *Io. Calvinum*, LXXIII. *Mich. Angelum Bonarotum*, LXXXII. *Stanislaum Hoſium*, LXXXVI. *Anton. Auguſtinum*, LXXXIX. *Octavianum Ferrarium*, XC. et XCI. *Petrum Victorium*, XCIV. *Phil. Nerium*, XCV. *Hugonem Donellum*, XCVIII. *Theod. Bezam*, *Ulyſſem Aldrovandum*, et *Paulum Sarpium*, ſiſtit. De *Sarpio* callidius quam verius ſcriptum eſſe ab Auctore, non nos modo exiſtimamus, ſed ſperamus etiam multos in urbe Veneta exiſtimaturos. Denique Tab. XCIX. *Papir. Maſſonus*, et Tab. C. *Achilles Harleius* et *Petr. Aldrovandus* conſpiciuntur. Longe plurimos omnis generis omiſimus, cum nobis propoſitum duntaxat fuerit, ſpecimina Operis proponere, non illud univerſum delineando exprimere. Cui perluſtrando nemo facile, ſine admixta voluptate uberiore, operam dederit.

## *NOVA LITTERARIA.*

Venit in manus noſtras, amici beneficio, de Pictura, praeclarus liber, cuius, aequum eſt, nos Lectoribus noſtris quandam quaſi ideam ſiſtere; nam unicum in ſuo genere, et ipſius artis cauſa quae eo proponitur, et operarum elegantia, laudare non dubitamus. Ita autem inſcribitur: *L'*

*Art*

*Art de peindre. Poëme, avec des réflexions ſur les différentes parties de la Peinture.* Par Monſ. WATELET, Aſſocié libre de l'Académie Roiale de Peinture et de Sculpture. Lutetiae Pariſiorum, ex officina Guerini et de la Tour, 1760. plagulae omnino 21. in quarto mai. cum figg. elegantiſſimis, principio et fini capitum additis, a Wateleto ſculptis. Hoc igitur Libro Auctor diſertiſſimus, praecepta picturae, carmine Francogallico ita expoſuit, ut eius artis ſtudioſis non ſolum, ſed amatoribus quibusque, dubium eſſe debeat, an perfectam in eo artis ſcientiam magis, an pangendi carminis praeclaram, et in tali argumento, multis difficultatibus obſito, certe unicam, laudari oporteat. Poema didacticum, de pingendi arte, gallico carmine, nemo adhucdum propoſuerat; latino, magnas laudes tulerunt *du Frenoi* et *Marſyus*, ille ob artem quam cecinit, ſummus artifex, hic propter verſiculos, Poeta natus. Noſter, hoc Opere, poſteaquam in univerſum de conſilii ſui rationibus praemiſſa praefatione expoſuit, quae intererat noſſe lectores, Carmen ſuum in quatuor cantus tribuit, quorum *Primo* de diagraphice, ſeu lineari pictura; *Secundo* de Colore; *Tertio* de inventione pictoria; *Quarto* denique de inventione poetica cecinit. Hos Cantus excipiunt, de diverſis picturae partibus, obſervationes proſaicae: et primo quidem *de Proportione*, eiusque diverſitate, orta partim ex aetatis, partim ex ſexus differentia. Sermo eſt deinceps Auctori *de Toto*, (de l'Enſemble,) cum diverſae imaginis particulae ita invicem ordinatae ſunt, ut *unum* efficiant. Mox *de Aequilibrio* exponit, et *de motu Figurarum;* de pulchritudine; de elegantia (la Grace;) de harmonia Luminis et Colorum; de effectu (de l'Effet,) cuius vocis Francogallicae ambitum difficulter latine reddideris; de Expreſſione denique, et animi pathematibus. Ut habeant Lectores noſtri ſpecimen aliquod, huc aliquot primi Cantus verſiculos deſcribimus. Ita autem orditur Wateletus.

*Ie chante l'Art de peindre: ô Vénus-Vranie,*
*Séconde mes travaux, inſpire mon génie;*
*Laiſſe-moi pénétrer dans le Temple des Arts.*
*Lumière des Talents, découvre à mes regards*
*Ce concours de tes dons, cet Accord, cet Enſemble;*
*Objets des gouts divers, centre qui les raſſemble,*
*Immortel attribut de la Divinité,*
*Dont l'Effet eſt l'Amour, et le nom la Beauté.*

*C'eſt toi qui la répands ſur la nature entière:*
*Chaque jour, ſur le Char du Dieu de la Lumière,*
*Elle embraſe les Cieux, et colore les airs;*
*L'oeil etonné l'admire au vaſte ſein des mers:*
*Elle nait ſous nos pas, une fleur la recele;*
*De chaque être elle emprunte une forme nouvelle;*
*Et pour la réproduire encor, ſous mille traits,*
*Tu veux que les mortels imitent ſes attraits.* etc.

Nihil addimus laudum. Librum lecturis, nam quis divinae artis tam diſertum doctorem non legat, integrum iudicium relinquimus.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiae*

*Calendis Octobris Anno MDCCLXII.*

## Betrachtungen über die Malerey.

h. e.

## *DE PICTURA OBSERVATIONES.*

Lipſiae 1762. Alph. 2. plagg. 13. in 8.

*PARS I. et II.*

Quanquam divino et immortali ingenio clariſſimi Poetae, quo nemo propior ex noſtris ad vim et ſimplicitatem veterum acceſſit, effectum erat, ut *Hagedorniorum* nomini et famae vix aliquid addi poſſe videretur: tamen crevit et auctus eſt ſplendor illius gentis ſummo Fratris ingenio et doctrina ſingulari, qui, quicquid ipſi erat a negotiis pro patria honorifice ſuſceptis otii, id totum, ita ad illuſtrandas artes et doctrinam augendam transtulit, ut, utrum felicitate ingenii, an laboris conſtantia et perpetuitate plus valeret, difficile eſſet decernere. Gratulamur igitur Germaniae utrumque Hagedornium, alterum citius quidem litteris ereptum, ſed laudis immortalitate ſuperſtitem; alterum vivum, fide, ſanctitate morum, et patriae amore, optimis quibusque ſpectatum, atque, quod non ſine quadam gloria exteris fatemur, optimorum Principum auctoritate, iis artibus regundis publice praefectum, quibus ipſe ſibi peperit laudem, intelligentiſſimorum quorumque admirationem, et immortalitatem.

Quod quam vere dictum ſit de *Hagedornio* noſtro, quoniam magnitudo operis poteſt interdum etiam ex difficultate intelligi, ex ipſius rei natura apparet, quam tanta cum felicitate tractavit. Pictura enim, etſi cum reliquis artibus ex naturae fonte deducitur, tamen, ſive linearem ſpeciem, quae circumductione umbrarum inventa eſt, ſive coloratam, quae coloribus miſcendis et transmittendis, lumine et umbra diſtinguitur, nec deſignat tantum, ſed exprimit plane naturam, utraque ad ſenſuum iudicium pertinet maxime, faciliusque per oculos ad pectus transfunditur, quam verbis deſcribitur, et legibus certis praeceptisque definitur. Oritur porro de pictura ſcribentibus nova quaedam difficultas ex antiquitate artis, verborum omnium quae ad ſenſus pertinent inconſtantia, artificum a noſtris temporibus remotiſſimorum varia conſuetudine, et defecta eorum, qui origines artis deſcripſere; quorum, praeter Plinium, nemo magnopere ex veteribus poteſt laudari. Atqui haec omnia vicit et ſuperavit viri unius incredibilis induſtria et conſtantia, diſceptavitque cum Italis et Gallis de ea regione, in qua ſoli habitare et regnare videbantur.

Monet Auctor in ipſius operis ingreſſu, ſe ex copia legum et praeceptorum, quibus ars pictoria abundaret, potiores ex communi pulchritudinis fonte deductas, et ad formandum guſtum aptiores, eo ordine in unum corpus coegiſſe, quo in operando ſoleant artifices uti. Solere autem illos, inventis iis naturis, quae ſummae pulcritudinis et dulcedinis capaces eſſent, totam quaſi machinam picturae inſtruere, et ſingulas regiones callida iunctura connectere; quarum operationum priorem inventionem poeticam, poſteriorem diſtributionem appellent, utramque peculiari nomine compoſitionis complectantur; tum denique delineatione et coloribus ſpeciem illam internam animo artificis impreſſam exprimere, atque ipſi cum affectibus et perturbationibus animi vitam vigoremque divinitus quaſi inſpirare. Ante omnia vero acuendum eſſe inquit ſenſum et guſtum pulcritudinis. Hoc duce nos convenientiam naturae ſentire, ab omni imi-

tationis

tationis pravitate et deformitate liberari, rapi in admiratio-nem ſimplicitatis antiquae, dulcedine et ſublimitate, vel ex pectore, vel ex imaginibus oriundae, extolli, et impleri iis affectibus, quos excitare ſoleat callida artificis manus.

Atque haec eſt ratio et oeconomia univerſi operis, quod non ad doctos ſolum, ſed etiam ad artifices pertinet, quorum illos ſubtiliore vi iudicandi inſtruit, hos propius ad litteras adducit, earumque coniunctionem cum arte pictoria oſtendit; utrosque vero monet, ut mutuis praeſidiis et officiis alter alterius facultatem ſuſtentet. Forma autem externa totius operis ita comparata eſt, ut neque oſſium nudas compagines oſtendat, ſimilis corpori denudato, quod horrorem intuenti incutit, nec nimio ſanguine et muliebri cultu laboret, ſed prae ſe ferat ſpeciem corporis integri, adſtricti, et lacertis expreſſi, quod ex iisdem ſpeciem accipit, ex quibus vires, in univerſum vero antiqua quadam ſimplicitate commendatur. Conciliabit ſibi etiam gratiam lectoris ſpecie ſermonis, et forma epiſtolarum, quae ad dialogos veterum accedit, varietatis multae capax eſt, et deceptum laboris lectorem illuſumque amabiliter, apprehendit, tenet, moratur, per amoenos ambitus ad arduas vias et ſepulta antiquitatis monumenta deducit, atque ita alit augetque cupiditatem videndi, ut data etiam poteſtate nolit ex itinere redire. Sed nolumus amplius in laudes eius viri excurrere, quem, ut intelligentiſſimi quique, propter ſubtilitatem artis, ita optimi quique propter ſingularem modeſtiam amplectuntur, et qui malle videtur laudabiliter agere, quam laudari. Iam vero, ut propoſitum eſt, ad univerſi operis contemplationem accedamus. Dividitur illud in partes duas, quarum utraque Libros duos continet. *Liber primus* partis prioris, quoniam ad omnes artes pertinet, diligentius nobis conſiderandus videbatur. Vel ex hoc uno apparet, quid de reliquis expectandum ſit: ſed etiam de illis ſuo tempore dicetur. Complectitur autem hic Liber ea praecepta, quae imprimis pertinent ad guſtum ſenſumque artificis imitaturi formandum. Caput primum in univerſum *de Guſtu*

et *de pulcro* explicat; et oritur ab utriusque definitione. Eſt autem ex ſententia Auctoris guſtus facultas pulcri ubique ſentiendi, et gradus illius rationemque facta plurium comparatione *ſubito* intelligendi. — Pulcritudinem vero eam perfectionem eſſe ait, quae oriatur ex coniunctione opulentae varietatis, et ſingularum partium ordine, ſine quo nulla pulcritudo eſſe poſſit. Eo enim neglecto, ut in fabulis, ita in pictura, detrahi perfectioni totius; habere enim etiam picturam ſuas quaſi primas et ſecundas partes, quarum poſteriores niſi vi et maieſtate prioribus cedant, omnia turbari, nec facile admirationem et plauſum moveri ſolere. — Ex varietate illa cum ordine coniuncta oriri *unitatem*, cuius, ut in reliquis artibus, ita in picturis ſumma habenda ſit ratio. Ex utraque enim hac virtute pulcritudinem et perfectionem operis colligi, illam guſtus, hanc contemplationis beneficio. Inprimis vero excellere et regnare elegantiorem guſtum, eum enim abſque mora contemplationis diuturnae tanquam fulminis tactum, ſtatim incendi, rapi in admirationem, et ſubito convenientiam partium capere et ſentire, quam pulcritudinis nomine exprimat. Sentiri igitur pulcritudinem, perfectionis demonſtrationem ſuperioribus animi viribus relinqui, rationem vero illius ſenſus in natura hominis poſitam eſſe, nos enim omnes naſci cum quadam varietatis cupidine et novitatis. — Nimiam ſimilitudinem eſſe matrem ſatietatis, varietate vero vaga et ſibi repugnante perturbari animum, et diſtringi, delectari numquam. — Habere tamen etiam pulcritudinem ſuos gradus: ſummam oriri ex clandeſtina et callida partium ſingularum iunctura. — Eſſe porro boni pulcrique diſcrimen, utrumque tamen non re ipſa, ſed abſtractione et cogitatione poſſe divelli. — Bonitati veritatem, pulcritudini vero elegantiam reſpondere: illam latius ſumtam, diligentia, ſoliditate, et ſubtilitate, hanc dulcedine, mollitie, et vigore quodam diſtingui. — Illuſtrari poſſe hanc diſtinctionem exemplo ex arte pictoria petito. *Albertum Durerum* diligenter olim rationem et proportionem corporis humani expreſſiſſe, explicata ſingularum partium

tium mirabili iunctura, et diverſarum artificioſa conſpiratione; ex hoc Dureri exemplo agnoſci quidem poſſe naturam corporis veram, et artificii bonitatem, pulcritudinem vero neutiquam inde intelligi, quae ut ſentiatur, accedere extrinſecus debere elegantiam circumſcriptionis, linearum molles flexus, robur nervorum, vultus compoſitionem, totiusque corporis eam collocationem, quae ad exprimendas animi perturbationes, et alliciendum ſpectatorem, maxime valeant. Haec omnia diligentiſſime exponit Auctor, firmat auctoritate Sammardi et Trubleti, aſperſis interdum annotationibus non arreptis, ſed ex natura materiae naſcentibus.

*Capite II.* Docet Auctor, ut a bono pulcrum, ita a pulcro gratioſum, artificum ſubtilitate diſcerni. *Gratiam* in pictura eſſe, quae ſit in utroque homine venuſtas et dignitas; illam rationem etiam ſe ſequi, et firmatam videre exemplo pulcherrimarum interdum foeminarum, quae deſtitutae venuſtatis et dulcedinis commendatione, animorum conciliatrice, laudari ſoleant ab artificibus, a nobis nec amari, nec ſentiri. Eſſe autem *gratiam* non tam in convenientia et iuſta partium iunctura, quanquam abſque illa omnino nulla ſit; quam in ratione et proportione attributorum moralium poſitam, quae feliciter inſuat in totam hominis naturam, motus flexusque corporis amabili facilitate, aetatem iuvenilem flore et robore, et mobilem pueritiam innoxia hilaritate commendet. Talem Geniis et Cupidinibus ab artificibus tribui, talemque apparère in colludentibus circa matrem pueris *Albani*, quos felici imitatione *Flamingius* et *Algardius* expreſſerint, de quibus tabulis videndus ſit *le Comtè* Cabinet de Singularités d'Architecture, peinture, ſculpture, et gravure, Amſt. 1702. Tom. II. pag. 182.

Illius igitur *gratiae* ſummam vim eſſe in expreſſione animi, mox ſublimitate grataque ſimplicitate, mox decora iucunditate commendabili. Illam apparere gratiam tum in venuſta Aſpaſiae forma, cum in feroci ſtatu et minaci vultu Athletae, in pugnam magno cum impetu proruentis. Augere illam regiam dignitatem, eſſe maieſtatis fidam interpretem

pretem et comitem, commendare vel agreſtes cantus et amores, ſequi Venerem ut in templa, ita in campos et venationes, atque adeo ſub ſpecie Nymphae venatricis ab intelligentiore Aenea ex ipſo inceſſu agnoſci. Ornare et innectere crines Theſſalicae Nymphae paucis lectisque floribus amabiliter circum tempora flexis, et non ſine grata negligentia cum Phyllide accumbere in herbis meditabundo vultu, Daphnidis adventum circumſpiciente. Emicare inter iuventutem ferocitati ſuae indulgentem, miſceri pertinacioribus pueris, et ſuffundere amabili pudore os puellarum modeſta timiditate ornatum, expulſamque interdum per effoeminatam cultus licentiam conſuetudinis turpitudine depravatam a matribus, ultro ſe puellis offerre, et inſinuare ſe in pectus propriae venuſtatis egregie ignarum. Interdum etiam, quaſi miſericordia iſtius aetatis tactam, venerabiliorem vultum mediae aetatis et matronae honeſtam dignitatem exornare; interdum frontem ſenis, nepotum blanditiis et exoſculationibus occupati, iuvenili hilaritate explicatis rugis aſpergere.

Habere vero eandem gratiam ſuos quosdam gradus, non tam propter linguarum infantiam, quam verborum quibus definiri ſoleant inconſtantiam, ineffabiles. Eorum graduum ſummum, quem Venerem Apelles nominaverit, poſitum eſſe in convenientia animi ſublimioris cum pulcritudine, forma, et actione corporis. Ut quisque maxime artifex, ductus inſpiratione vividiore et pectoris calore, mirabilem illam convenientiam ſequatur, et opinata quadam facilitate commendet, ita eum maxime in arte regnare et excellere. Exempla vero illius Veneris et ſummae gratiae, ut in univerſa natura, ita inprimis in homine eiusque prima aetate apparere, cuius ſecura mollities ab omni anxietate, oſtentatione, et rigiditate ſit aliena.

*Capite III.* docet illuſtris Auctor, ſuaviorem illum pulcri ſenſum non fruſtra hominibus a Deo conceſſum. — — Alere illum et nutrire honeſtum, opprimere et corrumpere inhumanum videri. — Augeri iſtam voluptatem, a natura im-

impreſſam, artium earum beneficio, quae per pectus ſibi ad intellectum viam aperiant. Atque illarum artium fontem *naturam*, *praeſidium vero naturae imitationem eſſe*. — Ferri nos incredibili quadam cupiditate videndi, — velle moveri, perturbari, implicari, diſtrahi, occupari, delectari, mox admiratione et laetitia efferri, mox triſtitia deprimi. Ad explendam illam cupiditatem egregie conferre artes naturae interpretes et imitatrices. Eſſe vero hoc imitationis beneficium imprimis picturae et poeſi commune. Latere omne genus vel elatioris vel remiſſioris poeſeos in arte pictoria, quae ipſa habeat ſuum πάθος, τραγικὸν καὶ κωμικὸν, interdum adeo (quod in Acidis et Galateae marmoreo ſigno Carlencas ſibi reperire viſus eſt) λυρικὸν, h. e. ſublimem aliquem ſpiritum, qui ex pectore calido emanet, phantaſiae ope diffundatur, et a ſedatiore animo ſit alienus. — Eſſe etiam utriusque leges communes: Boilavium, ut poetis, ita pictoribus, praecepta dediſſe. —

Atque haec quidem non temere eſſe propoſita, exemplis, in quorum delectu elegantiſſimus iudex agnoſcitur, ornate A. copioſeque demonſtrat. Altioris poeſeos vim et dignitatem in monumentis Puſſini et Raphaelis; in Brunio vero ſublimitatem hiſtoricam, et epici carminis maieſtatem agnoſcit. Apparere ait iſtam poeſeos et picturae ſimilitudinem potiſſimum delectu rerum et ordinis. Pictorem poetamque epicum eandem rationem ſequi. Circa magnum aliquod et mirabile facinus utrumque occupari; praeter dignitatem ex ipſa actionis natura profectam, addere mirabilem quandam maieſtatem, quae ex machinis et portentoſa deorum praeſentia oriatur, rebusque humanis ſanctitatem et divinitatem conciliare videatur. — Non minorem Tragoediae et picturae coniunctionem eſſe: utramque magnitudinem animi, et omnem virtutem in illuſtriori loco poſitam efformare, admirationem, ſtuporem movere, ciere lacrumas, atque in eo tantum differre, quod altera facta ſui expectatione, et praeparato lectoris animo, ad ſummum actionis tempus et locum deducat, altera vero extemplo ſummam actionem arripiat,

ripiat, et uno quaſi ictu imparatum ſpectatoris animum percellat. Inprimis vero utriusque artis affinitatem inde demonſtrari, quod utraque ex fabuloſa antiquitate, tanquam ex communi fonte hauriat, atque interdum altera alteram rerum et imaginum copia locupletare videatur. Ita ex Theodori tabula Caſſandram, et ex Laocoonteo ſigno ſuum Laocoonta Virgilium expreſſiſſe. Ovidium, quanquam de arte pictoris interdum minus ſollicitum, tamen, propter perpetuam in iisdem formis exprimendis novitatem, varietatis et copiae exemplar pictoribus dediſſe. Homeri utrumque poema pictoribus ſacrum videri: quorum illud Rubenio auguſtiores humana formas, et ſpecies divinitatem mentientes; hoc vero Quidoni molliores dulcioresque imagines ſuppeditaverit. Vel in agreſtibus et ruſticis tabulis Idylliorum et Eclogarum naturam et mores regnare. Utrasque enim caſtam ſimplicitatem ſequi, agreſtes exprimere formas, campos in ſpatium porrectos, montium tractus, auguſtiora antiquitate robora, rivos per prata languido flumine errantes, praeruptas rupes, fluminum lapſus, orientis ſolis ruborem, et occidentis porrectiores umbras, mentiri, interdum ſimplicem naturam artium monumentis elevare, aras, templa, ruinas et ſepulcra campeſtribus formis immiſcere.

In omnibus vero, vel poeticis, vel pictis tabulis, de delectu pulcri imprimis cogitari. Cerni vero maxime delectum illum in facultate quadam, praeter conſtantes et perpetuas amoenitates, etiam fortuitas illas luminis, umbrarum, et nubium viciſſitudines ſectandi; ex his vero deligendi, quae maxime moveant et inſpirent. Non propterea reliquas naturae partes, pulcritudine inferiores, ab artifice omnino negligi: ſed ita adhiberi, et ſummo pulcro ſubiici, ut illud ipſum magis elevetur. Ex hoc delectu novitatem et inſolentiam, admirationis matrem, oriri.

*Capite IV.* de guſtu, cum regulis et legibus artis coniungendo, haec Auctoris ſententia eſt. — Quanquam ex ſuperba quadam affectatione profecta, et nimis fabuloſa videatur Graecorum de origine artis pictoriae ſententia; nec demon-

monſtrari poſſit, illam ex temeraria circumſcriptione Corinthiacae puellae ortam fuiſſe: tamen priorem arte naturam, et legibus ipſis de guſtu ſcriptis, ſenſum pulcri antiquiorem fuiſſe. Patrem Homerum, Aeſchylum, et Euripidem, et omnes illos principes viros, ſuis exemplis leges ingenio ſcripſiſſe, accepiſſe nullas: Oedipum Sophocleum ante definitos Tragoediae fines, attentum ſpectatorem perturbaſſe; Ariſtotelem primum ex antiquis illis exemplaribus formam artis deduxiſſe. Easdem pictoriae artis origines fuiſſe. Ante rationem et viam Chromatices, Polygnotum Thaſium, et Micona Athenienſem, relictis monochromatibus, per admiſtos quatuor nativos colores novam et inuſitatam varietatem tabulis ſuis conciliaſſe et ante ſcriptas leges, Apollodorum, colorum commiſſuram, et luminis et umbrae rationem adhibuiſſe, ſuoque exemplo Zeuxidis ingenium excitaſſe.

Atque ita paullatim picturam, inprimis per Graeciam diffuſam, ad eam vim et ſublimitatem evectam fuiſſe, quae facile quidem, et cum quadam inexpectata voluptate ſentiri, non vero niſi poſt diuturnam contemplationem, et ſingularum notionum explicationem, certis legibus definiri poſſit. His vero legibus auctis, et diligenter conſtitutis, naturalem illum ſenſum formari, et vagam operandi iudicandique temeritatem coerceri. Quoniam tamen non is ſit artis ambitus, ut omnes pulcri partes et formas complectatur, ſed haud paucas ineffabili ſenſuum iudicio relinquat, duplicem inde artifici cautionem naſci. Alteram, ne opinato iſto defectu et artis infantia offenſus, univerſam viam et rationem abiiciat, ſuique nimia confidentia decipiatur. Alteram, ne ſolis praeceptis confidat, nec arctioribus finibus elatiorem impetum coerceri patiatur, ſed aſſurgat ad ſummam pulcri formam, quam habeat animo impreſſam: Inprimis vero leges ipſas ſaepe et diligenter cum exemplaribus ipſis conferat, quarum levis tantum umbra in praeceptis effingatur, et ex quibus ſolis abſtrahendo ars univerſa deducta ſit. — Primum vero exemplar eſſe naturam; absque illius ſenſu nihil in omni arte effici. — Legum vero eas

eſſe praeſtantiſſimas, quae ad naturam eiusque ſenſum poſſint revocari.

*Capite V*, ſpecie boni Critici ſe ipſe deumbraſſe videtur illuſtris Auctor, adeo haec imago reſpondet rationi et moribus, quibus ipſe in iudicando ſolet uti. Docet autem ornate et copioſe, intelligentiorem artium iudicem ſenſui ex pulcro oriundo libere indulgere, et voluptatis inde perceptae cauſas magis ex illo ipſo taciturno ſenſu, quam ex memoriae latebris, et praeiudicatis praeceptis deducere, leges et praecepta quidem non ignorare, verum etiam agnoſcere fines, quibus omnis ars humana circumſcripta ſit. Levioribus maculis, e grata quadam negligentia oriundis, quibus perfectioni totius nihil detrahi videatur, nec offendi, nec turbari. Non tam in diſquirendis erroribus, quam in illuſtrandis virtutibus laborare, atque in eo praeclare et laudabiliter agere. Eſſe enim longe facilius, inſolentem illam Capellanei poematis auſteritatem reprehendere, quam mollem Fontaneae orationis ſimplicitatem amplecti, eiusque fontes et cauſas explicatione facta conſtituere. Vel mediocris ingenii contemplatorem monſtroſa aliqua vel detorta manu offendi, aut in tabulis Dureri Lucaeque Lugdunenſis veſtimentorum rigidiores plicas et ſinus deprehendere: paucorum vero eſſe, de ſitu ſtatuque corporis legitimo, et muſculorum actione iudicare; vel ad exemplum Pauli Veronenſis, in ipſis plicis Dureri et Lucae, ſeiuncta duritie, artem et dexteritatem agnoſcere. Atque hoc demum eſſe boni iudicis officium princeps, verae et perfectae pulcritudinis partes illuſtrare, et in eo, quod minus pulcrum et perfectum ſit, cauſas erroris et rationes explicare. Neque tamen propterea omnium vel craſſiſſimorum delictorum ultionem abiiciendam, ſed potius, ne detrimentum capiat artis respublica, diligenter providendum eſſe, et acerrime oppugnanda ea opera, in quibus multitudo delictorum raram partium ſingularum bonitatem obruere videatur. — Ab hac vero aequitate plane abhorrere ignobile partium ſtudium, quo abrepti quidam vitio creati critici, undique arma fulmen et impetum

mini-

minitentur, ſaepe de induſtria pulcro vim inferant, leviſſimis culpis iraſcantur, et tyrannorum inſtar, excluſi a vera nominis immortalitate, regnum affectare audeant breve, et poteſtatem temporariam. Imprimis vero ex diverſitate Scholarum magna arti incommoda naſci; habére enim ſingulas quasque Scholas propriam rationem et viam, quam unam ſequantur, et de qua defendenda magis, quam de communi utilitate ſollicitae ſint. Inde fieri, ut nonnulli, quid de quaque tabula ſentiant, ante, quam de patria artificis conſtet, nolint fateri. Alii vero, qui fronte et vultu ſtuporem admirationemque interdum fateantur, ex quo certiores ſint, domeſticam eſſe picturam, nec transalpinam, ſed craſſo ſub aere Germanorum natam, frigeant, taciturni haereant, et patriae crimen ſcholaeque culpam probe ulciſcantur. (Agnoſce, lector, pictores Philoſophos.) Illum autem furorem, qui ex ſtulto patriae amore oriatur, et aptus ſit ex opinione vulgi, ut exteros olim, ita etiam noſtros homines urgere: a quo vitio ſanioribus criticis eo magis cavendum ſit, quo proclivior animus hominum videatur barbaris anteferre domeſtica. Præter illam, quam dixit, criticorum culpam, eſt etiam aliud genus periculoſum, et a vera doctrina valde alienum. Cernitur autem illud in deſpicientia et contemtu ſimplicitatis, atque in anxia quadam praeceptorum et axiomatum congeſtione, quorum magna pars ex temeraria criticorum libidine ducitur. Nunquam illud genus hominum autumat circa rem eſſe, id quod de re dicendum eſt, ſed ex aliis locis petit, vim inventis affert, ungues polit, capillum reponit, de totius corporis valetudine parum ſollicitum. Fruſtra ipſis Gellerti vel Chardini ſimplicitatem et eam orationem commendabis, quae non obumbrat, ſed illuſtrat naturam, primum intuenti imitabilis videtur, nihil vero experienti eſt minus. Maioribus impenſis aggrediendum opus autumant, translucida quadam et effeminata mollitie formaeque turpi labore deformes. Eodem errore in iudicandis picturis laborant quidam fucati ingenii ſpecie decepti. Quanquam enim magis occupari contemplatoris aequi animus videtur una eaque

ſimplici figura Suerii Lareſſiique, quam condenſatis illis turbis, quibus in delineando Fagius diſtinguitur: tamen hunc illis praeferre non erubeſcunt. Eſt autem haec luxuriantis ingenii abundantia, vero guſtu deſtituta, gravior artibus et periculoſior, quam ipſe guſtus depravatus, dummodo ingenii vi deſtitutus ſit. Hic enim facile deprehenditur, et ab intelligentibus ridetur; illa vero inprimis maxima quaeque ingenia occupat, atque eorum culpa, quoniam nihil eſt tam abſurdum tamque inſolens, quod non poſſit pertinaci auctoritate luxuriantis ingenii ſuſtentari, ſaepius per totam artium rempublicam diffunditur. His omnibus luculenter diſputatis, duplex errorum genus ſupra deſignatum iterum impugnaturus, urget Auctor primum, auctoritate Sandrarti, id genus criticorum, qui omnia a lectione praeceptorum, neglecto uſu et contemplatione, petenda eſſe autumant. Deinde acerrime deridet temeraria quaedam et parum formata ingenia, quae natura artis ignorata, et ratione omni viaque ad paedagogos ſcholaſticosque delegata, in ſuperficie rerum haerent, nihil accurate definiunt, nihil determinate, ſed alienis facetiis vultusque obſcura quadam ſignificatione, et abruptis interdum ſententiis, ſuperbam ignorantiam celare, elatioremque ſpiritum mentiri ſolent, ſuſpicionem aliquam doctrinae in vulgaribus mentibus excitaturi. Utrumque genus naturae ſenſu deſtitutum, diſcat a Pileſio, Felibieno, Fresnoio et Watteletto, quid ſit de arte praecipere, et ſibi a prava conſuetudine, et malorum exemplorum illecebris cavere. Inprimis vero contemplanda exempla antiqua, marmora, opera caelata, gemmae, et reliqua monumenta, ex quibus, tanquam e propriis fontibus, princeps artificum et criticorum, Raphaelus, hauſit.

*Capite VI.* Antiquum exemplar: quod nomen omnium pictorum, ſtatuariorum, caelatorum, et architectorum opera complectitur, quae Aegyptus, Graecia, et Italia, paullo ante Alexandrum Macedonicum usque ad Gothorum irruptionem, et artium communem ruinam, produxit: docet nos, facto naturae delectu, impreſſam animo pulcri ſpeciem in noſtra opera transferre. Oſtendit porro humani corporis

ſtructu-

ſtructuram, molli circumductione linearum, et iuſta partium proportione commendatam; ſummae vero pulcritudini, quae ex convenientia illa et prudenti delectu vel collocatione membrorum proficiſcitur, perpetuum comitem addit gratiam ultro a natura oblatam, aut certe non anxie conquiſitam. Vel in ipſa actione corporis animique perturbatione efformanda, abhorret a violentiore et immoderatiore contorſione, quae poſt haec tempora in optimis etiam diligentiſſimorum artificum operibus ſolet deprehendi. Utebantur enim antiqui oculo ad deligendum acuto, et ad coniungendas partes delectas notione quadam univerſa eius pulcri, quod nunquam in rebus apparet: mox inani corpori nobilitatem mentis inſpirabant; mox debilitati et imperfectioni ſingulorum membrorum ſuccurrebant, atque ita, facta elatioris animi cum praeſtantiſſimo corpore conſpiratione, ſpeciem illam internam ſummi pulcri feliciter aſſequebantur. In ea vero coniunctione, quoniam difficilius eſt delecta coniungere, quam omnino deligenda reperire, inprimis vis et quaſi mens artis pictoriae cernitur. Neque tamen illa ipſa tollitur artificioſa eorum obiectorum repraeſentatio, in quibus ornandis natura aut liberalior et magnificentior eſt, aut certe non adeo parca, quin, adhibita notione pulcri univerſa, intelligentior artifex inde perfectiores formas poſſit deducere. Utriusque generis, Auctor, antiquiora et praeſtantiora exempla propoſuit. Prioris generis Polycletum Thaſium et Zeuxem: quorum ille ex ſingulis diverſorum corporum perfectionibus eam ſtatuam efformarit, quae deinceps propter ſummam dexteritatem *κατ' ἐξοχὴν regula* dicta eſt; hic, (quae Baelii coniectura eſt,) eadem ratione in Helena ſua effingenda uſus, a Crotonienſibus puellis non tam totam aliquam formam, quam perfectiones ſingulas ſumſiſſe videtur. Poſterioris generis exempla quidem nulla poſuit Auctor; contendit tamen, artificem, ingenio haud inferiorem, ductum illum interna ſummi pulcri ſpecie, etiam unum aliquod exemplar, ex potioribus partibus naturae beneficio perfectum, cum laude ſequi et amplecti poſſe. Utramque

rationem tamen idem et nihil aliud ſpectare, quam ut illud ideale pulcrum, adhibita natura, operando efficiatur et procreetur. Illud ſemper manere, ut quisque maxime excelluerit, ita eum maxime conſuluiſſe naturam. — Neutram vero rationem ulli ingenio obtrudendam, ſed potius arbitrio et enthuſiaſmo artificis relinquendam, quo uno caleſieri et excitari ſoleant ingenia, et cui, quanquam non in vita, tamen in arte, ſemper ſit indulgendum. Addita cautione, ne nimis religioſe in veterum formas iuremus, et aut Clazomeniae Dianae alba ſupercilia aut alias partes, mox caſu, mox mythologiae arbitrio deformes, arripiamus; tranſit A. ad quaeſtionem, an omnino unquam perfectioris pulcri tota exempla ab ipſa natura producta ſint. Atque id ait pluribus exemplis poſſe affirmari. Habere enim naturam, ita ut artem, praecipua quaedam et illuſtria opera, quibus ſe ipſa ſuperare velle videatur, et quibus nec noſtra tempora deſtituta ſint. Ex veteribus, praeter fabuloſam Demetrii Polyorcetis pulcritudinem, inprimis memorari formam Campaspes et Alcibiadis, ex quarum altera Veneris Marinae, altera Mercurii exemplar, auctore Plinio, Apelles duxiſſe putetur. Fuiſſe illa aetate altricem quaſi formarum Inſulam Scio: ſed ſic etiam noſtris temporibus Hiberniam nutricem et matrem venuſtatis videri; quod tamen Auctor absque invidia domeſticarum formarum dictum vult, memor ille quidem cognati decoris et vindictae, quae ſolet ex neglecta venuſtate vel in optimis mulieribus oriri. Non adeo naturam eſſe corruptam, ut omni venuſtate nunc deſtituatur. Mutationem illam rerum, et novam terrarum faciem, quibusdam regionibus nocuiſſe, aliis, ut inprimis Germaniae, profuiſſe. — Exſiccatis enim paludibus, ſylvis excifis, cultisque montibus, liberiora loca, et ad alendas formas emolliendasque ſalubriora reddita eſſe. Sed illud tamen concedi poſſe, noſtris temporibus rariora dignitatis et venuſtatis exempla apparere. Illius vero defectus cauſam probabilem ducit Auctor ex ludorum gymnicorum et pugilatus intermiſſione, in qua coniectura auctorem ſecutus

cutus eſt Rubenſium, contemplatorem antiquitatis acerrimum, quanquam interdum ab illorum ſimplicitate recedit, et auguſtiorem aliquam amplitudinem corporis affectat. Non temere hoc ſumtum eſſe, vel ex noſtris ſaltatoribus apparet, qui varietate et vi perpetua actionis praeſtantiſſimam ſibi ſpeciem plerumque conciliant. Eſt igitur magis ex conſuetudine et morum ratione, quam ex ſeneſcentis naturae opinata infirmitate, ille quem diximus defectus deducendus.

Lacedaemonii, nudato corpore pugnaturi, ruebant in agmen, nec invida veſtimentorum denſitate formarum corporumque praeſtantiam obſcurabant. Aderat ſpectator artifex, et attento oculo in auguſtiore ſpectaculo infixus, vel fugitivas illas, innumeras, et noſtris oculis ereptas flexiones, ſtatus, actionem, muſculorum mox denſitatem, mox dilatationem, hauriebat, quam tamen pro ſibi impreſſa perfectionis et convenientiae ſpecie, vel moderari, vel augere et intendere didicerat. Atque hanc contemplationis diligentiam omnia antiqua marmora produnt, quam noſtri artifices ſequantur; et quoniam nobis, morum mutatione et probitate, ipſius naturae aſpectus ereptus eſt cum antiquitatis contemplatione anatomiae ſtudium haud vulgare coniungant, quo efficitur, ut mutato etiam corporis ſtatu, quem unum ſemper antiqua exemplaria exprimunt, ad rationem naturae actionem et flexiones mutare poſſis. Porro etiam, ut in ipſa natura, ita in antiquitate imitanda, delectus eſt adhibendus, neque ſemper in illa ſervili anxietate haerendum, ſed ex proprio ingenio feliciter hauriendum, nunquam neglecta praeſentiore natura. His omnibus egregie diſputatis, adductisque exemplis ex interiore arte, commendata artifici modeſtia, et ulterius progrediendi cupiditate, conciliatis denique opinionibus eorum, qui vel ſolas leges, vel ſolam naturam commendant, mediam quandam viam oſtendit, et limites imitationis proximo libro ſe demonſtraturum pollicetur.

*Caput VII.* Fons omnis pulcri ſacer et inexhauſtus *natura* eſt, quem tantum abeſt ut nobis ars vetus et antiquum

quum exemplar occludat, ut potius illo ipſo auctore et monſtratore ad naturam deducamur. Neglecto igitur duce tam parato et certo, qui praeter omnem moram et errationem feliciora ingenia ad internam naturam divinitus quaſi rapere videtur, temere per ſuperficiem rerum vagari, et abſque veri pulcri notione umbram illius undique cum trepidatione affectari, nihil aliud eſt, quam ſponte a regia via ad avios montes et ſenticeta delabi. Sapientiſſimi quique omnium aetatum artifices in hoc uno elaborarunt, ut definirent et conſtituerent perfecte pulcrum, eiusque ſpeciem poſteritati relinquerent; atque illam quidem cum laude intelligentiſſimi quique ſecuti ſunt. Sic Mediceae Veneris ſpectatio, quae docti Winckelmanni ſuſpicio eſt, Berninum; et ipſum Eupompum, quanquam ſaepius pro natura contra exemplarium auctoritatem pugnaverat, diligens contemplatio Polycletianae regulae ad videndum definiendumque pulcrum acuere viſa eſt. Sed coniungenda cum exemplarium uſu natura eſt, nec ſollicita veterum cura noſtra ſollicitudo tollitur. Id unum in Coliſaeo ſuo ſpectavit Raphaelus, marmorum et exemplorum acutiſſimus contemplator, naturae ſemper memor. Accepit enim ab antiquis exemplis multa, ſed ita accepit, ut propria virtute augeret, in defectu exemplorum recurreret ad naturam, natura ipſa deſtitutus ex uberrimo ingenio hauriret, ſaepe deligeret, interdum ipſe creator. Haerent autem exempla infixa animis, et ne cogitantibus quidem ſponte occurrunt. Imprimis vero delineationem roborant; colorum enim rationem magis a natura expectandam, Titiani et Claudii Gillei exemplum teſtatur. Ante omnia vero definienda ſunt diverſa *Veri*, in arte pictoria, genera. Eſt autem verum vel ideale, vel ſimpliciter verum, vel compoſitum. Ideale verum cernitur in coniunctione eorum, quae iacent in natura diſperſa, raro coniuncta occurrunt; atque id genus totum poeticum eſt. Simpliciter verum, ipſa obiecta ut ſunt tota excipit, et non debet ab ideali disiungi. Ex utroque enim genere oritur tertium, compoſitum, atque illud

illud quidem perfectiſſimum, cuius felix conſpiratio, et in ſublimioribus, et in ſimplicioribus neceſſaria, non ad picturam ſolum, ſed ad omnes artes pertinere videtur. Quibus conſtitutis apparet, neque ipſum Apollinem Vaticanum et Antinoum, idealis veri interpretem pulcherrimum, artificem a ſimplici vero abſterrere. Carnoſarum partium perſpicuam mollitiem, et translucidam exterioris cutis teneritatem, facilem circumductionem, ſingularumque partium vel elevationes, vel depreſſiones, aereumque illum vaporem, sfumato Itali appellant, ex veterum bene formatis tabulis in ſuum opus transferre, ut ſtatuarii, ita etiam pictoris eſt. Sed videndum etiam pictori, ne inſpirante lapide, ſolum lapidem agnoſcat, aut antiquitatis oſtentatione deceptus, neglecta muſculorum flexione, et interdum levi ſignificatione, mentem et ſpiritum delere, et lapideam figuris ſuis auſteritatem conciliare videatur. Solet interdum in marmoribus, aut craſſa plicarum denſitate, nudi corporis ſuſpicio et ſignificatio impediri, aut veſtimentorum uvidorum culpa, quibus tanquam exemplis ſtatuarii utuntur, nudum illud nimis translucidum fieri. Utramque culpam arti potius, quam artifici tribuendam qui ſequuntur, reprehendendi videntur. Obliviſcendum enim potius erat marmoris. Videbat id poſt Caravaggium van Dyckius, in cuius manibus, manus Laoçoontis agnoſcere ſibi intelligentes viſi ſunt, redditas illas quidem naturae et vitae et ſanguinis libera circumagitatione ornatas. Quae cum ita ſint, non male Laceſſius antiquorum exemplorum imitationem cum bona translatione comparavit, quae imprimis cernitur in exprimendo ſenſu et ſpiritu auctoris, oratione vero utitur ad genium linguae accommodata, et ab omni ſervili ſingulorum verborum ſollicitudine libera. Imitatione conceſſa manet delectus, quo poſito, reiectis deterioribus, perfectiora ſequimur. Venus *καλλίπυγος* corporis pulcritudine inſignis, capite vero et veſtimentis deformis eſt: abiecto igitur capite, corporis rationem artifex habeat. Illa libertate uſus Berninus, nuditatem veterum ita ſecutus eſt,

ut veſtimentorum levitate et mollitie antiqua exemplaria ſuperaret. Haec de imitatione in univerſum, de imitatione prava pauca addit Auctor. Exemplis Drydenii et Michel Angeli, (quorum ille Sophoclis auctoritate deceptus unitatem temporis neglexit, hic Dantis inſolentiam ſecutus, ſacra fabuloſis miſcuit,) abunde demonſtrat, hanc praepoſterae imitationis culpam in ſummis interdum viris male deprehendi. Servilem imitandi rationem, deridendam potius, quam corrigendam eſſe, recte autumat.

*Caput VIII.* Characterem boni imitatoris, proponit. In hoc autem exprimendo charactere ita verſatur illuſtr. Auctor, ut perfectioris tabulae ſpeciem tanquam fundamentum imitationis ad leges artis adumbret. Debet autem tabula, tanquam exemplar proponenda, imprimis commendari argumenti nobilitate, novitate, ſimplicitate. Accedat ſingulorum obiectorum morata delineatio et collocatio, ipſisque mens et vita inſpiretur. Ordine et illuſtratione alliciatur oculus, non diſtrahatur. Capiatur porro luminis et umbrae ſimplicitate et conſpiratione; umbrarum luſu et colorum molli commiſſura, refractione, et pelluciditate. Quibus virtutibus efficitur, ut iuſte collocata tabula amabiliter animo ſpectatoris illudat, et naturam quaſi praeſentem faciat. — Tactus tam grato ſpectaculo artificis animus, ad ſimile quidquam audendum excitatur; vel tractationem ipſam (le maniment), et externa quaeque ſequitur, ſed eſt ab omni ſervili anxietate remotus. Maiore audacia ad hoc opus accedit is imitator, qui ſuapte natura ad inveniendum proclivis eſt. Recluditur iſti tota exemplaris fabrica, ac ſenſu et arte duce ex imitatore fit exemplar. His artibus inſtructus prudentior Cignanus, Carraccionis vim cum mollitie Titiani et Correggii coniunxit, et ex Michel Angeli opere hauſit diligens eius ſpectator Raphaelus. Enimvero hic ipſe quem diximus, Raphaelus boni imitatoris perfectiſſimum dedit exemplar. Honeſta enim gloriae cupiditate ductus ſemper ulterius progredi, et Perugini magiſtri duriorem tractationem, poſt viſas da Vin-

cii

cii tabulas, abiicere audebat; felix ille quidem, ſi in coloribus miſcendis, aut naturam magis, aut Titianum ſequutus eſſet. Qui igitur Raphaelem imitantur, colores eius non ſequantur, ſed adſpirent ad eam perfectionem, quam ſemper ſpectabat, quamque, ſi diutius vixiſſet, non potuiſſet non aſſequi. Quod in coloribus Raphaeli, id in delineatione celebri Rembrando accidit. Excellit enim is luminis et umbrae ratione, et allectum ſpectatorem tenet, ſed ignobiliorem naturam ſequitur, et actionis dignitate colorum dexteritati non reſpondet. Apparet hoc luculenter comparato Ganymede Rembrandi cum Ganymede Leocratis, artificis antiquiſſimi, quorum ille ſub acrioribus ungulis violentioris aquilae, turpata facie, et contorto vultu, pueriliter ingemiſcit, hic vero mollius tractatur a moderatiore alite, memore, vel in ipſa raptione, quis ſit is quem ferat, et cui rapiatur. Sequatur igitur artifex actionem et ſenſum Leocratis, colores vero Rembrandi. In univerſum autem ſemper ultro progrediendum. Apollodorum Zeuxis, Zeuxidem Euphranor ſequutus eſt, ita tamen, ut ille inventione, hic circumductione magiſtrum ſuperaret. Atqui eſt in ipſa ſcholarum et operationum varietate voluptatis fons uberrimus. Non enim fruſtra Deus eandem varietatem ingeniis, quam vultibus, conceſſit. Una fingendi eſt ars, in qua praeſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus; qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem, ut ait Cicero L. III. de Orat. c. 7.

*Caput IX.* de deformitate et turpitudine vitanda exponit. Pulcra natura ſola exprimenda eſt, remoto omni imperfecto, niſi id ipſum, a diligenti artificis boni negligentia profectum, perfectioni univerſae tabulae, et primarum partium inſervire videatur. Quid igitur opus eſt cautione de turpitudine vitanda? At multi contra faciunt, quibus ideo haec exempla ſcripta ſunt. Ioannes Valdeſius, pictor et ſtatuarius Hiſpanus, teſte Antonio Palomino Velaſco, qui vitas artificum Hiſpanorum deſcripſit, turpe, exeſum, et a vermibus corruptum cadaver ita exprimebat,

 ut

ut horrorem et taedium in ſpectatore excitaret. Sed vitanda ſunt haec turpiora ſpectacula, et parcendum eſt phantaſiae, quae ſub ipſo intuitu ſuis legibus operatur, et triſtem memoriam taedii ſaepius in rerum natura percepti revocat, et animum ſenſusque ingrata recordatione perturbat. Nec artis, nec imitationis eſt, his prodigiis incumbere, quae, quo propius ad naturalem turpitudinem accedunt, eo deteriora ſunt, et a ſenſu voluptatis remotiora. Caveat ſibi contra artifex ab omni inſolentiore faſtidio, ne delicatior animus, inepti taedii culpa, varietati vim inferat. Habet ipſa ſenilis aetas, remota illa quidem ab omni ſpurcitie et ſqualore, qui extrinſecus accedit, neque huic aetati proprius eſt, ſervato decore et moribus, ut in natura, ita in tabulis van der Helſtii et Denneri, ſuam dignitatem et gratiam, quam qui negligunt reprehendendi videntur. Alia videtur eſſe ratio eorum obiectorum, quae terrorem natura ſua movent, et non ſolum ferri in arte, ſed cum voluptate quadam ſpectari poſſunt. Terror enim, ſeu ſubita improviſi mali perceptio, in picturis et arte non eſt niſi perturbatio et averſio ſenſuum ex recordatione malorum olim perceptorum oriunda, quae facile artis et imitationis clariore et praeſentiore ſenſu vincitur, et plane tollitur ſolo pulcritudinis ſenſu relicto. Inde fit, ut ferociſſimae belluae Snyderi vel Rubenii tabulis expreſſae, remoto omnis periculi metu, cum ſuavitate quadam ſoleant ſpectari. Perit enim metus artis beneficio, quae quanquam naturae auſteritatem mentitur, tamen et ipſa cupit videri, et ſe prodit ſpectatoris quaſi miſericordia tacta. Eſt etiam alia cauſa, cur in arte ſaepe non offendat triſtiſſimorum obiectorum delineatio. Ducitur autem illa ex cupiditate novi videndi, et naturam inveſtigandi, ſine qua nemo bonus naſcitur, et quae quo latius patet, eo ardentior fieri ſolet. Gaudet enim contemplatoris animus absque periculo ea ſpectare, quae naturae immanitate ab inveſtigatione arcere ſpectatorem videbatur. — Illuſtrat haec Auctor exemplis poetarum, et inprimis elegantiſſimo carmine *Kleiſtii*, Viri immortalis, quem

quem nuper cruentiſſimum bellum Germaniae boniſque litteris eripuit. Addit exempla *Rahelis Ruyſchiae* et *Mariae Oſterwicenſis*, quarum utraque in efformandis inſectorum naturis feliciſſima fuit. Laudat et explicat locum Boilavii:

*Il n'eſt point de ſerpent, ni de monſtre odieux.*

Addit denique cautionem, ne nimis his portentoſis imaginibus tribuamus, ſed potius ferocitatem naturae artis iucunditate corrigere et emollire ſtudeamus. — Sequitur cautio de monſtris. Memor ſit artifex Horatiani: humano capiti cervicem pictor equinam. — Nolit Apollodori Typhonem aut Homeri Briareum, in picturam transferre. Diſcat a Titiano Monacho et Coypello monſtrum a Perſeo victum efformare, quod ut effugeret Pugetus, callide id tempus actionis arripuit, quo victo iam monſtro Andromeda ſolvitur. — Neque tamen propterea fictitias formas, artifex, et ideales plane abiiciat. Quis enim non miretur marinos equos, quibus Rubenius celeberrimum illud: Quos ego Dresdenſe diſtingui voluit, auguſtius ſpectaculum redditurus. Commendanda vel ex hac parte imitatoribus veterum modeſtia eſt. Caput Meduſae, quod tum ex Meduſa Strozzi, obſervante Stoſchio, cum ex celeberrimi et de antiquitate meritiſſimi Lipperti exemplaribus patet, ea pulcritudine et venuſtate apud veteres commendatur, ut firmare haec exempla videantur opinionem eorum, qui non tam turpitudinis, quam pulcritudinis vi tactos et perturbatos ſpectatores fuiſſe ſuſpicantur. Male igitur recentiores ab iſto more receſſerunt. Nolit tamen idem pictor nimis delicatus conſuetudine mythologiae offendi. Quis non Inachi Acidisque cornua in tabulis et picturis ferat, in quibus maieſtatem quandam veteres poſuere? ſed in iisdem formis exprimendis delectus iterum habendus eſt, ne nimis conſuetudinis culpa a natura ipſa recedatur. Malim equidem taurinum caput Padi in caelaturis et nummis, quam in tabulis ſpectare, quae propter colores propius ad naturam accedunt. — Neque etiam oculis et ſenſibus actionis

 tur-

turpitudine vis inferatur. Nec pueros coram populo Medea trucidet etc. Immane enim et terribile, cui morata vis et interna quaedam maieſtas negatur, perturbat quidem ſenſus, ſed eſt ab omni voluptate remotum. Melius igitur interdum quaedam ſignificantur et tacentur, quam referuntur. Polygnoti Pyrrhus, qui crinibus arreptam Polyxenen violenta manu ad ſacrificium rapit, noſtra quidem ſententia vincitur modeſtia Pyrrhi Pittonei, qui nudato gladio morituram filiam Priami alloquitur, facta tantum lugubris ſpectaculi ſuſpicione. — At ſunt qui ab iſta lege recedant, et cum Lyſippo Plinii auſtero malint genere, quam jucundo placere. Quis Ioſephum Riveram ignorat, lugubre martyrium moribundi Bartholomaei ubique ſectantem. Quis Laireſſium, Stratonices et Antiochi auctorem, in furore Prognes et lacerato filii capite agnoſcat. At ex ipſius de ſe iudicio apparet, leges artis, vel maximorum quorumque virorum peccatis, nec labefactari, nec tolli. Homerum ipſum multas auſteras imagines habere, nemo ignorat. Habent etiam illae ſuam maieſtatem. Quis enim non moveatur Diana a Iunone laeſa, Minerva cum Marte et Venere colluctante, et Iove incredibiliter interdum furibundo? Sed eſt etiam in Homero cautio adhibenda. Nulla ars efficere poteſt, quin, Iunone a Vulcano turpiter conſtricta, maieſtati ſexus et decoro detrahatur. Sed plura de his apud Caylum, artis pictoriae intelligentiſſimum iudicem, leges. Manet hoc, ſolum pulcrum ſpectandum eſſe, quod cur inprimis placeat, interrogare coeci eſt, non artificis.

*Caput X.* De motum doctrina, ad artificem pertinente, exponit. Pertinet etiam ad pictores illud Horatii:

*Si vis me flere* etc.

Moveatur, neceſſe eſt, et ſpiritu et pectore incaleſcat, qui vult in aliis pulcritudinis, ſublimitatis, et maieſtatis ſenſum excitare. Noſcat humani pectoris latebras, mores, ingenia; et quot modis hominum mentes, et quibus rebus, et qua vi, in quamque partem moveantur. Ut igitur a Geometria delineationis vim et dexteritatem, ita a Philoſophia

morali

morali moratam fingendi rationem deducat. Nec manuum robore et agilitate, nec intellectus vi cognitionisque amplitudine ſola, ſed ſublimiore quodam ſpiritu et mente divina ad ſentiendum, inveniendum, movendosque alios excitamur. — Ad operationem ipſam nunquam temere frigidior artifex, neglecta temporis et proclivitatis ratione, accedat. — Sublimitatis ſpecie ductus nunquam obſcuritatem ſectetur. — Tranquillus animus ex maieſtate et dignitate cuiusque operis eluceat, rigiditate omni, duritie, et puerili laſcivia remota. Absque dulcedine enim diligentiſſime etiam ad leges delineata forma parum efficiet. Gaudeat igitur artifex, iraſcatur, doleat, qui laetitiam, iram, et dolorem, formis et vultibus imprimere audet. Sit bonus fabulae actor, et cum perſona mores ipſos induat. Sic immortalibus ſuis operibus caſtam Romanorum ſeveritatem Puſſinus inſpiravit, propriae dignitatis fidus interpres. Sed nolit etiam triſtior artifex, animi depravati, et domeſticae culpae veſtigia, formarum frontibus imprimere. Sit ipſe bonus vir, virtutis memor, quam nemo impune ab arte divellat. Alat pectus, honeſtatis et perfecti ſtudio liberali. — Operibus aequalium, et arti alienae, nunquam iraſcatur, nec adverſarius, nec obtrectator laudum aliarum, ſed ſocius et conſors glorioſi laboris. Rara videtur eſſe haec modeſtia, et optanda potius, quam expectanda: ſunt tamen illius exempla. Cui unquam Virgilius invidit? Quis magis Protogenem amavit Apelle? quis, reluctante ipſo gloriae ſtudio, Perraltium mitius tractavit Bernino? Sit porro veritatis amans artifex, monitoribus mitis, et caſtigationis patiens. Imparatiores, et ingenio inferiores, nutriat: diſcipulorum naſcentem gloriam nunquam opprimat. Servet mentem aequam, ſibi conſtantem, et honeſtos mores, grata hilaritate coniunctos, formis ſuis inſpiret. Quis non amet Apollinem Bernini? quis vultus ſanctam caſtitatem, divini et innoxii amoris interpretem, non miretur? Quam amabiliter, perculſus inexpectato ſpectaculo, iuvenis, tremebundis manibus, et reflexo leniter brachio, fugitivam, et iam

novas

novas formas minitantem Daphnen ampleꝟitur. Eandem Apollini gratiam Lareſſius conciliavit. Age vero, hanc ipſam actionem adumbrare audeat artifex verecundi amoris ignarus, et auſtera Panos ruſticitas indecoram Apollinis faciem occupabit. — Nec audiendi ſunt, qui exemplis contra hanc legem pugnant. Ut enim artem Parrhaſii omnes mirantur: ita indecoras impudicasque formas nemo unquam bonus probabit. Inprimis haec morum artisque conſpiratio apparet in iis tabulis, quae celebrationes et ſodalitates referunt. Adriani Brouweri in delineando firmitatem miramur omnes, urbanitatem et leporem deſideramus. Erat enim is omnino iis praeſidiis, quae ex honeſta conſuetudine ducuntur, deſtitutus, et omni decora nobilitate. Quod ne admiratoribus eius viri, quem cum Rubenio hiſtorici pictores haud mediocres amplectebantur, durius dictum videretur, duplex genus nobilitatis Auct. conſtituit: alterum μηχανικὸν, quod in firmitate et elegantia externa poſitum eſt, et poteſt de ipſo Brouwero praedicari; alterum vero morale, quod in delectu obiectorum, actionum, et morum cernitur, atque etiam humilitati ipſi gratiam quandam et honeſtatem conciliare videtur. — Illuſtrantur haec exemplis, atque ita primus iſte liber praeſtantiſſimus explicit. De libro ſecundo, qui *de inventione, diſtributione, et obiectorum utriusque varietate* latius diſputat, et propius ad ipſa artis penetralia pertinet; et de poſterioris tomi duobus libris, pari vi et doctrina conſcriptis, ut propoſitum eſt, ſuo tempore videbitur.

In univerſum hoc monendum eſt, exhauſtam eſſe hoc opere omnem artis antiquitatem, conſuetudinem, tractationem, vim et rationem, adſperſas ſingulis locis annotationes doctiſſimas, et laudatos inprimis eos libros, ex quibus tanquam ſaluberrimis fontibus artis univerſae natura poteſt hauriri. Ceterum, ſi exemplaris dignitati noſtra culpa aliquid detractum forte ſit, noli, Lector, voluntati noſtrae iraſci. Difficile eſt, de probis auctoribus iudicare; magnos et inſignes viros laudare longe omnium difficillimum.

*Cl.*

*DACTY-*

*DACTYLIOTHECAE UNIVERSALIS, SIGNORUM exemplis nitidis redditae, Chilias tertia, ſive Scrinium milliarium tertium, delectis gemmis antiquo opere ſcalptis plerisque eisque fere hodie praedicatione et notitia multorum in omni Europa clariſſimis, exemplo de Muſeis in maſſa quadam terrea candida petito expreſſit, ordinavit, edidit, PHILIPPUS DANIEL LIPPERT, Dresd.. Stilum accommodavit C. G H.*

Lipſiae ex officina Breitkopfia. pl. 11. quatern. MDCCLXII.

Dactyliothecae univerſalis priores duae Chiliades iam iudicium diligentiamque eorum expertae ſunt, qui earum in his *Actis Erudit.* recenſionem dederunt. Multa ibi diligenter, et in univerſum de libri utilitate, et ſigillatim etiam de eius virtutibus, diſputata ſunt. Alienum igitur eſſet ab hoc loco, ſi ea, quae antea dicta ſunt, repetere, et quaſi recoquere vellemus. De ratione igitur libri interna, et quaſi domeſtica, de eius vel vitiis, vel virtutibus, hic nihil dicemus; brevem tantummodo *tertiae Chiliadis* deſcriptionem afferemus. Duabus partibus abſolvitur, quarum prima tota *Mythica*, altera fere *Hiſtorica* eſt. Ceterum idem ordo in deſcriptionibus gemmarum, qui in duabus prioribus partibus, ſervatus eſt. Sub calcem libri index *Francogallicus* et *Latinus* additus eſt, uterque perutilis, et mirifice harum rerum ſtudioſis inſerviturus.

*Pars prima, tota Mythica.*

*I. Hiſtoria fabularum deorum.*

Num. 36. *Sarda Dactyliothecae Chriſtiae. Caſſis* perelegantis et ornati operis criſtata; *Victoriae* bigis inſiſtentis, et ante ora *Dianae Venatricis* ſignis conſpicua: *b. Chriſtius* Minervae galeam eſſe contendebat.

Num. 37. *Paſta antiqua Baronis a Stoſch.* Mulier, eodem quo Begeri *praefica*, ſtatu, ſedens, lugenti et dormienti

 ſimilis.

ſimilis. In conſpectu ara, cuius latus adverſum tres figurae inſigniunt, tripodem ſuſtinens, e quo Sphinges aliquot exiſtunt. *Winkelmannus ingenioſe coniiciebat, Themidem ereptas ſibi ab Apolline ſortes Delphicas lugere.*

Num. 43. *Onychius, Principis Iablonovii.* Gemma utrinque ſcalpta; in altera parte citharoedus trunco arboris inſidens, cui laeva innititur, dextra lyram genu impoſitam ſuſtinens: ambiunt verba: VICTO APOL MARSI; in extrema ora virgula a ceteris ſecernit vocem TAVEA, quod neſcimus an artificis nomen eſſe poſſit.

Num. 63. *Sarda.* Inſoliti argumenti opus. Cetera quidem Dianae Epheſiae ſpecies, ſed brachiis extentis, quorum alteri urſa, alteri leo inſiſtit; laeva chamaeleonem, dextra anguillam marinam tenet; multimamma eſt, ſed inter ubera ex dextro latere unicornu, ex laevo equus exſilit; faſciis involuta, Dianae more, ad pedes usque; ſed in capite coronam turritam geſtat, ut verius pro *Cybele* habeatur.

Num. 107 et 108. *Lapis Armen. vulgo Lazuli, Baronis a Gleichen.* Neptunus bigis vectus; tridens in dextra. Gemmae huius pars averſa duas manus iunctas exhibet, e quibus duo copiae cornua aſſurgunt, in quorum medio caduceus elevatus; in ora inferiore: PAX. Forte ea pugnae navalis, et inſequutae pacis memoriam ſervare debebat.

Num. 135. *Sarda, Schunteri P. P. Altdorfini.* Bacchi incunabula minore in gemma. Nobiliſſimae huius et celebratiſſimae gemmae, quotquot nanciſci potuit, exempla, diligenter congeſſit Chriſtius. In tanta doctorum hominum de interpretatione ſignorum eius diſceptatione, nullam vidit probabiliorem coniecturam, quam qua *Bacchi Orgia*, uti quidem Athenis celebrabantur, expreſſa putantur. Mariettus vindemiae licentiam et hilaritatem deſcriptam exiſtimabat; ſed paullo difficiliore et duriuſcula interpretatione.

Num. 150. *Iaſpis ruber.* Sileni caput calvum, hederaceo ſerto cinctum. *Winckelmannus* non male coniicit, *Aeſchyli* poetae eſſe, qui de ſe praedicare ſolebat, niſi Baccho viſo, ſe poetam non eſſe.

Num.

Num. 199. *Ectypum regis Siciliae.* Centaurus Herculeo corporis habitu, altero humero calathum, altero facem non accenſam geſtans. Opus praeſtantiſſimum, inter illa quidem, quae altius exſcalpta ſunt, facile principe loco, et ob id ſingulare, quod figurae plus dimidio e gemma exſurgunt, quod in anaglyphis haud facile obuium. Robur Centauri, toroſos artus, latum pectus, ſpecta et mirare.

Num. 333. *Carchedonius.* In hac gemma explicanda multum deſudarunt viri docti, incaſſum ut opinamur. Videbimus, an ipſi probabiliorem ſententiam afferamus. Venerem Apuleius urnam aqua ſtygia repleviſſe memorat; inde Pſychen ſiti accenſam ad bibendum hauſiſſe, et confeſtim diris cruciatibus adfectam eſſe. Hoc eſt, quod in noſtra gemma vas admodum capax conſpicitur, ut forte tanto facilius in mentem fabula veniret. Pſyche ei inſidet, utraque manu ilia comprimens, prae dolore ſcilicet tam acri et furente, ut affectu pene convulſivo correptam putes. Praeclarum opus.

## II. *Sacrificia et ritus fere Graecorum vetuſt.*

Num. 370. *Victima:* taurus ad ſacrificium deductus; pone eum aruſpex lituum ſuper caput eius vibrans; ad pedes menſa, qualis in templis, molae ſalſae, et ſacro facto extis, ut diis immolarentur, imponendis poſita erat. Adſidet tibicen tibia gemina accinens, cuiusmodi homo Graecis βωμολόχος vocabatur. conf. *Winckelm. Deſcription des Pierres gravées.*

Num. 383. *Sacrificium militare,* ut quidem vulgo perhibetur. Stant binae feminae; altera ante aram igne accenſo collucentem, cui telum, ſive aliud quid illud eſt, manu immittere videtur; ad aram arma humi poſita; altera columellae pone aram ſtanti, et iam caſſide ornatae, pharetram alligare putanda eſt. A mulierum tergo, clypeus cum duobus pilis arbori acclinibus. Opus artificii Romani, quod forſitan *Pacem* et Virtutem exhibet. *Si mulierum altera, facem in arae igne accendere velle credi poſſet, putem eam*

ſimilis. In conſpectu [illegible] apud Agelonium in [illegible] rae inſigniunt, [illegible] exiſtunt. [illegible] ſacerdos femina, ſtans ante aedi- [illegible] in colle conſpicuum, qualis forte ea fuit, quam Delphis Apollo antiquiſſima aetate habuit; *ſive ea aerea aliqua* [illegible] *Minervae Lacedaemone dicata erat, unde Chalcioecus dicta; de qua Pauſan. in Phocicis memorat.* Mulier, quae pro Pythia haberi poteſt, laeuam tripodi admovet, dextra frontem lauream tenet. Genuinum antiquae Graeciae opus.

*Dactyliothecae univerſalis Scrinii Milliarii III.*

*Pars altera fere Hiſtorica. I. Gemmae Homericae.*

Num. 6. *Aiax Telamonius* Hectora lapide petens, et ab Ulyſſe e pugna, manu iniecta, retractus.

Num. 12. *Aiax Telamonius* Achillis caeſi corpus tergo excipiens, ut e pugnae aeſtu aſportet.

Num. 16. *Sarda. Diomedes cum Palladio;* eximium prorſus, argutum, et ſecundum Dioſcorideam eiusdem argumenti gemmam pulcherrimum facile opus, quod hac quidem facie fabulam exhibet.

Num. 18 et 19. *Sarda.* Eurypyli filii caput. Troia capta, ciſtulam a Vulcano fabricatam, praedae partem, abſtulerat: hanc ille aperiens, Bacchi Aeſymnetae imagunculam in ea ſervari videt, cuius conſpectu protinus inſanire coepit, ut tamen furoris intervalla haberet. In gemma hac ciſtulam e templo tollens conſpicitur. Num. 19. *Sarda.* idem intermiſſu morbi reſipiſcens, Delphos adierat, deum conſulturus, qua ratione ab inſania liberare ſe poſſet; reſponſum datum, id tum demum fore, cum ciſtulam in eum locum deportaſſet, in quo peregrino more litari videret. Mox ille adverſis ventis ad Aroen inſulam delatus, ubi cum ciſtula littus ſaltu e navi petiiſſet, puerum cum puella Dianae mactandos duci videt. Tum ille oraculi memor, ciſtulam deae dedicat, et confeſtim a furore liberatur. Iam in hac

hac gemma in littus deſiliens, ciſtula ad pedes poſita, cum conto in manu viſitur.

*II. Heroum, graeci fere Generis, et Regum imagines.*

Num. 22. *Sarda. Prometheus* rupi Caucaſiae affixus, immiſſa aquila iecur exedente.

Num. 41. *Hyacinthus. Imp. Rom. Aug. Viennae.* Praeſtantiſſimum aut unicum potius opus, ſi ſingulare artificii ingenium, et levis ac ſuſpenſae manus, quamvis in gemma, caelaturam conſideres; quanquam illud forte haud antiquum eſt, ut multis quidem argumentis perſpexiſſe nobis videmur. Nihil certe vidimus, quod cum hoc comparari poſſit; adeo leviter et tenuiter expreſſa omnia, ut afflaſſe ſtilo et raſiſſe potius ſummam gemmae aream, quam incidiſſe artifex videri poſſit. Nihilominus in Perſeo, cuius hic ſignum expreſſum eſt, praecipuae partes, quae ad faciem corporis cognoſcendam facere poſſent, dilucide apparent omnes; galea alata, *Meduſae* caput in clypeo, enſis non *harpe* cum thorace, omnia et ſingula facile agnoſci et diſcerni poſſunt. Gemma in clypei modum convexior.

*III. Heroum, Regum, Regin. antiquit. fere Graecan. imagines.*

Num. 67. *Sarda,* quae eſt in gemmis ill. *ab Oeffele a Conſ. El. Bav.* Asdrubalis caput galeatum, cum humeri parte clypeo onerati. Singulare et inſolens opus, parum probabile tamen.

Num. 71. *Achates.* Annibalis galeati, clypeati, et haſtati imago.

Num. 76. *Sardonyx L. B. a Stoſch.* Arſacidarum unus aliquis, in ſolio ſedens, arcum cum ſagitta manu geſtans.

Num. 80. *Sarda, Ducis Devoniae. Ptolemaei Lagi* et *Berenices* capita iugata.

Num. 89. *Ectypum. Geſneri D. Archiatri Regis Pol. et El. Sax.* Cleopatrae et Caeſarionis imagines iugatae.

Num. 90. *Sardius,* Chriſtii A. P. *Darius Hyſtaſpis*

 cum

cum ſtabuli praefecto *Oebare*. Nota hiſtoria, in regum Perſarum annulis effingi ſolita. vid. Schol. Thucyd. lib. I. c. 129.

*IV. Sapientum, Graecorum ferè, ac Poetarum imagines.*

Num. 111. *Sarda. Homeri* caput vittatum.

Num. 118. *Sarda. Pythagorae* caput.

Num. 119. *Sarda. Miltiadis* caput.

Num. 121. *Sarda. Ariſtidis* caput.

Num. 126. *Paſta antiqua*, L. B. a Stoſch. Aeſchylus ſedens; bibentis in calvitium teſtudo deſuper praeceps illiditur, quam aquila ſublimem raptam pedibus emittit. vid. Valer. Max. et *Winckelm. Deſcript. des Pierres gravées.*

Num. 129. *Sarda. Democriti* caput.

Num. 131. *Ectypum. Socratis* caput praegrandi in gemma.

Num. 145. *Sarda Comitis Moſcinsky.* Thucydidis caput.

Num. 152. *Sarda L. B. a Stoſch.* Platonis caput in Termini ſpeciem, binis cervici papilionis alis appoſitis. Plato immortalitatem animae conſtanter et cum gravitate aſſeruit; iam animam Veteribus papilionis ſymbolo expreſſam eſſe, ſatis conſtat. Niſi *Platonis animam* dicere malis.

Num. 162. *Sarda. Theophraſti* caput.

*Dactyliotheca univerſalis Scrinii Milliarii III.*

*Partis alterius, fere Hiſtoricae, Sectio Secunda.*

*V. Primordia urbis Romae et Rom. Virt. Ill.*

Num. 190. *Sarda. Lipſiae.* Martis antrum, intra quod lupa Romulum et Remum lactans recubat; ad antri oram utrinque Fauſtulus et alius paſtor adſtat. Monti, in quo antrum exciſum eſt, arbor impoſita, ad quam duae capellae hinc inde proterve aſſultant.

Num. 212. *Achates. Iugurtha* vinctus ad Sullam adductus.

Num. 229. *Achatonyx. Soſii* M. Antonii in exercitu praefecti caput.

Num.

Num. 235. *Sarda.* M. Iunii Bruti caput, enſe appoſito, quo Caeſarem interfecerat.

Num. 245. *Sarda.* L. B. a *Stoſch.* Lepidi IIIviri caput.

### *VI. Impp. Rom. Auguſtarumque Imagines, cetera rei Romanae.*

Num. 272. *Sarda.* In Galliis usquam. *C. Iulii Caeſaris* caput laureatum.

Num. 282. *Sarda.* Liviae caput velatum in Cereris ſpeciem, ſerto ſpiceo ornata coma.

Num. 291. *Sarda. Druſi Tiberii* fratris caput.

Num. 310. *Achatonyx. Caeſoniae* caput, *Caii uxoris.*

Num. 333. *Carbunc. amethyſt.* vel *Granatus, Comitis O Donell. Flaviae Domitillae,* Veſpaſiani uxoris, caput. Praeclari et inſoliti artificii opus. Caput parva area incluſum, in carbunculo amethyſtizante expreſſum, quem margo ex albeſcente onyche, multis quaſi in ſe redeuntibus annulis ambit, tanta quidem artis ſubtilitate, ut dicere non poſſis, quo vinculo, aut qua compage, iſtae ſibi invicem gemmae tam amice iunctae ſint, ut eadem plane gemma eſſe videatur.

Num. 370. *Hyacinthus. Antinoi, Adriani* deliciarum, caput.

Num. 377. *Achatonyx.* Eiusdem imago pectore tenus: praeſtantiſſimum et ſuperbum opus, magna in gemma.

Num. 392. *Sarda, M. Aurelii* et *L. Veri* adverſae ſibi imagines; fragmentum operis praeclari.

Num. 398. *Sarda. L. Veri* Caeſaris caput.

Num. 409. *Achatonyx. P. Heloii Pertinacis* imago, eximii operis, margine cincta. Imaginem ipſam, interiore orbe, ſerpens caudam morſu premens ambit. Ad marginem Siglae: H. I. V. H. I. Ç. I. O. Λ̄. N.

Num. 430. *Sardonyx* in penu ill. a *Zboinsky. Antonini Caracallae,* imberbis admodum adoleſcentuli, et *Iuliae Domnae,* matris eius, peplo velatae, adverſis invicem vultibus, imagines.

*VII. Res*

*VII. Res militares aliique ritus Rom. monſtra et Mytholog. reſidua.*

Num. 462. *Achates.* In *Galliis uſquam.* *Praelii conflictus*, cuius fortunam Mars e coelo deſcendens temperat. Grande et magnificum, ſed recentis artificii opus.

Num. 467. *Sarda.* Miles tropaeum ſtatuens; a tergo in columella ſignum virtutis, corollam Victori imponentis.

Num. 470. *Carchedon.* In *Galliis uſquam.* *Iudaea capta* ad numi formulam expreſſa.

Num. 472. *Paſta antiqua,* L. B. a *Stoſch.* *Agitator* currus duodenis equis iuncti, dextra coronam elevans, et a Victoriae ſigno coronatus, cum litteris nonnullis, quarum has tantum cognoſcere licet: ITEI. Quid ſi Neronem exhiberi dixeris? v. Sueton.

Num. 481. *Sarda.* *Fabrorum* par, clypeo procudendo inſudantium; opere antiquo.

Num. 496. *Amethyſtus, Principis a Waldek.* *Ficoroni Maſchere ſcen. t. 37.* Hiſtrio ſedens. Syrus ſervus eſt e Terent. Heautontim.

Num. 556. *Sarda,* in Dactyliotheca *Moehſeni, D. Berolin.* Capricornus in globo cum Cornu Copiae inter duas ſtellas; infra duo Delphini. Signum natalitium Auguſti.

Num. 584. *Sardonyx,* L. B. a *Stoſch.* Vacca lactentem vitulum ſublingens, qualis in Dyrrachinorum numis reperitur.

Num. 589. *Achates:* caput aſini dependente nola, inter aures appoſito papavere, naſo inſidente ave; infra, ſpicae ariſta.

Num. 597. *Plaſma.* Inſoliti et infrequentis argumenti gemma. Inſidet avis arbori, cuius trunco ſinuoſis voluminibus magnus ſerpens ſeſe implicat, aſſibilans aquilae ſubter arbore leporem diſcerpenti.

Num. 609. Fidei ſignum: dextrae binae iunctae, ſubter libra aequa lance temperata, cum litt. PAULINUS FELIX.

RE-

## RECUEIL D'ANTIQUITES TROUVEES A Avenches, à Culm, et en d'autres lieux de la Suiſſe, etc.

h. e.

## *COLLECTIO ANTIQUORUM MONUMENtorum Aventici, Culmii, et aliis Helvetiae locis repertorum, Auctore SCHMIDIO.*

Bernae, 1760. Sumtibus Societat. Litterariae, plagg. 16. Tab. aen. 35. in 4. Typis Abrahami Wagneri.

Novum ſibi decus Monumentis his praeſtantiſſimis, in Helvetia repertis, iisdemque eleganter doctèque explicatis, comparat Cel. *Schmidius*, rerum antiquarum peritia non tantum ſingulari inſtructus, ſed etiam admirabili easdem cum orbe erudito communicandi cupiditate flagrans. Proponit initio priſca, quae Aventicum (Avenches) continet, documenta, et poſtquam ſitum urbis huius, ſeptimo lapide ab urbe Berna remotae, eiusquè nomen Germanicum, Wiſliſpurg, declaravit, Auctores veteres, eius qui mentionem fecerunt clariſſimam, memorat. Tacitus certe p. 3.
Aventicum gentis caput appellat, quantumque a Caecina, duce Vitellii, perpeſſum fuerit, exponit; ſed eloquentiam tamen, bonosque mores, incolas a fatali interitu revocaſſe, teſtatur. Ammianus Marcellinus, Antonini Itinerarium, Tabula Peutingeriana, et Notitia Imperii, pari modo Aventicum appellant. Veſpaſianus autem plurimis maximisque locum 7.
beneficiis ornavit, ac Titus inſtauravit denuo Galilaeamque dixit, propterea quod haec, ſicut Aventicum, lacui eſſet propinqua. Itaque et marmora complura ibi effoſſa Veſpaſiani memoriam celebrant, et urbem Coloniae Helvetiorum 9. 10.
nomine inſignitam tradunt, id quod copioſe ab Auctore pertractatur. Quanquam vero numi, in quibus Colonia Iulia Aventicorum legitur, a Pellerino, aliisque, nulla adhuc in Gaza deprehenſi exiſtimentur; tamen neque hos omnia ſane Muſea perreptaſſe, neque Golzium et Valeſium erroris accuſan- 11.

cuſandos cenſemus, omnium minime priorem, optima numiſmatum, ut conſtat, notitia imbutum. Vocabatur praeterea Colonia foederata, non tam quod Helvetiis reliquis, quam quod Romanis arctiſſimo eſſet foedere adſtricta. Agnoſcitur ex lapidibus antiquis Dea quoque Aventia, ſine dubio
p. 17. urbs ipſa, ſingulari honore culta perinde ac Roma, opinante Schmidio. Alio in marmore ſatis corrupto fiducia commiſſa ab Auctore legitur, et quantum huic cum contractu fidei conveniat explicatur, memorata ſimul controverſia, quae inter Cuiacium et Gothofredum Noodtium et Schultingium interceſſit. Tum ad ipſam urbem propius ac-
21. cedit, eamque magnam olim et 6000 pedes complexam, longe autem praeſenti aetate minorem, docet; permultos tamen vehementer laetatur quotidie fere numos antiquos, ab Auguſti inde memoria, usque ad Conſtantinorum tempora, Sculpturas, opera Muſiva, Vaſa, et ſupellectilem variam in lucem revocari. Prope arcem reliquiae adhuc ſplendidiſſimi Amphitheatri conſpiciuntur, columna praeterea admodum excelſa, cuius autem inſcriptio longinquitate temporum eſt conſumpta. Pavimenta vero operis Muſivi admirationem omnium merentur, copioſius ibi recen-
21-27. ſita, ex quibus illud unum omnium maxime excellit, cui iam illuſtrando animum appellit. Latuit quidem usque ad a. 1751 terra obrutum, donec felici quodam omine liberatum e carcere, iam a Schmidio noſtro optimo in lumine collocatur, adiectis ſimul, in quibus omnes huius operis partes ſingulae expreſſae ſunt, tabulis aeneis. Patet pavimentum pedes 55. in longitudinem, et 36. in latitudinem, diſtinguitur in tres haud exiguas Sectiones, quarum quaeque decoribus pulcherrimis ornamentisque abundat. Ediderunt multa de his antiquitatis priſcae pignoribus Bellori, Bartoli, Spon, et Ciampini; praecipue tamen pater
28. purpuratus Furietti ab auctore laudibus effertur, qui Muſiva, Lithoſtrata, Vermiculata, Teſſellata, Sectilia, Segmentata, Spicata, alia, explicuerit praeclare, etſi originem

nem hanc artem a Perſis ducere nequaquam veritati conſentaneum videtur. Tabula igitur prima integrum hoc opus ante oculos collocatur, quod in ſequentibus ſigillatim proponitur, et adiuncto commentario ingenioſiſſimo illuſtratur. Tab. II. pelvis marmorea et alba in medio hoc Muſivo conſpicitur, quam ob altitudinem et magnitudinem ſatis tenuem recte labrum cenſet Schmidius; ſed duo potiſſimum Delphines etiam in medio commemorabilem red- p. 29.
dunt. Cum Bacchus et Ariadne hoc monumento ſiſtantur, eiusque amores concelebrati ſaltationibus aliorum deſignentur, non mirandum profecto eſt, Delphinas hic conſpici, in quorum formas Bacchus fertur nautas commutaſſe, ſeſe 31.
in inſulam Naxon transportaturus. Tab. III. planta eſt, quam ſe ignorare fatetur Auctor: Aloën tamen fortaſſe agnoſceret, niſi unum modo ipſius genus, foliis nempe ſerratis, priſcis perſpectum gentibus fuiſſe arbitraretur. Nobis tamen Plinium legentibus multae ſane ſpecies huius plan- 32.
tae, ex India, Aſia, et Iudaea aſportatae occurrunt, quas certe diverſas inter ſe ac diſcrepantes fuiſſe exiſtimamus. Quid ſi Lotus ſit, in numis Aegyptiorum deorum haud infrequens, eamque ſimilitudine aequiparans, nec in Aegypto ſolum, ſed Italia etiam, teſte Plinio, celebris, ex qua a Romanis facile in Helvetiam notitia ipſius potuit pervenire. Tab. IV. Ariadne dormit, cuius velum nonnihil levat ſocius Bacchi remotius paulo ſtantis, adiuncto Satyro, pulchritudinem Ariadnes admirante. Sed quod in primis ad memoriam inſigne eſt, caput Bacchi Nimbo quodam 33.
circumdatum ſpectatur; quod rarum putat Schmidius V. Cl. honoris divini indicium, nec facile in monumentis antiquis, niſi Traiani, Conſtantini, et Antonini Pii numis reperiundum. Iam cum ſub Traiano, Hadriano, et Antonino, magna Aventicum amplitudinis ſuae ceperit incrementa, horum ſane temporibus hanc effigiem expreſſam Auctor cenſet. Enumerat poſt Muſea varia, quibus hi Bacchi et Ariadnes amores, vel picturis, vel lapidibus fuerint ele- 36.

gantiſſime effecti; in quibus Muſeum Dreſdenſe ſilentio
praetermiſſum fuiſſe haud parum miramur. Tab. V. co-
mes Bacchi complexans alte ſublatam virginem ſiſtitur,
p. 37. ex eiusque feminae ornatu, quo caput cingitur, quique
in numis Plotinae, Matidiae, et Sabinae occurrit, ipſa aetas
huius monumenti indicatur. Aliam tamen ſpeciem hic
titulus aere antiquo expreſſus praebere videtur, ab hac
ſculptura maxime diverſam. Tab. VI. et VII. Cymbala
ſpectantur, Cybeli et Baccho ſacrata, et flagrum, quo ne-
40. ſcit Auctor utrum pulſaverit Cymbalum bacchans; an
ebrietate furens alium inconditum ediderit ſonitum. Pu-
tamus autem, cum Bacchi ſocii, virgis et flagellis arma-
ti, occurrentes ſibi feminas, in primis uxores, cecidiſſe
memorentur, ad hanc potiſſimum audaciam reſpici, imo
vel ipſum hunc hominem, furore incenſum, cymbala mox
manu, mox flagro percuſſiſſe. Tab. VIII. Bacchans altera
manu ſinum undantis veſtis tollit, altera cornu, poculum
ſine dubio, tenet; qua occaſione oblata, de poculis vete-
41. rum corneis erudite Schmidius exponit. Tab. IX. alia
Bacchans thyrſum manu rotat, alia tympanum tenet, ex
ſententia Auctoris; noſtra autem opinione Siſtrum, ut do-
ctiſſimus Bacchinus ante oculos collocavit. Tab. X. ite-
rum ſacerdos Bacchi repraeſentatur, et ſimile quid gladii,
vel potius, ſicut haud inepte iudicat Editor, baculum in-
curvatum tenet, quo inprimis telo et inſtrumento auda-
ciae ſuae maximopere exultabant. Inſequentes Tabulae
XI — XIII. varias pavimenti huius partes, tribus, qua-
tuor, et octo angulis inſtructas, proponunt. Tab. XVII.
et XVIII. duo ſunt trunci corporum humanorum, quae
Apollini et Baccho tribuit Schmidius, ſed eadem nos at-
que ante obſcuritate relinquit. Tab. XIX. manus te-
nerrima Bacchae, vas quoddam apprehendentis, ſpectatur,
eoque modo Bacchum in primis Aventici divino eſſe cul-
tum honore colligitur. Neque tamen in ſententiam
Auctoris doctiſſimi diſcedere unquam poterimus, auda-

cter,

ctor, ut ipſe ait conijcientis, (s'il eſt permis de hazar- p. 49.
der quelque conjecture,) fragmentum hoc eſſe ſtatuae ſe-
pulchralis, more Romanorum et Hetruſcorum effictae,
quarum in manus vaſa dederint, ut victus mortuorum et
in alio orbe habitantium indicarent. Cum enim in hoc
integro pavimento amori potiſſimum, et, ſine quo friget,
vino inſerviatur, harum autem voluptatum fruitio mortis
certo memoriam longiſſime removeat, Bacchantem po-
tius vas vini, ex quo recreare ſeſe in hoc non in altero
orbe voluerit, declarare cenſemus. Tab. XIV. XV. XVI.
et XIX. 1. 2. 3. picturas pulcherrimas vividis adhuc co-
loribus, quod genus Itali Freſco dicunt, continent; 46.
quas ſane paulo diſtinctius explicatas eſſe optaremus.
Tab. XX. Labrum extat pulcherrimum, quale et Maffei
et Montfaucon protulerunt. Tab. XXI. Cymbia nonnul-
la apparent, quorum plurima coccinea fuiſſe Auctor per-
hibet, ſibique perſuadet, olea, quibus diſcedentes e bal-
neo ſe ungerent, iisdem comprehenſa fuiſſe. Nec ſane 52.
ſe decepit idem, inventa in imo cuiusdam horum vaſo-
rum materia quadam reſinoſa, et graviſſimi odoris. Tab.
XXII. Lampades ſunt, et n. 2. Strigilis, quo in bal-
neis potiſſimum utebantur, docte ab Hieronymo Mercu-
riali explicatus. Tab. XXIII. num. 1. ſiſtit fibulam, num.
2. thecam, variae illam ſupellectili imponendae idoneam
(Etuis:) num. 3. acum crinalem: num. 4. candelabri
partem inferiorem, ex marmore albo, qualis quidem ge-
neris candelabra antiquiores habuiſſe fidem ipſi Auctori 56.
haberemus, niſi id etiam Varronis, Ciceronis, et Martia-
lis teſtimoniis comprobaſſet. Tab. XXIV. Stilos veterum
proponit, vel cochlearia, etſi his omnino, ob latitudinem
ſummam et cavitatem, quae deſideratur in ſtilis, ſimilio-
res figurae videantur, maxime ſi ſtilus a Montefalconio Pa-
laeographiae ſuae inſertus conſideretur. Tab. XXV.
opus Muſivum perſpectivam artem declarat, et quasdam

Zodiaci partes repraeſentat. Adiiciuntur poſtremo nonnulla ex literis Hagenbuchii ad Auctorem de Colonia Iulia Avanticorum, quibus Golzii fides in dubium vocatur, et numi, qui eam inſcriptionem contineant, ab eodem ficti perhibentur. Accedunt excerpta ex literis Breitingeri ad Schmidium, de operibus Moſaicis, et ex Collegae noſtri, Erneſtii V. Cl. ad Suetonium obſervationibus, de eodem argumento, quibus reſponſio Breitingeri ad easdem adhuc inedita adiungitur.

p. 77. Iam ad antiquitates Culmenſes tranſitus fit. Situm eſt hoc praedium in pago Bernenſi, valle perquam fertili et amoena, in praefectura Lentzbourg. A. 1756. nonnullae picturae, marmora, et vaſa inventa ſunt; cumque maiori indagaretur ſtudio, Baro illuſtris de Haller antiquum aedificium detexit, ſed ipſe deinceps Auctor eruditiſſimus huic negotio praefectus, quae hic ſubiecit oculis, e ruinis feliciter protraxit, ac luce publica donavit. Gratularemur Helvetiae tam doctum tamque ſolertem civem, niſi ereptum ei hoc ornamentum doleremus, et, Galliae cur nunc gratulemur, haberemus. Tab. I. proſpectum agri, in quo antiqua haec monumenta reperta fuerunt, nobis proponit A. et rudera varia, quibus adhuc opera impenditur eruendis. Tab. II. moenia aedificii veteris collapſa declarat, pavimenta praeterea picta marmore orna-
80. ta, et Muſivis decorata. Enumerat Auctor partes omnes huius domus, quibus nos repetendis ſingulis haud poſſumus immorari. In primis picturas pavimenti, quae vividum adhuc colorem ſervant, elegantiſſime deſcribit. Tab. V. varia habet inſtrumenta, ut ſcalprum fabrile; ignotum quiddam, utri ſimile, quod Auctor nobiſcum ignorat; praeterea claves, et ſicam, et baculum. Tab. VI. imaguncula aenea eſt incerta, ſtilus, ut Auctori videtur, aeneus, tum vero n. 3. non fibula, ſed aliud quiddam, candelabrum fortaſſe, oper-

operculum vaſis, inſtrumentum vetus, cuius uſus ignoratur, duo clavi. Tab. VII. antiqua iterum vaſa occurrunt. Tab. VIII. lateres nonnulli ſignati veſtigiis canum et porcorum, eumque characterem fabricae, in qua elaborati fuerint, Schmidius arbitratur. Alii lateres inſcripti nomine Legionis XI. et XXI, certiſſimo indicio, verſatos ibi quondam fuiſſe milites Romanos, eumque morem ſecum ex Ita- p. 91.
lia in Helvetiam tuliſſe. Varia hic et notatu digna de his legionibus Auctor propoſuit. Numos praeterea, ab Auguſto usque ad Magnum Maximum cuſos, et Culmii re- 98.
pertos, memorat, ex iisque omnibus colligit, ducem fortaſſe Romanum eo in loco domicilium quoddam collocaſſe, quod Marmora, Muſiva, picturae, primi ordinis prodant ſeſſorem, et elegantiae ſtudioſum. Colligit idem ex univerſa huius aedificii ſtructura, recentius illud eſſe 100.
Neronis temporibus; cumque omnia nigra fumoque obſcurata invenerit, Barbaros ſine dubio hoc ſplendidum domicilium flamma deleviſſe. Obſervat porro, eodem modo totum illum pagum, a Culmio usque ad Goundiſchwyl et Zetzwyl, antiquis eſſe refertum monumentis, ideoque forte praeſentem aediculam urbis cuiusdam partem fuiſſe, id quod ruſticorum etiam confirmare ſtudet teſtimonio, urbem ibi quondam Hagenau extitiſſe dictitantium; cui quidem indicio num tantum Auctor doctiſſimus poſſit tribuere, neſcimus. Certe tamen Ganodurum Ptolemaei hoc loco conſtituit Schmidius, et adhuc forum Tiberii, 101 ſq.
ab eodem huic coniunctum, reperiri poſſe cenſet, ſi omnis opera adhibeatur; ſententiamque ſuam gradibus longitudinis et latitudinis valde reddit probabilem. Quod- 108.
ſi nomina non adeo inter ſe differrent, nos facile ſibi conſentientes haberet. Quis enim urbem Gundiſchwyl vocis Ganodurum veſtigia retinere putet? aut quis in Hagenau idem Ganodurum requirat? Poſtremo de 110.
antiquo nomine Culm exponit, et a Columbis illud derivat,

rivat,

rivat, nummis innixus et Diplomatibus, quibus Columbare appelletur. Tab. IX. prope urbem Attiswyl ruinas veteris aedificii erutas declarat, Muſivum opus admirabile continentes. Poſtremo ad Tab. X. inſcriptiones nonnullas affert, iisque commentario huic doctiſſimo finem optatiſſimum imponit.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris Anno MDCCLXII.*


---

EFTERRETNING OG ERFARING OM
Svampe, i ſaer Roerſvampens velſmagende
Pilſe, med Kaaber, etc.

i. e.

*RELATIO EXPERIMENTIS STABILITA,*
*de Fungis, et in ſpecie de Boleto bovino optimi ſa-*
*poris: cum tabulis aeneis coloratis,*

Hafniae, ex officina Nicolai Mülleri, plagg. 9. in 4. mai.

Primum *generalia fungorum tractat Auctor*, rerum naturalium ſcientia, aeque ac omnis doctrinae laude, clarus. In Prolegomenis commoda permagna atque inſignia oſtenduntur, quibus gaudet noſtra aetas in phyſicis prae antiquiſſimis temporibus. Habemus microſcopia, quorum tam fortuita origo eſt. Quot illis indagationes debemus? Quem non inde hauſit aſtronomia uſum? quem non hodie botanica? ubi etiam nuptias oſtenderunt plantarum. Lenta progreſſione in aeterna regione veritatum erramus, donec tandem ad illarum ſedem pervenire nobis liceat. Hoc ſatis docuerunt matheſis, medicina, aliaeque diſciplinae plures. Non ſufficit, microſcopia ſenſibus noſtris nova offerre corpora et obiecta: ratiociniis noſtris maxima inde utilitas accedat neceſſe eſt. Praeiudiciis non amplius obtemperandum eſt, aliae multo digniores de creatore, de

fratribus concivibusque noſtris in regnis naturae, nobis acquirendae ſunt ideae. Inſecta quaecunque, et vermes, non iam id ſunt, quod olim atque diu putabantur; habent ſuos fines, et in eadem nobiſcum poſita ſunt ſerie creaturarum, nec magis fortuitam habent originem. Sat diu de quorundam corporum origine ex putrefactione ſomniavimus. Plantarum quaedam eandem habuerunt ſortem. Fungi in genere ſatis diu ambiguam iſtam habuerunt originem. Microſcopiorum ope, priſtinum, quo iniuſte deturbati fuerant, locum recuperant, veraque redduntur et omni attentione digna membra regni vegetabilis. Veteribus eſt ignoſcendum, qui inſtrumentis deſtituti, pravis de quorundam corporum origine adhaeſerunt opinionibus; ſed quid de noviſſimis Societatibus eruditorum dicemus, quae oppugnatam ſatis hanc renovare cupiunt ſententiam? *) Cauſas falſae huius opinionis in ſequentibus ponit Auctor:

I.) Locus, qui eſt in ſilvis locisque praecluſis, quodque raro immediate ex terra oriuntur, ſed quamplurimi peregrinis inſident corporibus, quae illos nutriunt; quid facilius nunc iſto: *unius deſtructio generatio alterius.* Limitatione vero huius axiomatis videmus, ſuos cuilibet creaturae deſignatos eſſe locos, ſapientiamque Creatoris, qui his corporibus, facultate ſeſe movendi carentibus, tot dedit ſemina, ut eorum centum poſſint perdi, ſine interitu totius.

II.) Tempus autumnale, quo incidunt, huic favere videbatur opinioni; breve etiam temporis ſpatium, cum una nocte proveniunt poſt pluviam magnam, longo iſto tempore, quo in terra iam creverant, neglecto.

Quod ad locum attinet, videmus, has plantas vacuum iſtud in ſilvis, ubi ſub ramoſis arboribus propter abſentiam ſolis nullae aliae creſcunt herbae, implere. Quae priori obſervamus anno, ſequenti iterum tenent loca. Humiditas certa atque calor illis eſt neceſſarius. Haec illis ſuppeditant

*) Collection academique des plus rares pieçes fugitives, concernant l'hiſtoire naturelle, miſe en ordre par une Societé de Lettres, Dijon. 1760.

ditant loca iſta tempore autumnali in fermentatione poſita, Quaelibet anni pars medicinas ſuppeditat hominibus, autumno excepto, cum tanquam mortuum videtur regnum vegetabile. En fungos, qui huic remedentur defectui! Semen, quod fugit ſenſum, veteres aeque ac recentiores naturaliſtas dubio haerentes reddidit. Porphyrium et Plinium Auctor excitat. Notabile tamen eſt, veterum etiam alios eſſe, qui crediderunt, fungos ſua habere ſemina. *Athenaeus* certe credidit, ſemina fungorum in litore Mitylenaeo inventorum vi imbrium illuc eſſe delata. Recentiorum quorundam etiam ſunt, qui de hoc dubitant: *Schrökius* nimirum, *Malpighius*, *Rajus*, *Morigon*, *Kircherus*, *Dillenius*, et alii.

Maxime miratur Dillenium iſtum magnum, Auctor, qui de muſcis tam bene meritus eſt, huic obnoxium eſſe praeiudicio. Eſſe fungos, concedit Auctor, qui ſecundum Dillenium ſuccum continent fluidum: ſed hic ipſe ſuccus veri ſeminis eſt involucrum et nutrimentum. Nullius ponderis eſt ſententia Malpighii, qui etiam ſuccum fingit, ope aeris, in caulem et pileum converti. Unicuique, etiam non armatis indaganti oculis, ſemen patet: cum fungus, patente pileo, chartae imponitur, poſt aliquot horas tota inferior pars pilei pulvere quodam ſubtiliſſimo perſperſa reperitur; hunc verum eſſe ſemen, tam cura iſta qua illa conſervavit natura, quam experientia de eius propagatione ſumta, docet. Et ut in moralibus, ſic etiam in phyſicis, bono nomini magna ineſt vis. Huius minus apta derivatio fungis multorum attulit odium. Iniuſte a multis fungus a *funere* deducitur, iudicio Voſſii. Graeca, quibus inſignitur, nomina monſtrant, fungum apud Graecos in uſu fuiſſe. Veriſimilius igitur a σπόγγος deducitur fungi vocabulum. Tantum aberat, ut illum abhorrerent Romani, ut potius inſatiabili eius traherentur cupidine, teſtante Plinio et aliis. Abuſus, imprudentia, et non ſatis facta indagatio, diu illos ſuſpectos reddiderunt: eſt enim fungorum eadem, quae aliarum plantarum,

ratio, quae pro ſubiecti qualitate, vel fruitionis quantitate, vel ſanae vel noxiae eſſe poſſunt. Aegro dicit ſe Auctor animo ſaepius vidiſſe, Boerhavium magnum citari, ut accuſatorem fungi cuiusdam, qui ſolo odore hominibus mortem afferat. Cur non indicantur tales? Nonne tantus dignus eſt hoſtis, qui atro notetur carbone? fruſtra nomen, characteres, in Scriptoribus quaeſivit Auctor. Laudandus, qui noxias notas reddit plantas; oblivioni tradendus, qui ob unicam noxiam ab innoxiarum uſu nos deterret.

Haec praeiudicia in cauſa ſunt, cur in praeſtantiſſimis Floris nihil vel parum admodum his de herbis reperiatur. Magnus ille *Linnaeus*, in excurſionibus Upſalicis, harum duas ſolum notavit. Habemus quidem fungos, a *Vaillantio* circa Pariſios, *Micheli* circa Florentiam, *Batarra* circa Riminum, *Hallero* et *Gleditſchio* in Helvetia, *Linnaeo* in Suecia creſcentes, annotatos; ſed aliis occupati, neceſſariam his non potuerunt impendere curam.

Afferuntur dein fungi quidam in patria A. Dania quoque creſcentes, quorum uſus notior eſt:

*Agaricus campeſtris Linnaei* ſcilicet, (vulgo Champignon,) ab Halis Pradelli, Norvagi. Sop, et Danis Paddehat. Refert Bartholinus celeberrimus, effectum noxium huius fungi in nobili quodam Hafniae; ſed monſtrat Auctor, hunc tribuendum eſſe alii fungo venenoſo, huic perſimili, a creatore tamen ſatis notato, cum huius folia plane alba ſunt, innoxii rubra.

*Agaricus integer Linn.*

*Agaricus muſcarum*, ad muſcas cimicesque necandos inſervit. Refert Löſelius, ſex Lithuanos, qui illum comederant, inde periiſſe. Schefferus contrarium urget; ſed diverſas eſſe ſpecies credit Auctor.

*Lycops Boviſta Linn.* per totos diſperſus eſt campos. Vis ſanguinem ſedandi maximo illorum tribuitur.

*Lycops Tuber Linn.* in terra arenoſa creſcit. De huius origine abſurdiſſimae Botaniſtis fuerunt opiniones. Pulvis pictoribus ſubrubrum reddit colorem.

*Trem.*

*Trem. Auricula Linn.* in aqua roſarum delinitus urentibus imponitur oculis.

*Boletus Suaveolens*, propter ſuavem odorem Finnis amoroſis inſervit, ut ſexui ſequiori placeant.

*Boletus Fomentarius*, cuius uſus ad fomenta incenſoria diu fuit notus. Sellulas ex eo conficiunt carbonarii Ucraniae. Refert Gleditſchius, totam ex eo confectam habuiſſe veſtem. Duodecim abhinc annis uſum praeſtantiſſimum eius indicavit *Boſſardius* *), regio eapropter a rege donatus praemio. Sed ante illum etiam *Garidel* eius uſus mentionem fecit. Arteriae reſciſſae impoſitus prorumpentem ſedat ſanguinem; quem etiam uſum praeſtant quercui inſidentes fungi. Eius praeparatio hunc in finem ſimplex eſt: cortex exterior dura abſcinditur, donec ſpongioſa occurrat ſubſtantia, quae digitis prementibus cedit, deinde abſcinditur etiam inferior tuboloſa pars fungi; reliqua malleo contunditur pars, donec digitis illam ſeparare liceat, et ſic conſervatur, dum illa opus ſit.

*Fungus Glutinoſus* ab Auctore detectus, et in actis Holmienſibus deſcriptus, glutinis loco inſervire dicitur.

Plures adhuc, qui ignoti comeduntur, omiſit Auctor, ſolum eius mentione facta, qui ab Italis *Pecten Gallinum* vocatur.

Ex his patet, negligentiam, incautumque iudicium, in noſtra phyſico-oeconomica aetate non eſſe ignoſcendum. Et ſi cogitemus, quod ex plus quam decem mille ſpeciebus plantarum vix quingentae hominibus uſui ſint, et ex plus quam treeentis fungorum ſpeciebus, quae in ſpatio mille pedum quadratorum habitant, vix tres Danis notae ſint: apparet, quantum et in tota Botanica, et in regno fungorum, adhuc ſerae reſtet poſteritati.

### *Membrum ſecundum de Fungis tubulatis.*

Recentioris Seculi Naturaliſtae, fungos in claſſes, genera, et ſpecies diviſerunt. Veteres, ex utilitate iudicantes, expe-

 rientia

*) dans l'hiſtoire des Plantes dans la Provence.

rientia et veritate neglecta, fungos in noxios et innoxios dividebant. Secundum Dillenium *), haec diviſio, quamquam minus philoſophica, eſt accipienda de fungis Pileatis et Lamellaribus, ne, qui comedi poſſent fungi, cum venenoſis confunderentur. Sed cum innoxii non ubique et in omnibus regionibus reperiuntur innoxii, nec noxii ubique ſunt noxii, redundans inde et ambigua eſt utilitas. Teſtante Buxbaumio Ruteni fungos comedunt, quos timent Germani, reiiciuntque eos, qui ab his amantur. Res aſſidua ſane digna attentione iis, quibus occaſio ſuppetit.

Fungus ille, cuius deſcriptionem hic adit Auctor, ad Pileatos pertinet, et character eius ſpecificus eſt, ut inferior pars pilei tubulis continuis ſit diſtinctus.

Hos *Boletos* vocat Dillenius, Linnaeus, et Gleditſchius. Ex Romanis ſumtum eſt nomen; ſed longe alium ſub hoc intelligebant fungum. Secundum Plinium illorum Boletus videtur eſſe lamellaris ille, qui apud noſtros *Agarici* nomine non ſatis accurate venit. A Romanis ſpecies haec tubulata *Suillus* vocabatur; unde Italorum *Porcini*. Batarrae denominationes fictas minus probat Auctor.

Linnaei Boletus fungus eſt horizontalis, ſubtus poroſus. Ab huius deſcriptione diſcedit Auctor, cum putat, in characteribus determinandis illos ſemper eſſe eligendos, qui maxime eſſentiales, conſtantes, atque clari ſint. Fungi tam Lamellati, quam Tubulati, pileos habent iam rotundos, iam horizontales, iam inverſos, pro illorum perfectione. Cum termino poroſi connectitur idea pororum parvulorum, quorum plena ſunt corpora pleraque; ſed in fungis tubi occurrunt, qui digiti excedunt longitudinem, qui fracto pileo tibiarum organorum inſtar ſiti ſunt. In quibusdam tubi facile avelluntur, ſine parte carnoſa laedenda; in aliis minime. Hoc Michelio anſam dediſſe videtur, ut ex uno duo faceret genera, *Suillum* nempe et *Polyporum*.

Gle-

*) Cat. Pl. Giſſ. p. 74.

Gleditſch *) et tubulatos, et poroſos, et denticulatos, ſub una ſpecie complectitur, nec multum deeſt quin etiam lamellatos eo referat.

Summa eſt veritas, contra ipſam naturam omnino nihil valere ſyſtemata, eamque omnes ingenio humano ductos limites ſuperare. Hic nullus datur ſaltus; ſed lento illa a genere ad genus, a ſpecie ad ſpeciem procedit gradu. Sunt igitur infallibiles illi atque conſtantes characteres quaerendi, qui impediunt, ne genus cum genere, aut ſpecies cum ſpecie confundatur. Fundamentum, quo Gleditſchius fungum tubuloſum et denticulatum ſub una complectitur ſpecie, hoc eſt, quod Boleti dentur, quorum tubi alii ſint denticulati, alii non aeque, unde colligit, denticulatos non eſſe niſi Boletos degeneres. Si hoc ita ſe haberet, videre liceret, fungos, qui hodie fuerunt denticulati, cras futuros tubuloſos; ſed hoc quotidianis obſervationibus, a primo ortu ad interitum usque, contradicit. Docet experientia, unamquamque ſpeciem, ſuo, eodemque uno quo altero anno loco creſcere. Porro comparata utriusque pilei inferiore parte, quae characterem exhibet ſpecificum, obſervantur differentiae non paucae, quas Auctor infert.

Varietas coloris, odoris, et formae, contingens eſt. Saepe dentes per ſuperficiem pilei prorumpunt, quod in Boletis nunquam eſt obſervatum.

In Syſtemate Linnaei duodecim ſpecies Boletorum reperiuntur: Auctori viginti circiter ſunt cognitae. E terra aliae proveniunt, aliae arboribus inſident. Sunt qui poſtulent, fungos in terra creſcentes eiusdem eſſe ſpeciei ac arboreos. Etiam Linnaeus **) huic favet opinioni, cum dicit, ſe vidiſſe fungum in terra et arbore creſcentem, eiusdem ſpeciei; ſed primo intuitu facile patet, quod toto coelo differant. Hinc notae plus quam decem differentiales ab A. adduntur.

Quis

*) Fung. 9. Aut Agaricum degenerem in Boletum, aut Boletum in Agaricum, id quod aliis per aetatem accidit.

**) in Flor. Lapl.

Quis poteſt exhibere Boletum fomentarium in terra creſcentem, aut magnificum *) in arboribus? non magis eſſet peregrinum Cuſcutam in terra nuda, et in arboribus Siſonem videre. Si fungus terrenus in arboribus invenitur, fit in rimis arboris, interveniente terra, et in illa collecto ſemine.

Qualitates dein afferuntur quaedam, quae ſolis competunt boletis. Nunquam boletus invenitur ex quercu provenire, qui lamellaribus quibusdam eſt eſſentialis, ideoque illorum pilei nunquam tuberculis conditi reperiuntur. Stipes boletorum fiſtuloſorum valde craſſus, et in medio ventriculoſus; in lamellaribus tener et verſus terram craſſior. Pileus in boletis magis craſſus et carnoſus; caro firma, tubi velamento ſeminali deſtituti.

*Membrum tertium de Boletis.*

Boleti a Romanis *Suilli* appellabantur; quam denominationem retinuerunt Michelius et Hallerus: recte. In ſpecie, quem hic deſcribit Auctor, apud Cluſium tertia eſt ſpecies generis decimi ſexti; iuxta Michelium quatuor ſunt ſpecies. Gleditſchius diverſas ſpecies pro varietatibus ſumit, et ex eis duodecim ſub boletis refert, non ſatis accurate. Apud Linnaeum *Bovinus* dicitur.

Boletus unus fungorum paucorum eſt, qui radicibus gaudet. Theophraſtus, Plinius, et Moriſſonus, hoc negant. Diu igitur dubitavit Auctor; ſed laciniae in baſi repertae, et radix iſta evidens, quae ceteris longior eſt, omne removebant dubium. Eſt longitudine duorum digitorum, rubicunda et pellucida. In ſummitate ſtipitis duo extant nodi rubicundi. De uno horum prominet excreſcens quoddam parvum, curvum, albidum. Alteri adhaeret radix rotunda, rubicunda, in terram perpendicularis, in cuius medio nodus vel articulus adhuc exſtat de illo prominente quodam albido curvo. Radices raro in Boleto vel aliis fungis obſer-

*) Suillus fiſtulis rubris, pileo pulvinato, fomentoſo, fuſco, ſtipite craſſo, ventricoſo, rubro. Fung. Fridrichsd.

obſervantur, cum propter fragilitatem magnam facile avelluntur. Praeter has evidentes radices, baſis Boleti materia mucoſa circumdatur; ſed cui uſui haec, non radicis loco ibi eſt, nec Plinii accipimus ſententiam, qui in illa ponit originem plantae. Varietas, quae maxime in colore et forma obſervatur, maximam partem a maturitatis gradu dependet, hincque imperitis, et quidem ipſis Botanicis, imponit. Superficies, ſive membrana ſub terra alba, ſed e terra prominens, fuſca evadit: materia carnoſa conſtans, alba, ſubtilis, ſucculenta, firma, usque ad interitum. Pars inferior fiſtulis compoſita, in principio alba, repleta et compacta, ſine indiciis tubulorum vel pororum, poſtea viride flaveſcens, inaequalis, poroſa. In initio pileus cum ſtipite quam arctiſſime eſt coniunctus, ut unum continuum cum illo facere videatur; poſtea magis magisque ſe ſeparat, et in altum ſe tollit, denique fiſtulas ſurſum vergit, et angulum obtuſum cum ſtipite facit.

Habent ſuas rationes ſufficientes variae hae formae pilei: ſeminis conſervatio, maturitas, et diſperſio, ut in omnibus plantis, ſic etiam hic, finis obiectivus ultimus naturae eſt.

Pileus magna illa eſt capſula millia fiſtularum continens, in quibus praeparatur ſemen arte hominibus ignota. Quod ut contra iniuriam aeris melius conſervetur, in principio dura ſtipite coniungitur pileus, poſt eius dilatationem et ſeparationem a ſtipite, materia ſpumoſa tectae ſunt fiſtulae, per quam nulla aeri eſt via. In fungis lamellaribus, hunc in finem, membranam lanuginoſam ordinavit natura. Hac evaneſcente materia, impraegnatio eſt finita, matureſcit ſemen, vireſcunt tubi, ſeſe aperiunt, longioresque evadunt; et, ut melius pulvis ſeminalis ſpargatur, cum pileo tenduntur. Hoc facto vermibus ſcatet Boletus, mollis evadit; humoribus plenus, valde olens, tandem in pituitam diſſolvitur. Pulvis ſeminalis viridis eſt, et in magna copia fungis excidit. Primus Tournefortius credidit, ſemen ſe in fungis repeniſſe. Vaillant membra genitalia animalium in illis videre ſe exiſtimabat; hinc novum iſtud, et quod tam

arridet, ſyſtema regni vegetabilis: in omnibus plantis iam ſtatim quaeruntur ſtamina, antherae, piſtilli; hinc nuptiae et ſponſalia, nulla ſine fructificatione, nulla ſine impraegnatione feminae a mari, planta.

Michelius dicebat, ſe reperiſſe in Boletis membra quaedam, quae illorum *flores* vocat. In tabulis aeneis haec ſculpebantur; in tabulis videbantur, in natura nuſquam. Soli Gleditſchio hoc contigit; igitur in novis edidit tabulis aeneis, non quod ipſe vidit, ſed quod ante illum depinxerat Michelius: non ſolum confirmabat flores Michelianos, ſed novis illos ornabat etiam nominibus, *Staminum* et *Antherarum;* in quibus ſpeciebus, quo tempore, et per quae media hos videre liceret, fruſtra inſtrui cupiebant Botanici.

Antequam haec Auctori indagatio Gleditſchii innoteſceret, in fructificationem Boleti inprimis inquiſivit Auctor. Methodo magnorum noſtri ſeculi Botanicorum praemunitus, magnam operam dedit, ope microſcopiorum invenire aliquid Staminibus ſimile in fiſtulis; ſed filo in fine nodoſo, quod ſtatim pro ſtamine ſumſit, et nonniſi laſcinium quoddam erat, deceptus, nihil reperit. Brevi poſt incidit in Methodum Fung. Gleditſchii, ubi Antherarum illarumque filorum capillarium mentio fit. Hoc inveſtigationes multiplicavit Auctoris, qui ne veſtigia quidem harum rerum potuit invenire. De viſionibus igitur Michelii et Gleditſchii quam maxime eſt dubitandum, donec ſuas probaverint traditiones. Vult oculis videre Naturaliſta, non credere.

Quod pulvis ſeminalis fungi foecundum ſemen ſit, extra omne dubium eſt unicuique, qui has tractat plantas. Proprio experimento probavit Auctor; in extenſo loco unicum Boletum habuit, qui ad ſuam maturitatem ibi ſtetit, ut ſemen ſpargere poſſet, et ſequenti anno magna ibi exſtabat multitudo Boletorum; fruſtra in aliis locis, omnibus remotis Boletis, ſequenti anno ibi quaerebantur.

In ſilvis magnis inveniuntur ſub foliis faginis decrepitis, in pratis numquam. In menſe Iulio, Auguſto, Septembri, interdum etiam Octobri, poſt pluviam inſequenti calore

lore erumpunt. Haec viciſſitudo variis eius denominationibus anſam dedit. Tempus illorum incrementi non licuit determinare: nam facta experimenta minus proſperum ſemper habuerunt ſucceſſum.

Solitarii, ſed etiam plures ſimul creſcunt, prout ſparſum eſt ſemen, aptamque habuit matrem; interdum ſtipitibus cohaerentibus duo dantur.

Idoneum maxime tempus fungos avellendi et colligendi, eſt cum pileus adhuc ſubtus colore albide fuſco eſt.

Nec ulli videntur pori et tubi, nam ſic pura firmaque adhuc gaudet carne, tubulis vireſcentibus et apertis, ſpongioſi, aquoſi, mollesque evadunt, et vermibus replentur.

Suos cum minimis maxima habent fines in regnis naturae; hominis eſt illos quaerere, et in uſum vertere. Longo tempore Boleti loci natales, nutrimenta, et domicilia fuerunt inſectorum; ponunt ibi ova muſcae, et carnem tubosque comedunt. Scarabaeus ſtercorarius Linnaei aſſidue in illis habitat, ſtipitemque cavat; carnem et ova muſcarum ibi reperta comedit: ſaepe laeti putamus pulcherrimum evellere Boletum, et non eſt niſi excavatus ſtipes ſcarabaeis refertus.

*Limaces* ſunt, qui maxime fungos vorant, illosque e terra prominentes ſtatim aggrediunrur, et eum cute carnem comedunt. Horum quatuor invenit ſpecies Auctor: *Limacem atrum Linnaei, eiusque limacem maximum. Limax albus* et *parvus*, *fuſcus*, minus noti ſunt, nec in ſyſtemate Linnaei occurrunt; quamobrem illos deſcribit Auctor. Limax albus reliquos magnitudine aequat, in totum albus, thorace levi, corpore ſulcato. In labio pedis annulus videtur flavus. Limax parvus digitum unum et dimidium longitudine, thorace ſubfuſco, corpore fuſco, non punctato.

Lacertae parvae vulgares in Boletis etiam interdum occurrunt.

Boletus cervis, vaccis, et ovibus etiam in nutrimentum ſervit; a porcis praeſertim vehementer petitur, unde nomen *Suilli*,

Varium in culinis uſum Boletorum docet Auctor, et rationes quasdam illos praeparandi.

De noxiis ab innoxiis diſcernendis ſub finem traditur. Hi ſtatim ſe ab aliis diſtinguunt variis carnis coloribus. Hic igitur obſerva illud: *nimium ne crede colori.* Tres afferuntur ſpecies, quae minus ſecurae ſunt.

## *G. F. BERMANNI COMMENTATIO DE angulis ſolidis, ad Prop. XXI. Libri XI. Elementorum.* *)

Quae de angulis ſolidis iam dicere animus eſt, ea ſic partiemur, ut primum de formis ſeu ſpeciebus, in quas angulorum ſolidorum genus dividendum eſt, paullo accuratius commentemur; deinde Propoſitionem XXI. Libri XI. Elementorum examinemus, atque exceptionis ab hoc theoremate *Euclideo* faciendae neceſſitatem perſpicue, et ad captum tironum Geometriae accommodata ratione, demonſtremus.

1. Angulum ſolidum ita definimus cum *Euclide*, ut eum dicamus eſſe inclinationem trium pluriumve rectarum, quarum ſingulae binae in diverſis planis ſitae ſint, omnes autem in uno puncto concurrant. Ex qua definitione ſequitur, angulum ſolidum totidem angulis planis contineri, quot rectae ad eum conſtituendum concurrant, et ſingulos horum angulorum cadere in plana diverſa, omnes autem habere verticem communem, illud nempe punctum, quod omnibus iſtis rectis ſit commune. Hic vertex communis ipſius *anguli ſolidi vertex* vocatur.

2. Iam

*) Transſcripta eſt haec Commentatio ex Programmate, quod Auctor occaſione ſolennium quorundam academicorum in Univerſitate Studiorum Vitebergenſi publice propoſuit. In principio huius Programmatis ad hanc commentationem incitatum ſe eſſe ſcribit iis, quae in illuſtris Academiae Scient. Pariſinae Hiſtoria ad A. 1756. de errore in Prop. XXI. Lib. XI. Elem. a V. Cl. *le Sage*, Mathematico ac cive Genevenſi, primum deprehenſo, leguntur.

2. Iam inter angulos planos, qui ſolidum comprehendunt, aut eſt angulus gibbus, hoc eſt, rectis duobus maior, aut nullus talis. Si illud contingat, angulum ſolidum *gibbum;* ſin hoc, *non gibbum* licebit appellare. Anguli ſolidi gibbi exemplum habebimus, ſi nobis fingamus pyramidem, cuius baſis quatuor pluresve angulos planos habeat, inter quos gibbus occurrat; namque ille ad baſin huius pyramidis angulus ſolidus, cuius vertex idem eſt ac vertex anguli plani gibbi, ipſe erit gibbus. Item ſi ſuper plano circuli, ex centro eius excitetur recta, ſive obliqua, ſive normalis plano circuli, et deinde ex circulo eximatur ſector aliquis, ſemicirculo minor; ac per rectam ſublimem et radios circuli, reliquam circuli portionem terminantes, ducta intelligantur plana: haec cum reliqua circuli portione comprehendent angulum ſolidum gibbum. Haec una eſt anguli ſolidi diviſio.

3. Dividi autem porro anguli ſolidi *non gibbi* notio poteſt ex conſideratione poſitionis crurum angulorum planorum, ſolidum comprehendentium, reſpectu verticis communis. Etenim, aut poterit planum per verticem anguli ſolidi ita duci, ut crura angulorum planorum omnia ad eaſdem partes huius plani cadant, aut id non poterit fieri, ſed utcumque planum ducatur per verticem, quaedam crura angulorum planorum ad has, alia ad alteras partes eius plani, vel in ipſum planum cadent. Duae hinc formae anguli ſolidi non gibbi exſiſtunt. Si per verticem anguli ſolidi planum ita duci poſſit, ut omnium angulorum planorum in ſolido crura ad eaſdem plani partes cadant: angulus ſolidus *pyramidalis* apte dici poſſe videtur. Eſt enim talis angulus ſolidus ad verticem omnis pyramidis: quandoquidem planum per verticem pyramidis, baſi eius parallelum, talem ſitum habere neceſſe eſt, ut omnium angulorum planorum in ſolido ad verticem angulo crura ad eaſdem partes huius plani cadant, ad quas eſt baſis. Ac viciſſim, ſi planum per verticem anguli ſolidi non gibbi ſic tranſire poſſit, ut crura angulorum planorum in ſolido cuncta ad eaſdem plani partes

tes cadant: planum quodlibet, ad has eaſdem partes illi plano parallelum, ſingulis his cruribus occurret, ideoque cum planis angulorum pyramidem formabit, in cuius vertice angulus ille ſolidus erit. Hinc contra, ſi per verticem anguli ſolidi non gibbi nullum planum ſic poſſit duci, ut omnia angulorum planorum crura ad eaſdem plani partes extra illud cadant: talem angulum ſolidum *non pyramidalem* vocare, opinor, licebit. Fieri autem poſſe eiusmodi angulum ſolidum, uno alteroque exemplo declarabimus. In plano aliquo verticali per quodvis eius punctum B (fig. 1.) Tab. IV. ductae intelligantur recta verticalis et recta horizontalis; atque in eodem plano ad idem punctum B ponatur angulus A B C, cuius crura B A, B C ſint ſuper horizontali, et ad diverſas verticalis partes. Deinde per rectam illam verticalem ductum intelligatur aliud planum utcunque, et in hoc ad idem punctum B ponatur alius angulus planus D B E, ita, ut ambo eius crura B D, B E ſint ſub horizontali, per punctum B in hoc plano ducenda, ac communis planorum ſectio inter ea crura cadat. Quo pacto, manifeſtum eſt, extiturum angulum ſolidum, quatuor planis angulis A B D, D B C, C B E, et E B A comprehenſum, per cuius verticem B utcunque duxeris planum, nunquam efficias, ut quatuor rectae B A, B D, B C, B E ſimul extra illud et ad eaſdem eius partes cadant. Aliud exemplum anguli ſolidi non pyramidalis habebimus, ſi ex ſex angulis planis, quorum ſinguli ſint aequales 73 gr. 13′ 17″ certa lege componamus ſolidum. Namque ex ſex cruribus horum angulorum tria alterne ſumta cadent in unum idemque planum, reliqua vero tria ad eaſdem huius plani partes; quod ex infra dicendis apparebit: ut ergo hic angulus ſolidus nulla in pyramide angulus ad verticem fieri poſſit.

4. Quibus de formis variis anguli ſolidi expoſitis, veniamus ad alterum caput huius commentationis, et videamus, an, ſecundum theorema *Euclideum*, de omnibus cuiuscunque ſpeciei angulis ſolidis vere dici poſſit, ſummam angulorum planorum, ſolidum angulum terminantium, deficere

ficere a quatuor rectis. Ac primum de *angulis ſolidis gibbis* ſtatim manifeſtum eſt, multos tales ſic fingi poſſe, ut in iis hoc Theorema falſum deprehendatur. Nam ſi ex centro circuli, ex quo ſector, ſemicirculo minor, ablatus ſit, erigamus rectam, plano circuli ad rectos: tres exiſtent anguli plani, ſolidum comprehendentes, quorum duo erunt recti, tertius gibbus, ſeu duobus rectis maior, et quorum proinde ſumma excedet quatuor rectos. Et poterunt ex centro huius ſectoris, ſemicirculo maioris, pro una recta, plures ſic duci ad easdem partes, ut anguli plani, quos hae rectae partim inter ſe, partim cum radiis, ſectorem terminantibus, efficient, ſimul ſumti maiores ſint duobus rectis: quo facto, his angulis planis additus angulus ſectoris gibbus ſummam dabit angulorum, ſolidum gibbum terminantium, maiorem quatuor rectis.

5. Deinde angulorum ſolidorum non gibborum iis, quos *non pyramidales* dicere auſi ſumus, non ſemper hoc eſſe adiunctum, ut ſumma planorum in illis angulorum quatuor rectis ſit minor, facile poterit demonſtrari exemplo talis anguli, quatuor quidem planis angulis comprehenſi, quorum tamen ſumma quatuor rectos excedat dato angulo Q. Cuiusmodi angulus ſic poterit conſtrui. Datus angulus Q dividatur in quatuor partes aequales, quarum ergo quaevis minor erit recto angulo. Singulis his partibus adiiciatur rectus: habebuntur quatuor anguli obtuſi, ſibi invicem aequales. Iam ex duobus horum angulorum et quolibet angulo acuto, conſtruatur angulus ſolidus, per 23. XI. Elementorum. Ex iisdem porro datis conſtruatur alius angulus ſolidus priori aequalis. Iungantur hi duo anguli ſolidi ſic, ut anguli acuti in utroque congruant, et ceteri anguli plani utriusque ſolidi ad diverſas partes plani eius, in quo eſt angulus acutus, cadant. Quo facto, mente removeatur planum, in quo eſt hic angulus acutus: et habebitur unus angulus ſolidus non pyramidalis comprehenſus quatuor planis, qui ſinguli erunt $= R + \frac{1}{4} Q$, et quorum ergo ſumma excedet quatuor rectos dato Q. Nam quia in utro-

vis

vis priorum angulorum ſolidorum plana amborum angulorum obtuſorum ad planum anguli acuti verſus exteriora anguli ſolidi inclinata ſint neceſſe eſt, (quod et per ſe ſatis clarum eſt, et per ea, quae paullo poſt propoſituri ſumus, manifeſto demonſtrabitur): fieri nequit, ut, iunctis eo, quo diximus, modo, illis ſolidis angulis, duo ex angulis iſtis quatuor obtuſis in unum idemque planum cadant, et cum ceteris angulum ſolidum gibbum triangularem forment; ſed ſinguli quatuor obtuſi anguli in diverſa plana cadant, ideoque angulum ſolidum quadrangularem componant, neceſſe erit.

6. Sed dicet fortaſſe aliquis, haec omnia concedi poſſe, ſalvo *Euclideo* theoremate: cum enim *Euclides* contemplationem quinque ſchematum ſeu corporum *Platonicorum* totius ſui operis finem conſtituerit; nec opus ipſi fuiſſe, nec propoſitum, de aliis angulis ſolidis loqui, quam qui his corporibus ineſſe poſſint: quare tam undecimam definitionem Libri XI, quam propoſitiones *Euclideas* omnes, in quibus anguli ſolidi fiat mentio, non niſi de iſtiusmodi angulis ſolidis eſſe accipiendas, excluſa omni angulorum ſolidorum gibborum, et non pyramidalium conſideratione. Quae cum aliqua veri ſpecie dici poſſe largiremur, ſi XXI. propoſitio Libri undecimi *Elementorum* de toto angulorum ſolidorum pyramidalium genere poſſet obtineri. At enim vero ſecus ſe rem habere, mox videbimus. Scilicet, hoc genus angulorum ſolidorum rurſus in duas ſpecies dividi poteſt: cum pyramis, ad cuius verticem aliquis eſt angulus ſolidus, aut nullum in baſi ſua angulum planum gibbum habeat, aut talis talesve anguli in ea baſi inſint. In priori caſu verum eſt theorema *Euclideum*; id quod partim ex ipſius *Euclidis* demonſtratione de angulo ſolido non gibbo, et tribus planis comprehenſo, partim ex *Clavii* et *Tacqueti* demonſtrationibus liquet. Sed quemadmodum hae demonſtrationes non poſſunt ad eiusmodi pyramides extendi, in quarum baſibus anguli plani gibbi occurrunt: ita accidit, ut, licet in nonnullis huiusmodi pyramidum anguli ad vertices ſub theo-

theorema *Euclideum* cadant, dentur tamen permultae, in quarum angulis ad vertices idem theorema fallat. Et hoc eſt, quod nunc demonſtrare aggredimur. Praemittendum autem nobis eſt hoc

*Lemma.*

7. *Ex tribus angulis planis, quorum ſumma minor ſit quatuor rectis, et quorum duo, utlibet ſumti, reliquo ſint maiores, angulum ſolidum non gibbum conſtruere, et ſingulorum planorum ad ſe invicem inclinationem invenire.*

*Solutionem* prioris quidem partis huius problematis iam *Euclides* exhibuit, ſed talem, quae noſtro ſcopo non ſatis convenit; hinc aliam nobis tradendam eſſe intelleximus, per quam ad poſterioris etiam partis ſolutionem facile perveniri poſſet. Sunt vero tres caſus problematis. *Caſus I.* Si anguli dati $\alpha$, $\beta$, $\gamma$ omnes inter ſe inaequales, et vel ſinguli, vel ſaltim duo $\alpha$, $\beta$, acuti ſint: ponantur in quovis plano ad idem punctum *a*, eandemque rectam *ca* (fig. 2.) duo anguli *cak*, *cap*, ipſis $\alpha$, $\beta$ ſigillatim aequales, ſic, ut crus commune *ac* inter reliqua crura *ak*, *ap* cadat. Sumto in recta *c a* quovis puncto *b*, ab *a* diverſo, hoc centro et intervallo *ba* deſcribatur circulus, cuius peripheriae rectae *ak*, *ac*, *ap* occurrant in *d*, *c*, *e* punctis. Sit autem $\alpha$ maior quam $\beta$, et *ad* minor quam *ae*; et iungantur *cd*, *ce*. Deinde in cruribus anguli CAB $= \gamma$, cuius vertex ſit punctum A, (fig. 3.) capiatur AD $= ad$, et AE $= ae$, et ex punctis D, E ducantur, in plano huius anguli, rectis AD, AE perpendiculares, quae ſibi mutuo occurrent in aliquo puncto P. Ex hoc puncto excitetur plano CAB ad rectos recta PV tanta, ut ipſius quadratum aequale ſit exceſſui quadrati rectae *cd* ſupra quadratum rectae PD, ac iungatur VA: habebimus angulum ſolidum comprehenſum tribus angulis planis VAC $= \alpha$, VAB $= \beta$, BAC $= \gamma$. Deſcripto porro ſuper recta *c d* ſemicirculo, aptetur in illo ex puncto *d* chorda *dq* $=$ DP; et in ſemicirculo ſuper recta *ce* deſcripto aptetur ex puncto *e* recta *er* $=$ EP: erit ang. *cdq* $=$ inclinationi planorum angulorum $\alpha$ et $\gamma$, atque ang. *cer* $=$ inclinationi

 plano-

planorum angulorum $\beta$ et $\gamma$ verſus eas partes, ad quas cadit punctum P. Tandem per punctum *c* ducatur rectae *a c* perpendicularis in plano *adc*, quae rectis *ad*, *ac* occurrat in *k*, *p*. In anguli $\gamma$ (fig. 4) cruribus capiantur, inde a vertice *f*, $fg = ap$, et $fh = ak$, et ex centris *g*, *h* radiis *cp*, *ck* deſcribantur circuli ſibi mutuo occurrentes in puncto *i*. Iunctis *hi*, *gi*, erit ang. *hig*, vel (ſi hic ſit obtuſus) ipſi deinceps poſitus, inclinatio planorum angulorum $\alpha$, $\beta$ in ſolido ad ſe invicem. Q. E. F.

Ad quam constructionem *demonſtrandam*, primum oſtendi oportebit, ſemper fore PD minorem quam *cd*, ſive punctum P intra angulum BAC, ſive extra eum, ſive in punctum E cadat. Cadat primum P intra ang. BAC. Iam ſi negas, eſſe PD minorem quam *cd*: iuncta PA non erit minor quam *ac* (47. I. Elem.), neque angulus PAD minor angulo $\alpha$. Et quia PA non minor erit quam *ac*, AE autem ipſi *ae* aequalis, et uterque angulorum PEA, *cea* rectus eſt: PE non erit minor quam *ce*, neque ergo angulus PAE minor eſſe poterit angulo $\beta$. Quare angulus BAC $= \gamma$ non erit minor angulis $\alpha$, $\beta$ ſimul ſumtis; contra hypotheſin. Erit ergo PD minor quam *cd*, ſi P intra ang BAC cadat. Deinde ſi P in E cadat, negesque eſſe, rectam ED ſeu PD minorem ipſa *cd*: neque AE erit minor quam *ac*. Eſt autem $AE = ae$. Ergo in triangulo rectangulo *cea* cathetus *ae* non erit minor hypotenuſa *ac*. Quod eſt abſurdum. Denique ſi P cadat extra angulum BAC (fig. 5. 6.): fiat angulus $ca\varepsilon = \beta$ ad easdem partes rectae *ca*, ad quas eſt ang. *cad*; et occurrat crus eius *a*$\varepsilon$ peripheriae circuli in $\varepsilon$. Iuncta igitur $\varepsilon c$, erit $a\varepsilon = ae = AE$, et $c\varepsilon = ce$, et ang. $c\varepsilon a$ rectus. Quia autem per hypotheſin eſt ang. $\gamma$ maior quam differentia angulorum $\alpha$, $\beta$: erit ang. EAD maior ipſo $\varepsilon ad$. Quare ſi figuram ADEP mente ponamus in planum circuli $a\varepsilon c$, ita, ut recta AD congruat rectae *ad*: cadet quidem recta DP in rectam *dc*, ſed recta AE intra angulum $ca\varepsilon$, et punctum E intra ang. $c\varepsilon a$ cadet, ac proinde recta EP occurret rectae *cd* inter *c* et *d* puncta. Nam

iunga-

iungatur $\varepsilon$E, et producatur: et quia in triangulo iſoſceli E$a\varepsilon$ angulus ad baſin E$\varepsilon$A eſt acutus, angulus vero $c\varepsilon a$ rectus eſt; recta $\varepsilon$E intra angulum $c\varepsilon a$ cadet, et ergo rectam $cd$ ſecabit inter $c$ et $d$ in $n$ puncto. Quia autem angulus externus $n$E$a$ eſt obtuſus, et PE$a$ rectus: recta PE intra angulum $n$E$a$ cadat, et hinc rectam $cd$ inter $n$ et $d$ ſecet, neceſſe eſt. Itaque, cum recta P E rectae $cd$ inter puncta $c$, $d$ occurrat, fore PD minorem ipſa $cd$, palam eſt.

Deinde, eſſe angulum VAD$=\alpha$, et ang. VAE$=\beta$, ſic demonſtrabimus. Iungantur VD, VE. Cum recta VP, plano EAD normalis, faciat angulos ad P rectos: erit quadratum rectae VD aequale quadratis rectarum VP, PD, id eſt, quadrato rectae $cd$ (per conſtr.); et proinde VD$=cd$. Et cum ex puncto V plani VAD in planum BAC demiſſum perpendiculum inſiſtat in puncto P, ex quo in communem horum planorum ſectionem AC perpendicularis ducta eſt PD: erit etiam recta VD rectae AC ad rectos. Quare cum anguli VDA, $cda$ recti ſint, et VD$=cd$, DA$=da$: erit VA$=ca$, et ang. VAD$=cad=\alpha$. Porro cum, ob VP plano EAD, et PE rectae AE normalem (per conſtr.), ſit angulus VEA rectus; angulus autem $cae$ in ſemicirculo etiam rectus ſit, et praeterea VA$=ca$, atque AE$=ae$: erit (47. I. Eucl.) VE$=ce$, et hinc angulus VAE$=cae=\beta$. Quare angulum ſolidum ad A ex tribus datis planis angulis $\alpha$, $\beta$, $\gamma$ conſtructum eſſe patet.

Praeterea planorum VAC, BAC ſe mutuo in recta AC ſecantium inclinationem VDP eſſe aequalem angulo $cdq$ (fig. 2. 3), facile intelligitur ex eo, quod VD$=cd$, DP$=dq$, et anguli VPD, $cqd$ recti ſint. Similiter inclinationem VEP planorum VAB, BAC ad ſe invicem aequalem eſſe angulo $cer$, manifeſtum eſt.

Tandem in planis VAD, VAE ductae intelligantur ad rectam AV ex puncto V perpendiculares VC, VB, quae rectis AD, AE in C, B occurrant. Quia ang. CVA$=ack$, et VAC$=cak$, et VA$=ca$: erit AC$=ka$, et VC$=ck$. Pari ex ratione erit AB$=ap$, et VB$=cp$. Hinc erit etiam

iam $fh = AC$ (fig. 4 et 3), et $fg = AB$; ac proinde, ob angulos $gfh$, $BAC$ aequales, recta $gh = BC$. Et quoniam ergo triangula $hig$, $CVB$ ſibi invicem aequilatera ſunt: erit ang. $hig = CVB$, qui (per defin. 6. XI. Elem.) erit inclinatio plani AVC ad planum AVB, ſi ſit acutus; ut ergo, ſi ille angulus $hig$ obtuſus ſit, is, qui ipſi erit deinceps, inclinationem horum planorum ſit exhibiturus. Q. E. D.

*Caſus* II. Si anguli dati $\alpha$, $\beta$, $\gamma$ ſint inaequales, et vel ſinguli, vel ſaltem duo $\alpha$, $\beta$, obtuſi: ponamus ſimul, eſſe $\beta$ horum angulorum maximum, $\gamma$ minimum. Capiatur et anguli $\beta$, et anguli $\alpha$ complementum ad duos rectos, quorum illud ſit $B$, hoc $A$; et quaſi ex angulis tribus $A$, $B$, $\gamma$ angulus ſolidus fieri deberet ad punctum A, ita determinetur (per ſolutionem caſus I.) poſitio rectae AV (fig. 7.) Producantur deinde crura anguli $EAD = \gamma$ ultra verticem A in B et C: habebimus angulum ſolidum, tribus planis VAB, VAC, CAB, qui ipſis $\beta$, $\alpha$, $\gamma$ aequales erunt, comprehenſum. Et inclinationes planorum VAC, VAB, CAB ad ſe mutuo eaedem erunt, atque inclinationes planorum VAD, VAE, EAD ad ſe invicem, per dicta ad caſum primum determinandae.

Quorum praeceptorum ſingula rationem habebunt manifeſtam, dummodo conſtet, angulos $A$, $B$, $\gamma$ eas habere conditiones, quas problema requirit. Quod ſic evincitur. Cum (per hyp.) ſit $\alpha + A = 2R = \beta + B$, et $\alpha$ minor quam $\beta + \gamma$, erit $A$ maior quam $B - \gamma$, ſeu $A + \gamma$ maior quam $B$. Similiter, quia $\beta$ minor eſt quam $\alpha + \gamma$: patet, eſſe $B$ maiorem quam $A - \gamma$, ſeu $B + \gamma$ maiorem quam A. Adhuc cum ſit $\alpha + \beta + A + B = 4R$, et $\alpha + \beta + \gamma$ minor quam 4 R (per hyp.): erit $A + B$ maior quam $\gamma$. Ac quoniam eſt $\alpha + \beta$ maior quam $\gamma$: erit $A + B$ minor quam $4R - \gamma$, ſeu $A + B + \gamma$ minores 4 Rectis. Proinde anguli $A$, $B$, $\gamma$ habent conditiones in propoſitione requiſitas.

*Caſus* III. Cum angulorum datorum $\alpha$, $\beta$, $\gamma$, duo $\alpha$ et $\beta$ ſunt aequales: eadem fieri debent, quae in caſu primo vel ſecundo praecepimus, prouti anguli $\alpha$, $\beta$ acuti erunt

vel

vel obtuſi. Demonſtratio quoque eadem erit, praeterquam quod iam brevius oſtendi poterit, rectam PD ſemper minorem eſſe ipſa *cd*. Namque in hoc caſu, ob aequalitatem rectarum AD, AE (per conſtr.), punctum P non poteſt cadere niſi intra angulum EAD$=\gamma$, et ang. PAD erit$=\frac{1}{2}\gamma$, ideoque, ſi $\alpha$, $\beta$ ſint acuti, minor angulo $\alpha$ (per hyp.). Ergo, cum anguli ad D et *d* ſint recti, et AD$=$ *ad* (per conſtr.), erit PD minor quam *cd*. Sed et, cum $\alpha$, $\beta$ obtuſi ſunt, erit $\frac{1}{2}\gamma$ minor quam $A$ deinceps poſitus ipſi $\alpha$: quoniam (per hyp.) $2\alpha+\gamma$ minor eſt quam 4 R, et $\alpha+A=2$ R.

8. Ex hoc lemmate haec fluunt *Corollaria*, quae inprimis in gratiam eorum, quae ſequuntur, ſunt notanda. 1) Si angulus ſolidus comprehendatur duobus planis acutis $\alpha$, $\beta$, et uno recto vel obtuſo $\gamma$: inclinatio planorum, in quibus ſunt anguli $\alpha$, $\beta$, ad ſe invicem erit verſus exteriora ſolidi. Nam quia ang. $\gamma$ rectus vel obtuſus eſt: erit rectae *gh* quadratum aequale quadratis rectarum *fg*, *fh*, vel eisdem maius (per 12. II. Elem.). Sunt autem rectae *fg*, *fh* aequales rectis *ap*, *ak*, et hae maiores ſunt rectis *cp*, *ck*, ſeu rectis *gi*, *hi*. Quare quadratum rectae *gh* maius erit quadratis rectarum *gi* et *hi* ſimul ſumtis, ideoque angulus *gih* obtuſus erit, ac proinde planum VAB ad planum VAC inclinatum erit verſus exteriora anguli ſolidi A. 2) In eadem hypotheſi planum cuiusque anguli acuti VAC ad planum tertii BAC inclinatum erit verſus interiora ſolidi. Etenim in hac hypotheſi punctum P cadat neceſſe eſt intra ang. BAC, et proinde etiam recta VP intra angulum ſolidum reſpectu communis interſectionis AC dictorum planorum. 3) Contra ea, ſi duo anguli plani obtuſi VAB, VAC cum recto vel obtuſo BAC comprehendant angulum ſolidum (fig. 7.): cuiusque ex illis angulis planum ad planum huius inclinatum erit verſus exteriora ſolidi; quemadmodum et ipſorum planorum VAB, VAC alterum ad alterum inclinationem verſus exteriora ſolidi habet. 4) Si in angulo ſolido trigono ſint duo acuti plani aequales; plana horum

rum ad planum tertii inclinata erunt verſus interiora ſolidi. Sin autem duo plani obtuſi aequales inſint: contrarium accidet. 5) Si in angulo ſolido trigono ſint duo plani acuti aequales: crus ipſis commune inclinatum erit ad planum tertii anguli verſus eas partes, verſus quas crura huius anguli tendunt. 6) Angulus ſolidus per hoc lemma conſtructus, pyramidalis ſit (§. 3) neceſſe eſt. Nam ſumto in ſingulis trium planorum angulorum cruribus AB, AC, AV puncto quolibet ab A diverſo, poterit per haec tria puncta duci planum (per 2. XI. Elem.) quod baſis erit pyramidis, verticem ſuam habentis in A puncto.

9. Quibus praemiſſis, demonſtrabimus nunc, varia ratione fieri poſſe angulum ſolidum pyramidalem, quatuor pluribusve angulis planis comprehenſum, quorum ſumma vel adaequet, vel ſuperet quatuor Rectos. Sit igitur

I. *Problema.*

*Angulum ſolidum pyramidalem conſtruere, quatuor angulis planis comprehenſum, qui ſimul ſumti excedant quatuor rectos dato angulo Q.*

*Solutio:* Bifariam ſecetur angulus Q, et conſtituatur angulus ſolidus ad punctum H (fig. 8.) ex duobus planis obtuſis IHK, LHK, quorum quisque ſit $= R + \frac{1}{2} Q$, et angulo IHL, qui ſit minor complemento anguli Q ad duos rectos; id quod per Lemma praecedens fieri poſſe facile intelligitur. Deinde ex puncto H plano IHL ad rectos excitetur recta HM ad eas partes, ad quas eſt recta HK (per 12. XI. Elem.). Habebimus hac ratione angulum ſolidum pyramidalem (remoto plano IHL), comprehenſum quatuor planis angulis IHM, LHM, IHK, LHK, quorum ſumma $= 4 R + Q$.

In qua ſolutione omnia partim per ſe, partim per Coroll. 4. et 6. praecedentis lemmatis ſunt manifeſta.

II. *Problema.*

10. *Angulum ſolidum pyramidalem conſtruere, comprehenſum quatuor planis angulis, qui ſimul ſumti adaequent quatuor rectos.*

*Solu-*

*Solutio.* Capiatur (fig. 9.) quilibet angulus acutus NKQ, qui per rectam KP utcunque ſecetur in duas partes, $m$, $n$. In plano huius anguli rectae KP per punctum K ducatur perpendicularis LM, et producatur QK in R, ut recta KM faciat cum rectis KN, KR angulos $x$, $y$, qui etiam erunt acuti. Ducatur etiam per K recta KZ, quae cum ipſa KN angulum comprehendat $z$ acutum quidem, ſed maiorem angulo NKQ. Deinde ex angulis $x$, $z$, et MKQ ſeu $R+m$, fiat angulus ſolidus, in quo ſit angulus planus $BAC = R+m$, $BAD = x$, et $DAC = z$ (fig. 10); item ex angulis $y$, $z$, et LKN ſeu $R+n$, fiat angulus alius ſolidus ACDE hoc pacto, ut poſito angulo $CAE = R+n$ in plano ſubiecto ſimiliter, atque angulus BAC in eodem poſitus erat, angulus $CAD = z$ conſtituatur ad ſiniſtrum crus AC illius anguli CAE, ſi in priori ſolido angulus $z = DAC$ conſtitutus fuit ad dextrum crus AC anguli CAB, ac viciſſim. Iungantur denique hi duo anguli ſolidi ita, ut puncta A, et rectae AC, et anguli DAC coincidant: habebitur, remoto plano CAD, angulus ſolidus, pyramidalis, comprehenſus quatuor planis angulis EAC, EAD, DAB, BAC, quarum ſumma erit aequalis quatuor rectis.

*Demonſtratio.* Poſſe enim ex tribus angulis planis $R+m$, $x$, et $z$ per lemma praec. conſtrui angulum ſolidum pyramidalem, ſic oſtendemus. Eſt $x+z = MKZ$, et $R+m = MKQ$. Ergo, quia (per conſtr.) MKZ maior eſt quam MKQ, erit $x+z > R+m$. Et quia $R+m$ eſt obtuſus, $x$ autem et $z$ acuti ſunt, evidens eſt, eſſe $R+m+x > z$, et $R+m+z > x$. Adhuc quia $m$ et $z$ ſunt acuti, erit $R+m+x+z < 4R$. Ergo ex tribus angulis $R+m$, $x$, et $z$ conſtrui poteſt angulus ſolidus. Similiter oſtendetur, ex tribus angulis planis $R+n$, $y$, et $z$ angulum ſolidum componi poſſe. Iam ſi iungantur hi duo ſolidi anguli praedicta lege, dico, neutrum planum angulorum CAE, DAE cadere poſſe in planum alicuius anguli BAC vel BAD in primo ſolido. Nam quia, iunctis duobus ſolidis, plana EAC, BAC ſunt ad diverſas partes plani DAC, et ad hoc planum inclinata ſunt verſus

verſus interiora cuiusque anguli ſolidi (per 2. coroll. Lemm.), et ergo verſus easdem partes rectae AC: plana EAC, BAC diverſa ſint; et ſe mutuo revera ſecent in recta AC, neceſſe eſt. Idem de duobus planis DAE, DAB ſimiliter liquet. Nam (per conſtr.) haec plana ſunt ad diverſas partes plani DAC, et (per 1. coroll. Lemm.) ad hoc inclinata ſunt verſus exteriora cuiusque anguli ſolidi, ideoque verſus easdem partes rectae communis AD. Cum itaque demonſtratum ſit, angulos EAC, BAC, DAE, DAB eſſe in totidem diverſis planis: patet, angulum ſolidum ad punctum A conſtitutum eſſe, qui quatuor his angulis planis comprehendatur. Hunc porro eſſe pyramidalem, nequit eſſe dubium. Sumtis enim punctis B, E, C in rectis AB, AE, AC utcunque, intelligatur planum per ea tranſiens; hoc efficiet cum planis BAC, EAB, EAC pyramidem, cuius vertex erit punctum A. Cadet autem recta AD (per conſtr.) inter plana EAB, CAE, BAC, hoc eſt, intra illam pyramidem BCEA. Ergo recta AD baſi eius, ſeu plano EBC, occurrat neceſſe eſt; ut ergo omnes quatuor rectae AB, AE, AC, AD ſecentur ab uno eodemque plano ad easdem partes puncti A. Denique cum ſit ang. BAC $= R + m$, EAC $= R + n$, BAD $= x$, et EAD $= y$, ſint autem anguli $m + n + x + y = 2R$ (per conſtr.): patet, quatuor angulos planos BAC, EAC, BAD, EAD in angulo ſolido conſtructo ſimul ſumtos eſſe $= 4R$. Q.E.D.

III. *Problema.*

11. *Angulum ſolidum pyramidalem conſtruere, comprehenſum quinque angulis planis, quorum ſumma quatuor rectos ſuperet dato angulo T.*

*Solutio.* 1) Si datus angulus T, quem minorem ponimus duobus rectis, non ſit maior ſeſquirecto: ſecetur utcunque in duas partes inaequales Q, S, quarum minor ſit S; et erit ergo S minor recto, cum ſit $S < \frac{3}{4}R$. 2) Sin autem fuerit $T > \frac{3}{2}R$: capiatur aliquis angulus acutus $S > 2T - 3R$. Quod fieri poteſt. Quia enim $2T < 4R$; erit $2T - 3R < R$; ideoque capi angulus S ſic poteſt, ut minor

minor quidem ſit recto, maior tamen quam $2\,T - 3\,R$. Hic angulus S auferatur ex dato T, et reliquus ſit Q. 3) In utrovis caſu fiat (fig. 3.) angulus ſolidus A trigonus, cuius planorum unus B A C ſit rectus, reliqui duo V A C, V A B ſint acuti, inter ſe et angulo $\frac{1}{2}(R+S)$ aequales; et determinetur (per Lemma) inclinatio plani cuiusvis horum duorum angulorum V A C, V A B ad planum recti B A C, quae inclinatio ſit aequalis angulo *cdq* in fig. 2. 4) Poſthaec fiat (per I. Problema) angulus ſolidus pyramidalis H (fig. 8), comprehenſus quatuor planis angulis, quorum ſumma ſit $= 4\,R + Q$, hoc tamen pacto, ut angulus L H I, quo plana, in quibus ſunt anguli recti I H M, L H M, ad ſe mutuo inclinantur, maior ſit angulo *cdq*. Quod fieri poterit, quia demonſtrabimus angulum $cdq < 2\,R - Q$. 5) Denique huic ſolido angulo applicetur extrinſecus angulus ſolidus trigonus, prius conſtructus, ita, ut huius ſolidi angulus planus rectus cum angulo recto L H M in illo ſolido congruat. Dico factum eſſe, quod fieri oportebat.

*Demonſtrandum* hic eſt ante omnia, angulum *edq* ſemper minorem fore complemento anguli Q ad duos rectos. Nam ſi T non ſit maior quam $\frac{3}{2}R$: fore $T - \frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R$, manifeſtum eſt. Et ſi $T > \frac{3}{2}R$: iterum erit $T - \frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R$. Eſt enim $2\,T - 3\,R < S$ (per hyp.), ideoque $T - \frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R$. Cum itaque in utroque caſu ſit $T - \frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R$; ac (per hyp.) ſit $T - S = Q$: erit ſemper $Q + \frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R$, et ergo $\frac{1}{2}S < \frac{3}{2}R - Q$, et proinde $\frac{1}{2}(R+S) < 2\,R - Q$. Iam in fig. 3. ex puncto V, quod eſt extremum rectae P V, quae in conſtructione anguli ſolidi trigoni (per Lemma) plano B A C ad rectos ducta eſt ex puncto P, ducatur ad punctum D in plano V A C recta V D: et erit angulus V D P inclinatio plani V C A ad planum B A C, ideoque $VDP = cdq$. Verum, ob angulum B A C rectum, et $AE = AD$, et $AEP = ADP = R$ (per conſtr.), eſt $PD = AD$. Sed $VD < VA$, ob angulum V D A rectum. Quia ergo in triangulis P V D, V A D, ad P et D rectangulis, eſt $DP = DA$, D V autem minor quam A V: erit angulus V D P minor quam V A D. Hinc,

 cum

cum ſit angulus VAD $= \frac{1}{2}(R+S)$ per conſtructionem, patet, ſemper fore $cdq < \frac{1}{2}(R+S)$. Vidimus autem, ſemper eſſe $\frac{1}{2}(R+S) < 2R - Q$. Oſtenſum ergo eſt, fore ſemper angulum $cdq$ minorem complemento anguli Q ad duos rectos. Ex quo perſpicuum eſt, angulum LHI (fig. 8), qui minor eſſe debet quam $2R - Q$ (per I. Probl. et Lem.) ſumi poſſe maiorem ipſo $cdq$.

Quapropter, ſi angulus ſolidus A trigonus, ſecundum praeceptum 3. conſtructus, ita iungatur angulo ſolido tetragono, ut illius angulus planus rectus congruat cum huius angulo plano recto LHM (fig. 8): planum anguli acuti $\frac{1}{2}(R+S)$, qui in illo ſolido adiacebit rectae HM, inclinatum erit ad planum LHM ſub angulo $cdq$, qui minor erit angulo LHI, ſub quo in angulo ſolido tetragono planum anguli IHM ad planum LHM inclinatum eſt. Igitur planum illius anguli acuti $\frac{1}{2}(R+S)$, inſiſtens rectae HM, cadet inter plana LHM, IHM. Deinde etiam hoc manifeſtum eſt, alterius anguli acuti in ſolido trigono A planum, quod inſiſtet rectae LH, non poſſe cadere in planum LHK ſolidi tetragoni, ultra rectam LH productum: cum haec duo plana ſint ad diverſas partes plani LHM, cui in recta LH inſiſtunt, et ad hoc inclinata ſint verſus eaſdem partes rectae LH. Porro, quia vidimus, plana angulorum acutorum $\frac{1}{2}(R+S)$ inter plana LHM, IHM, LHI cadere: non eſt dubium, quin etiam crus his duobus angulis commune inter eadem tria plana cadat, ideoque ſatis productum verſus eaſdem partes, verſus quas ex puncto H educitur, plano KLMI etiam occurrat. Ex quibus omnibus apparet, conſtructum eſſe angulum pyramidalem, in quo ſint quinque anguli plani, in totidem diverſa plana cadentes. Et quoniam hi quinque anguli ſunt $R+\frac{1}{2}Q$, $R+\frac{1}{2}Q$, R, $\frac{1}{2}(R+S)$ et $\frac{1}{2}(R+S)$, eorum ſumma efficit $4R+Q+S = 4R+T$. *Q. E. D.*

12. Equidem hac methodo poſſet etiam conſtrui angulus pyramidalis ſex angulis planis contentus, qui ſimul ſumti quatuor rectos excederent angulo dato: ſed ut appareat,

reat, non unam duntaxat methodum ad huiusmodi angulos ſolidos efficiendos adhiberi poſſe, lubet ſubiicere

IV. *Problema.*

***Ex planis angulis ſex aequalibus, quorum ſumma excedat quatuor rectos, angulum pyramidalem conſtruere.***

*Solutio.* 1) Centro Q (fig. 12.) intervallo quolibet QN deſcribatur circulus, in quo ponatur angulus ad centrum NQO = $\frac{2}{3}$ Recti: et ſuper recta NQ fiat alius angulus ad centrum NQS, maior ipſo NQO, ſed minor Recto. Ex puncto S, in quo crus QS huius anguli peripheriam ſecat, demittatur in crus alterum QN perpendiculum SR, quod rectae QO occurret in puncto T inter O et Q. Per hoc punctum T agatur rectae QN parallela, quae peripheriae occurrat in puncto X. Capiatur in peripheria inter puncta X et N quodvis punctum W, per quod ad rectam SR agatur parallela WY, circumferentiam iterum ſecans in Y, et iungantur rectae QY, QW, quae comprehendent angulum quendam quatuor tertiis recti minorem WQY, cum dimidius angulus WQY, hoc eſt angulus NQW, minor ſit angulo NQO. 2) Fiat angulus ſolidus A (fig. 13), qui contineatur tribus planis angulis BAC, CAD, DAB, aequalibus ſibi invicem et angulo WQY. 3) Conſtruantur tres alii anguli ſolidi, ſibi invicem aequales, quorum unus ſit (fig. 3) A, comprehenſus angulo plano BAC = angulo BAC in fig. 13, et duobus VAC, VAB aequalibus ſibi mutuo et angulo NQS, quod fieri poteſt (per Lemma), quoniam angulus NQS maior eſt dimidio anguli BAC ſeu YQW. 4) Hi tres anguli ſolidi applicentur ad angulum ſolidum A (fig. 13.) extrinſecus ſic, ut in unoquoque trium illorum ſolidorum angulus planus BAC is, qui eſt = WQY, congruat cum aliquo angulorum planorum BAC, CAD, DAB in ſolido figurae 13. Ita habebitur angulus ſolidus pyramidalis, contentus ſex planis angulis, aequalibus inter ſe et angulo NQS, quorum ſumma maior erit quatuor rectis.

*Demonſtratione* hic nihil indiget, praeter hoc, angulum ſolidum hexagonum, ſecundum haec praecepta con-

 ſtructum,

ſtructum, fore pyramidalem. Quod ſic oſtendemus. In tribus rectis, quae ad efficiendum angulum ſolidum A (fig. 13.) concurrunt, capiantur puncta B, C, D aeque diſtantia a puncto A, per quae tranſire intelligatur planum, quod plana trium angulorum aequalium ſecabit in rectis B C, CD, DB ſibi invicem aequalibus. Ex vertice A anguli ſolidi demiſſum ſit in planum BCD perpendiculum AG, et ex puncto G, ubi inſiſtit, rectae BC ad rectos ducta ſit GF, et iuncta AF, quae ergo bifariam ſecabit angulum BAC. Porro in fig. 3. ex puncto V in planum ang. EAC demiſſum ſit perpendiculum VP, et ex eodem V ad AC, AE perpendiculares ductae ſint VD, VE, et iunctae AP, PD, PE. Ac cum ſit ang. VAD = VAE (per conſtr.) angulus EAD bifariam ſectus erit per rectam AP; eritque ergo ang. PAE = angulo BAF in fig. 13. Iam ratio AV: AP componitur ex rationibus AV: AD, et AD: AP, quarum haec aequalis eſt rationi AF: AB in fig. 13; et quoniam ang. VAD = angulo NQS in fig. 12 (per conſtr.), ratio AV: AD aequalis erit rationi QS: QR. Ergo ratio AV: AP componetur ex rationibus AF: AB, et QS: QR. Atqui ratio AF: AB porro componitur ex rationibus AF: FB, et FB: AB, quarum haec aequalis eſt rationi $v$W: QW in fig. 12, (dicto $v$ puncto interſectionis rectarum WY, NQ), quoniam (per conſtr.) angulus BAC = WQY. Eſt autem (per conſtr) W$v$ < TR, ideoque $v$W: QW < TR: QS. Quamobrem ratio AF: AB minor eſt compoſita ex rationibus AF: FB, et TR: QS. Hinc ratio AV: AP minor etiam erit ratione compoſita ex rationibus AF: FB, et TR: QR. At in fig. 13. eſt AF: FG = (AF: FB) + (FB: FG), et iunctis rectis GB, GC, GD, quae, ob aequalitatem rectarum AB, AC, AD, et angulos ad G rectos, ſibi invicem aequales erunt, punctum G erit centrum circuli, qui circa triangulum aequilaterum BDC poteſt circumſcribi; cui conſequens eſt, angulum BGC eſſe = $\frac{4}{3}$ R, et ergo ang. BGF = $\frac{2}{3}$ R. Quare, cum in fig. 12 angulus TQR etiam ſit = $\frac{2}{3}$ R (per conſtr), erit FB: FG = TR: QR.

Ergo

Ergo ratio AV: AP minor ſit neceſſe eſt ratione AF:FG; et propterea angulus VAP in fig. 3. minor erit angulo AFG in fig. 13. Iam illud perſpicuum eſt, ſi angulus ſolidus A in fig. 3. applicetur angulo ſolido A fig. 13. ſic, ut angulus planus CAB in illo ſolido congruat cum angulo plano BAC in hoc, rectam AP caſuram eſſe in rectam AF, et rectam AV, in qua reliquorum duorum angulorum illius ſolidi plana ſe mutuo ſecant, poſitam fore in plano GFA, quippe quod plano BFA ad rectos eſt. Itaque cum nunc rectae AV et FG ſint in eodem plano, et a tranſverſa AF ſic ſecentur, ut angulorum alternorum alter altero minor ſit: patet, rectam AV, in hoc ſitu productam, occurſuram eſſe productae rectae GF, ideoque etiam plano BDC, ad easdem partes puncti A, ad quas rectae AB, AC, AD eidem plano occurrunt. Quod cum de reliquis duabus rectis, quae cum his quatuor, modo commemoratis, ad angulum ſolidum in puncto A formandum concurrunt, eodem modo demonſtrari poſſit: liquet (§. 3.) angulum ſolidum hexagonum A eſſe pyramidalem. *Q. E. D.*

13. Conceſſa anguli dati in tres partes aequales ſectione, poterit eadem methodo conſtrui angulus ſolidus pyramidalis ſub ſex aequalibus angulis planis, qui quatuor rectos dato angulo excedant. At quoniam illa anguli dati triſectio vim geometriae elementaris ſuperat, maluimus problema ad illum modum proponere, praeſertim cum hic modus ad inſtitutum noſtrum haud minus ſit accommodatus. Ceterum latius patere hanc methodum, et ad conſtruendum angulum ſolidum pyramidalem, octo, vel decem, vel quotvis numero pari angulis planis aequalibus, quatuor rectos excedentibus, comprehenſum, etiam valere, omnes in geometricis contemplationibus paullo exercitatiores facile intelligent. Illud tantum admonebimus, ſi deſideretur angulus ſolidus talis, qualis ſupra (§. 3.) mentionem iniecimus, in quo ſcilicet ſex ſint plani aequales, ex quorum ſex cruribus tria in unum idemque planum, reliqua vero tria ad easdem huius plani partes cadant, magnitudinem uniuscuius-

cuiusque horum ſex angulorum hoc facili calculo, cuius ratio ex praecedenti demonſtratione ſit perſpicua, poſſe definiri. Per 3 dividatur coſinus 30 gr. quotiens erit coſinus alicuius anguli acuti, qui erit quaeſitus, et invenietur in canone ſinuum $=$ 73 gr. 13′ 16″, 81. Nam ſi in fig. 13. pyramidem ABDC intelligamus eſſe tetraedrum, erit angulus BAF $=$ 30 gr. $=$ GBF; et quia ergo AF: FB $=$ FB: FG; erit AF: FG $=$ FBq: FGq $=$ 3: 1. Quare cum nunc (fig. 3.) in angulo ſolido A, qui plano angulo BAC tetraedri applicandus eſt, debeat eſſe AV: AP $=$ AF: FG $=$ 3: 1, et angulus planus EAD aequalis eſſe 60 gr. ratio autem AV ad AP componatur ex rationibus AV:AD, et AD: AP, ſeu ex ratione ſinus totius ad coſinum anguli quaeſiti VAD, et ratione coſinus 30 gr. ad ſinum totum: liquet, inferendum eſſe, quemadmodum 3 ad 1, ita coſin. 30 gr. ad coſin. anguli VAD quaeſiti.

14. Cum ex hactenus dictis ſatis ſuperque pateat, multos angulos ſolidos, atque in his etiam pyramidales formari poſſe, de quibus propoſitio XXI. Libri XI. Elementorum non ſit vera: negari ſane nequit, hanc propoſitionem hactenus per errorem pro univerſaliter vera habitam eſſe. Sed nunc haud dubitamus fore quosdam, qui quaeſtionem moveant, ſitne huius erroris culpa ipſi *Euclidi* tribuenda, an fortaſſe librariorum vel editorum veterum incuria vel *περιεργία* factum ſit, ut verba quaedam huius propoſitionis, quae debitam aut limitationem, aut exceptionem continuerint, ex contextu exciderint vel extruſa ſint. Quae quaeſtio talis eſt, ut ad eam non liceat, niſi coniectando, reſpondere. Et noſtram quidem hac de quaeſtione ſententiam ſi quis requirat, ingenue fatebimur, non videri nobis *Euclidem* huius erroris poſſe abſolvi. Quod tamen ſalva reverentia erga hunc antiquiſſimum Geometriae magiſtrum, quo meliorem nullum usquam reperimus, dictum putari volumus. Equidem ſi certo conſtaret, Scholium illud, quod extremae propoſitioni Libri XIII. Elementorum, in qua *Euclideum* opus terminatur, adiectum legimus, ipſum *Euclidem* habere auctorem:

rem: vix dubium foret, in XXI. undecimi ſcribenda bonum dormitaſſe *Euclidem*. Namque illius Scholii demonſtratio hanc undecimi libri propoſitionem totidem verbis repetit, et ita eſt comparata, ut nullam vim habere queat, niſi apud eum, qui hanc propoſitionem pro univerſaliter vera habeat. Sed cum videamus, magna probabilitate opponi poſſe, Scholium iſtud pariter atque ea, quae id praecedunt a verbis ἄλλως, ὅτι μείζων κ. τ. λ. aſſuta eſſe propoſitioni XVIII. Libri XIII. a veteri quodam Mathematico, et fortaſſis a *Theone* Alexandrino, quem, ex iis, quae de ſe ipſe in aliquo loco commentarii ſui in Cl. *Ptolemaei* Μεγάλην Σύνταξιν ſcripſit,*) conſtat novam editionem Elementorum paraſſe, in qua nonnullas propoſitiones adiecerit. Nolumus inſiſtere huic argumento. Eſt autem alia ratio, quae nobis perſuadet, *Euclidem* nimium feſtinanter hic iudicaſſe. Videlicet, haud eſt veriſimile, eum, cum haec de angulis ſolidis exponeret, notiones diverſarum formarum anguli ſolidi animo habuiſſe comprehenſas. Quomodo enim in propoſitione XX. ſimpliciter affirmare potuiſſet, in angulo ſolido, tribus planis angulis contento, duos planos utcunque ſumtos tertio eſſe maiores, ſi notionem anguli ſolidi gibbi menti impreſſam habuiſſet? Praeterea, cum in toto eius opere anguli plani gibbi nullum occurrat veſtigium, etſi huiusmodi angulo nomen anguli, per definitionem octavam primi, aeque ac ceteris angulis convenit: probabile eſt, eum nec de angulo ſolido gibbo, nec de illo angulo ſolido, qui eſt ad verticem pyramidis, in cuius baſi angulus gibbus planus occurrit, tunc, cum de angulis ſolidis ſcriberet, cogitaſſe. Quodſi autem diverſae anguli ſolidi formae menti ipſius praeſentes non fuerunt, defuit ſane ratio, quamobrem non ſimpliciter de omni angulo ſolido affirmaret, quod illi formae, quam animo intuebatur, convenire videbat. Quae cum ita ſint, non temere forſan eſt, quod credamus, communis

*) Locus ille eſt pag. 50: Δέδεικται ἡμῖν, ἐν τῇ ἐκδόσει τῶν Στοιχείων, πρὸς τῷ τέλει τοῦ ἕκτου βιβλίου.

munis iſtius erratí auctorem ipſum fuiſſe *Euclidem*, eoque magnum nobis documentum dediſſe, quam ſit ingenium omnium hominum ad errorem proclive, quantoque cavendum ſit opere, ne qua de re ante aliquid pro certo ſtatuamus, quam notio eius plane diſtincta informata fuerit animo, atque in omnes quaſi partes verſata, et undique inſpecta.

## Johann Winkelmanns Sendſchreiben von Herkulaniſchen Entdeckungen.

h. e.

## *IOHANNIS WINCKELMANNI EPISTOLA ad Comitem Illuſtriſſ. HENRICUM de BRüHL, de Inventis Herculanenſibus.*

Dresdae, in officina libraria Waltheri, 1762.
12 plagg. in 4.

Comitatus Anno 1762. Illuſtriſſimum Comitem *Henricum de Brühl* Neapolim, Auctor Celeberrimus, Vir omni noſtra laude maior, iam in memoriam revocat huic miracula urbis, quae nunc *Portici* vocatur, ſuis ibi oculis conſpecta, et digna omnino, quae a docto tamque antiquitatis omnis perito viro accuratius examinarentur illuſtrarenturque. Per trium hebdomadum ſpatium in hoc oppido verſatus, omnia vidit, quae quidem videre licuit, regio inprimis mandato omnibus ſibi clauſtris Muſei huius elegantiſſimi recluſis ab inſpectore Camillo Paderni atque reſeratis. Oſtendit autem initio ſitum urbium a Veſuvio vaſtatarum, Herculani nempe, Pompeiorum, et Stabiarum, poſitionemque Herculani ex Strabone declarat,

rat, ibique ἄκραν non promontorium, ſed regionem in mare longe porrectam (Erdzunge) explicat, et caput vertit, cuius littus in pelagum excurrat. Plana igitur in tellure, haud excelſiore in loco ponit Herculanum, ideoque tam alte ſub terra conſediſſe. Coniicit exinde, mare eo tempore longe altius, ut in Batavis adhuc eveniat, intumuiſſe, quod eo loco ſtatua Bacchi, Puteolis reperiunda, conchis quibusdam, Dactyli quae vocantur, perforata ſit atque corroſa, nihiloque tamen ſecius medio in foro collocata. Magnitudine autem ſine dubio excelluit Herculanum, comprobantibus id nongentis, amplius, diverſoriis et hoſpitiis, quorum index in inſcriptione pag. 41. ſubminiſtratur. Quia autem hunc locum Petronius Herculis porticum dixerit, hinc nomen recentius apud Italos, Portici, conſecutum eſſe, Winkelmannus haud iniuria opinatur. Diſſerit tum de ſitu Pompeiorum, ibique portum quidem fuiſſe docet; neque tamen ideo credit mari proximos fuiſſe, ſed merces fluvio Sarno transportatas. Herculanum iam antiquiori aetate perquiſitum fuiſſe, et quantum fieri potuerit inveſtigatum, meatus complures ſubterranei, labore incredibili perfoſſi, teſtantur, inſcriptio praeterea, etſi obſcurior paulo, confirmat. Recentiori vero memoria, inſtituto puteo, tres ſtatuae deprehendebantur, Romam initio, deinde Dreſenam in Muſeum translatae; quarum indicio reliqua huius urbis monimenta adeſſe ibi ſepulta colligebatur. Mandabatur cura huius negotii imperito cuidam, ut fit, homini, cuius inſcitia et negligentia, maxima his vetuſtatis ſpoliis allata ſunt damna; ſed eius qui in locum ſucceſſit, reparavit eos errores, et ſtudio ſcientiaque ſua non Herculanum modo, ſed Stabias etiam, et Pompeios detexit. Verſantur autem, qui occupati ſunt hoc labore, ita detegendis his urbibus, ut nihil ſane oculis abſconditum tectumque eſſe poſſit, cum via prima-

 ria

ria facta, ad dextram ſiniſtramque fodiunt, atque omnes angulos perreptant. Loca perquiſita egeſta rurſus terra complentur, eum potiſſimum in finem, ne picturae aere ac tempeſtate mutilentur, ſed quaſi hoc operculo tegantur; etſi lente omnino ac tarde in hoc procedatur negotio, ita ut ſeri nepotes, imo poſteri, habere adhuc videantur, in quo operas ſuas collocent. Inſequentia adhuc ab oblivione interituque vindicata ſunt; Theatrum Herculanenſe, complexum ordines 18 ſedium, tanta amplitudine, ut in interiori modo area 3500 homines locum capere potuerint, omiſſis reliquis, e quibus ſpectare poſſent, ſedibus. Erat in hoc theatro quadriga, aere inaurato, et baſi marmorea, ſed deſtructis eiusdem partibus truncatisque, imperitia operarum, ex hoc aere clypei regis et reginae effecti ſunt, et ex equis quatuor unus modo, ſed elegantiſſimus, concinnatus, in atrio Muſei conſtitutus. A theatro haud longe aberat Templum, Herculis ut credebatur, ex quo permultae picturae ſublatae, ut Telephus, Chiron, Achilles, Pan, Olympus, et Theſeus, interfecto Minotauro ex Creta reverſus, et puerorum puellarumque oſculis exceptus. Spectabantur praeterea ſtatuae equeſtres ſenioris et iunioris Nonii Balbi; nec procul ab hoc ſpatio Villa erat, in qua codices antiqui, de quibus deinceps, reperti ſunt. Villa haec magnam piſcinam continebat, quam varia cingebant Topiaria, et area columnis lateritiis fulta. Interiectae columnis erant ſtatuae, clypei potiſſimum, et pavimentum admirabile, copioſius ab Auctore deſcriptum. Extra eum locum camera erat obſcurior, ſerpentum picturis exornata, unde Eleuſinia feſta ibi celebrata credit Winckelmannus, comprobante id ipſius ex ſententia tripode aeneo, ibidem invento. In urbe Pompeiorum a. 1761 templum exiguum deprehenſum fuit, altari, puteo, ciſterna, et ſolario memorabile. Muſeum ipſum, tum ſupellectilem variam,

tum

tum codices complectitur. Spectant ad illam mille et plures picturae, vitro iam incluſae, ſed maiores, ut Theſeus, Telephus, Chiron, ianuis vitreis ſunt ſeptae. Plurimae arido nituntur fundamento (*à tempera,*) pauciſſimae coloribus fluidis *à freſco.* Pulcherrimae repraeſentant Saltatrices, Centauros, Topiaria, eaedemque fere omnes in moenibus urbis ſunt inventae. Accedunt ſtatuae venuſtiſſimae, ut Palladis, matris Nonii Balbi, Dianae, et viri Aegyptii minutula, menſulam prae ſe ferentis, ideoque ſine dubio Iſidaei ſacerdotis. Memorat hic Noſter, omnia ſuis ſe oculis uſurpaſſe, praeter obſcoenam quandam imaginem, quae Satyrum cum capra repraeſentet, nemini prorſus ſpectandam. Clypei vel ex marmore ſunt confecti, vel aere. Numeratur in marmoreis Archimedes, qui pictas literas ARXIM ante aliquot adhuc annos habuit inſcriptas, iam nimis contrectantium manibus deletas. Aenei propter ornatum comarum, quo inprimis exſplendeſcunt, magni ſunt omnino faciendi: qua de re eruditiſſime Winckelmannus exponit. In minoribus memorabiles ſunt Epicurus, Hermarchus, Zeno, Demoſthenes, Alexander equeſtris, cuius ſane equus cum aliis pulcherrime conſpirat. Pallas et Venus, quarum illa pateram dextra, ſiniſtra haſtam gerit, haec armillas et periſcelides. Aeneas quoque cum Anchiſe, adiuncto Iulo, ſpectantur; ſed, quod mirere, omnes capitibus aſininis. Deſideramus hic ingenium fertiliſſimum Auctoris, quem lepidam hanc imaginem, eiusque cauſas, explicuiſſe optaremus. Adeſt Priapus parvus, ſed artis, ut A. teſtatur, plane ſingularis, ridiculam ſane perſonam repraeſentans. Poſtea inſcriptiones nonnullae afferuntur. Quarum aliae locationes praediorum, aliae Agrippinae Auguſtae, Auguſtalis cuiusdam, aliorumque hominum memoriam conſervant. Maxime tamen inſcriptio, Veneri ſine dubio ſacrata, eſt notatu digniſſima, quam Martorelli de regia Theca Cala-

maria pag. 373 explicavit, nec plane inepte; etſi Martialis, ad quem ille provocat, non ſatis idoneum perhibere teſtimonium ipſi Winckelmanno videtur. Sed dum poſtea Auctor inſcriptionem graecam affert, in ea certe *τι μελει σοι*, non poteſt verti, quid me ſollicitum habet, (*was kümmerts mich*,) ſed potius, quid angit te. Tranſit Auctor ad ſupellectilem reliquam. Orditur a panibus, quorum duo ſunt reperti, octoque ſecturas continent, indeque a Graecis ὀκτάβλωμοι vocati. Saepius tamen inciſio crucis formam habebat, ex quo quadrae, et *τετράτρυφει* appellati. Conſpiciuntur praeterea dolia, maiora vini vaſa; et minora, amphorae, quae erudite diſcutiuntur; porro Tripodes, ſeu menſae tribus fultae pedibus, tripodes etiam ſacri, lampades, in quarum una ſedet veſpertilio, appropinquantis noctis nuntius, cuius alae elegantiſſimae, et naturae convenientiſſime ſunt expreſſae; Candelabra, librae, una omnes laude, et alia complura. Tum ad ianuas veterum A. accedit, et de earum cardinibus ex Muſeo Herculanenſi exponit. Extant praeterea vaſa multa, ad res gentium profanarum ſacras neceſſaria, ut praefericulum, ſeu amphora, aquae deſtinata, paterae, harumque nonnullae argenteae minores, aquae caldae deſtinatae. Adſunt etiam vaſa, alendis et ſaginandis muribus agreſtibus inſervientia, glireria nempe: qui cibus adhuc, confirmante Winckelmanno, magnorum Italiae virorum delicias facit. Adſunt tibiae ex oſſibus, ebore, et aere conflatae. Teſſera nomine Aeſchyli inſcripta conſpicitur, quae dabatur ſpectatoribus, quo facilior adeundi ſpectacula facultas praeberetur. Extant diſcus aeneus, perſona tragica, aureae bullae, ornatus nimirum non puerorum modo, ut vulgo creditur, ſed triumphantium quoque Imperatorum. Spectantur ſellae curules aeneae, cum in urbe eſſent eburnae, eadem, quae in numis conſpicitur, figura; ſpecularia, acus crinales,

males, armillae, inaures, alia, quibus enarrandis iam vacare non poſſumus. Scripta potius et libros in Herculano inventos adhuc breviter videamus. Qui quidem libri initio exiſtimabantur prunae et aduſta ligna, ita igne erant corrupta, dum literae in iisdem cognoſcerentur. Colligebant prope mille horum Codicum partes, quorum plurimi Pompeiis ſervantur. Materia ipſorum eſt papyrus (Δέλτος, nunc *Berd* indigenis,) planta Aegyptia, ex regione quae Delta vocatur arceſſita, cuius tamen non folia aut radix, ſed tenella membrana caulis, recte Salmaſio et Auctore ita iudicantibus, papyrum iſtam praebebat. Conſtant autem hi codices ex uno omnes folio, et eadem prope ſunt longitudine, unius nempe palmi, ſubtiles admodum et teneri, conglutinati, et partim in ſe ipſis, partim in arundine quadam circumvoluti, quam arundinem ab antiquis Auctor noſter cenſet umbilicum vocatam. Duobus opus erat baculis ad codices illos explicandos. Diſputat hic A. adverſus Martorellum, omnia volumina priſcis denegantem populis, et quadratos modo iis libros relinquentem. Quantum hic fallatur, doctiſſimus Auctor opere ipſo Anaglypho, cuius icon in fronte libri conſpicitur, declarat. Adeſt mater cum duobus filiis, quorum maior quadratum tenet librum, minor autem traditus curae nutricis, globum illi oſtendentis, quem duae Muſae, Urania forte et Clio, manibus monſtrant; ſed haec convolutum geſtat librum, adſtante tertia Muſa Melpomene. Adeſt etiam gemma, Cupidinem literis deditum, et volumen tenentem, repraeſentans, praeſente ſimul magiſtro, cum quadrato libro. Plurima autem Winckelmannus hic Martorelli menda detegit, quorum copia perhorruimus, inſcitiam eius Auctoris cum Noſtro admirati. Scripta ipſa omnia ſunt Graeca, et una tantum parte exarata, ideoque nulla ὀπισθόγραφα, ſed tamen columnis certis diſtincta. Quatuor tantum adhuc volumina legi poſſunt evoluta, quae

 ab

ab uno omnia proficiſcuntur ſcriptore, Philodemo nimirum, cuius Cicero et Horatius, velut aequalis ſui, iniiciunt mentionem. Primus liber Muſicam nec mores nec rempubl. adiuvare magnopere, ſed nocere potius declarat; alter partem quandam Rhetorices; tertius partem primam artis eiusdem; quartus vitia et virtutes complectitur. Literae omnes ſunt maiuſculae, et quadratae, verba nullis ſignis diſtincta, interdum tamen indicia interpunctionis, etſi pauciſſima, occurrunt. Puncta quaedam ſpectantur, quae accentuum vicem ſuſtinuiſſe videntur, inprimisque verſus quidam Euripidis, in muro Herculani repertus, iisdem, quibus adhuc ſcribitur, accentibus abundat. Adſunt etiam Palimpſeſti, ſeu ceratae tabulae, quibus Auctor rationem modumque adiungit, quo evoluti hi fuerint codices, Herculeo prorſus labore. Adiungit denique deſcriptionem loci, quo Pompeiis haec cimelia ſervantur, quorum nunc ipſe Inſpector et eruditiſſimis et ſolertiſſimus, curam geret, quanta a viro politiſſimo, et antiquitatem peritiſſimo expectari poſſit.


BREVIS

# BREVIS DESCRIPTIO TABULAE

nitidiſſimis coloribus in fragmento muri gypſo obducti pictae, ex ruderibus Herculaneis, uti videtur, erutae, Neapolique Petropolim ad illuſtrem Virum C. a W. miſſae A. cIↄIↄccLIX.

---

Acropodio impoſita ſtatua nuda feminea, globo inſiſtens maiori, minorem laeva porrecta manu tenens. In facie tabulae ſuperioris huius acropodii Inſcriptio:



Circa Acropodium ſaltantes VII. ſeminudae feminae, corollam albis atque rubris contextam roſis iugiter tenentes.

Ad

Ad latus pyramis erecta, cui lampadis loco impoſitus globus perforatus, flammulas fumumque edens. (Altitudo huius tabulae pollices Angl. XVI. Latitud. poll. XII—).

Venerem atque Floralia in hac tabula repraeſentari nemo fere dubitat. Saltem quaeritur:

1. Cuius Alphabeti aut linguae ſint inſcriptionis litterae?

2. Quaenam illarum lectio?

3. Quaenam interpretatio?

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCLXII.*


---

## *CONCILIA GERMANIAE, QUAE CELS. PRINC. Ioannis Mauritii, Archiepiſc. Pragenſis ſumtu, Cl. IO. FRID. SCHANNAT, magna ex parte primum collegit, dein P. IOSEPH. HARTZHEIM S.I. plurimum auxit, continuavit, notis, digreſſionibus criticis, charta et praefatione chorographicis illuſtravit: TOMUS III. ab Anno M. ad MCCXC.*

Colon. Aug. Agrippin. 1760. Alph. 5, duern. in fol.

Habes hic, Lector, Tomi III. Conciliorum Germaniae ſynopſin. Conciliorum, Hartzhemii ſenſu, quem ille toto Opere ſecutus eſt. Nam certe etiam his inſunt, Curiae potius, ſeu Comitiorum nomine, quam Conciliorum, adpellanda. Sed diximus de talibus ad priores duos Tomos. Inſunt igitur Parti huic quae ſequuntur:

*Prolegomena.* Sermo Synodalis S. *Udalrici* Epiſcopi Auguſtani, qui in ſingulis Synodis parochianis Presbyteris annunciandus eſt. *Ratherii*, Veronenſis et Leodienſis Epiſcopi, Synodica ad Presbyteros et ordines per univerſam Dioeceſin conſtitutos. *Burchardi*, Wormatienſis Epiſcopi, Capitula, collecta de auctoritate, praeſidio, membris, tem-

pore, ordine Synodorum congregandarum, ex L. I. Decretorum. Quomodo initianda ſit Synodus, ſeu: Ordo de celebrando Concilio. *Adelboldi*, Ultraiectini Epiſcopi, notificatio, qui et quot Miniſteriales Laici ſuae Eccleſiae debeant intereſſe Synodo?

*Saeculum XI.* 1000. *Gandesheimenſe* III. Concilium. Willigiſus, Archiep. Moguntinus, attentat celebrare Synodum, in Dioeceſi ſuffraganea Hildeſemenſi, contradicente Legato Epiſcopi Hildeſemenſis. Pergit attentare Moguntinus, ſed nullo effectu. 1001. *Romanum* Concilium ſub Sylveſtro II, de Gandesheimenſi Eccleſia, cui ſubiecta ſit? 1001. In *Palithi* I. Moguntinae provincia, de actis Concilii Gandesheimenſis, in eadem cauſa. 1001. *Francofurt* IV. de eodem diſſidio inter Willigiſum Moguntin. et Bernwardum Hildeſemenſem, ob Gandesheimenſe Coenobium: Moguntinus differt conſenſum. 1002. *Tiburtinum* Concilium, in quo Sylveſter Pp. audit Legatos e Germania reduces, et Legatos Epiſcopi Hildeſemenſis. Moguntini acta improbantur. 1002. *Merſeburgi* I. Conventus, in quo Henricus Rex eligitur a Saxonibus, et horum lex obſervanda promittitur. 1002. *Duisburgi* III. in quo Henricus Rex a Lotharienſibus acceptatus, et Aquisgrani ab Hereberto, Archiepp. Coloniae, reconciliato, coronatur. 1003. *Theodonis* Villae, V. Conc. Nuptiae inter Conradum Carentanum, et Mathildam, filiam Regis Burgundiae, irritae declarantur ob conſanguineitatem. 1004. *Magdeburgenſe* II. in quo Magdeburgi et Merſeburgi novi Epiſcopi conſecrantur, et Dioeceſis Merſeburgenſis a Giſilario vaſtata redintegratur. 1005. *Conſtantiae* V. Conc. ſub Lamberto, Epiſcopo. Litterae fictae de coelo lapſae damnantur. 1005. *Arneburch.* I. Conc. Damnantur nuptiae iniuſtae. 2. Venditio Chriſtianorum gentilibus facta. 3. Violatores iuſtitiae excommunicantur. 1005. *Tremonienſe* II. Conc. Preces, ſacrificia, elemoſinae, poſt obitus Epiſcopo-

ſcoporum hic congreſſorum. Ibidem ieiunia et vigiliae mutuo pacto decernuntur. 1006. Conventio inter Henricum Regem et Epiſcopum Herbipolenſem, de finibus novae Dioeceſeos erigendae regundis. 1006. *Franconofurt.* V. Concilium, primum pro erigendo Epiſcopatu Bambergenſi. S. Henrici, Regis, litterae de hoc Epiſcopatu. 1007. *Francofurdii* VI. Accepta Bulla Ioannis XVIII. ratificantis votum regis; epiſcopi eidem ſubſcribendo confirmant executionem fundatae Bambergenſis Cathedrae. 1007. In Palithi II. mediante Rege Henrico conciliatur Willigiſus Bernwardo, eique verbo et pedo transfert coenobium Gandesheimenſe. 1008. *Werlae* I. Rectificatio conciliationis inter Moguntinum et Hildesheimenſem, diplomate regio firmata. 1009. *Goslariae* I. in locum Ratherii Paderbornenſis epiſcopi, Meinwercus, voto regis, Concilii, et Cleri, et populi, ſufficitur. 1012. *Bambergae* I. in quo dedicatio Eccleſiae Bambergenſis. 2. Gevehardus, Ratisponenſis Epiſc. a Metropolitano ſuo accuſatur. 3. Theodoricus, Metenſis Epiſc. arguitur ob litteras Papae ſcriptas. 4. Promittitur reſtitutio Dioeceſeos Merſeburgenſis. 1012. *Confluentiae* III. Tres fratres Lutzelburgici, adverſantes fundatae Bambergae, proſcribuntur. 1012. *Moguntiae* XV. Concil. Iudaei expelluntur, Haeretici confutantur. 1014. Privilegium S. Henrici, I. Imperatoris, quo patrimonium Romanae eccleſiae a regibus anteceſſoribus datum confirmatur et augetur. Electio libera pontificis Romanis confirmatur. 1017. *Merſeburgenſe* II. De finibus herciſcundis inter Dioeceſes Magdeburgenſem, Merſeburgenſem et Miſnenſem. 1017. In *Lietzgo* I. Concilium, in quo Henricus Imp. fratribus novi monaſterii in Dioeceſi Paderbornenſi praedium donat. 1018. *Noviomagi* II. Excommunicantur coniuges de Hammerſtein. 2. Quo ordine corpus et ſanguis Chriſti in altari collocandus. 3. Theodorico Vaſallo eccleſiae Ultraiectinae decreta poena. 1018. *Goslarienſe* II. Declarata ſeparatio coniugum Godeſcalci et Gertru-

pore, ordine Synodorum r[illegible] [illegible]opis: ſervi liberos, cretorum. Quomod[illegible] [illegible]ore. 1018. *Moguntiae* celebrando Con[illegible] [illegible] inter coniuges de Hammerſtein. tificatio [illegible] Benedicti VIII, Papae, acta et privi- be[illegible] [illegible] II. [illegible] Eccleſiae Bambergenſi. 1020. *Fri-* [illegible] ingrati accuſatio et liberatio ope S. Hei- [illegible] 1022. *In Grouona* I. Godehardi, Hildeſemen- [illegible] Metropolita Moguntino facta conſecratio, [illegible] Epiſcopi [illegible] ſub conditione ab Imperatore reiecta. Aribonis, Archie- piſcopi Moguntini, invitatoria ad Concil. in Selingunſtadt. 1022. *In Selingunſtadt* I. Concilium Provinciae Moguntinae ſub Aribone, Canones XXVI. noti. Alia eiusdem Concilii prolixior narratio. 1022. *Aquisgranenſe* XXVI. Concil. provinciale, de diſſidio inter Piligrinum, Archiep. Colon. et Durandum, Epiſc. Leodienſem, ob Porcetanam Eccleſiam. 1022. In *Hochſtet* ad Concilium invitatoria Aribonis Moguntini. Eiusdem ad Cunegundem Auguſtam epiſtola. 1022. *Moguntinum* XVII. Provinciae ſuffraganeorum epiſtola ad Benedictum VIII. Pp. excuſatoria Aribonis et ſui, ob depoſitionem illius. 1022. *Henrici* II. Imperat. conſtitutio duplex in favorem Cleri. 1022. *Moguntinum* XVIII. in quo eligitur et coronatur Conradus II. 1025. *Atrebatenſe* I. ſub Gerardo, Epiſc. Capita XVII. Explicatio catholicae fidei, et damnatio haereſeos diſcipulorum Gundulfi Itali: Haereticorum felix converſio ad Eccleſiam, et errorum abiuratio. 1027. *Wormatienſe* XIV. Iuramentum inſolens, quod Metropolitanus Moguntinus exigit ab Hildesheimenſi, taxatur ab Imperatore. 1027. Romani concilii Synodica, de translata Citizo Cathedra Epiſcopali Naumburgum. 1027. *Franconofurt.* VII. Iurisdictio Godehardi Hildeſienſis in Gandesheim, ſeptem teſtibus probatur contra Aribonem Moguntinum, refractarium: Sophiae, Abbatiſſae Nonnae, reſtituuntur. Gebehardus, frater regis, tondetur. 1027. In *Geiſtlice* I. Moguntinae Provinciae. Cauſſa Gandeshemenſis iterum ventilata.

1028.

1028. *Merſeburgenſe* III. Aperta confeſſio Moguntini contra ſe pro iure Hildeſemii. 1029. In *Palithi* II. Provinciae Moguntinae. Eadem cauſſa denuo reſuſcitata, denuo ſopita. 1029. *Paderbornenſe* VII. Aribo Moguntinus petit facultatem viſendi limina Apoſtolorum, et obtinet. 1030. *Triburienſe* III. Canon unus ſuperſtes de obſervantia verni ieiunii quatuor temporum. Renovatio canonum veterum. Divortium coniugum Ottonis de Suinvord, et Machtildis Poloniae, probatur. 1030. *Cameracenſe* I. Gerardus Epiſc. varios errores confutat, damnat. 1033. *Conſtantienſe* VI. Bern Abbas cogitur uſum Epiſcopalium abdicare. 1036. In *Holthuſen* I. Provinciae Hildeſinae. Hilduinus, Presbyter, ingratus, ab Godehardo Epiſc. reprehenſus; peccatum morte intempeſta luit. 1036. *Trevirenſe* XII. Adalbero praepoſitus S. Paulini varia donat Monaſterio S. Matthiae apud Treviros in conventu celebri. 1037. *Trevirenſe* XIII. 1. Translatio reliquiarum S. Materni. 2. Dedicatio Eccleſiae. 3. Adalberti et Iudithae, Lotharingiae Comitum, donatio facta Eccleſiae S. Matthiae. Adalbero praepoſitus S. Paulini iterum donat Eccleſiae S. Matthiae varia. 1041. *Biſuntinum* I. Archiepiſcopus Biſuntinus confirmat libertatem Murbacenſis Monaſterii. 1041. Monaſterienſe I. Bardo Moguntinus Archiep. conſecrat Suidgerum, Bambergenſ. epiſcop. poſt Clementem II. Rom. Pontif. 1041. Romanae Synodi Encyclica, de canonizato Simeone, recluſo Trevirenſi ad Epiſcopos Teutonicos. 1044. *Conſtantienſe* VIII. Pax generalis a Rege omnibus indulta et promulgata. 1047. *Conſtantiae* IX. Clemens II. Pp. canonizat S. Wiboradam. 1047. Germaniae loco incerto. Henrici III. Regis edictum contra Simoniam collaudantibus Epiſcopis. 1048. *Wormatienſe* XV. Concilium. Bruno, Tullenſis Epiſcopus, ab Imperatore conſtituitur Romanus Pontifex, coram Legatis Romanis et Epp. 1049. Romani Concilii ſynodica Leonis IX. de primatu Eccleſiae Trevirenſis. 1049.

Gertrudis. Decretum a Rege et Ep[illegible] ...defridus Andegavetſi is liberam ducat, ſervos m[illegible] 2. Bardo, Archi-
XVI. De illicito coniugio i[illegible] ...us Romanae Eccleſiae.
1019. *Bambergae* II. P[illegible] ...nizata. 4. Sibico, Spiren-
legia donata nova[illegible] ...acrilegam communionem. 5.
*dislariae* I, C[illegible] 6. Fuldenſis Abbatiae exemtio
meradi. [illegible] ...mine. 7. Ieiunium banni inſtitui-
ſis Er[illegible] ...omanum Concilium canonizat S. Gerar-
ſub [illegible] ...n Epiſcopum. Synodica ad cunctos Ec-
p[illegible] 1050. *Tullenſe* IX. Elevatio corporis S.
[illegible] Leonem IX. Papam. 1051. *Auguſtanum* II.
[illegible] Archiepiſc. Ravennatis, increpatio et poena.
[illegible] *Goslarienſe* III. Manichaeorum ſectatores puniti.
[illegible] *Ratisponenſe* VII. Beati Wolfgangus et Erardus a
Leone IX. Pp. canonizantur. 1052. *Wormatienſe* XVI.
Papa in gratiam Archiep. Moguntini Lectorem ſuſpenſum ab officio rehabilitat. Concambium inter Leonem IX. et Henricum III. locorum in Italia cum Germanicis locis. 1052. *Babenbergenſe* III. Lis inter Wurceburgenſem et Bambergenſem Eccleſiam ſatisdando finitur. Iura Bambergae Eccleſiae a Leone IX. firmantur et ampliantur. 1053. In *Gotzeck* (Halberſtadienſis Dioeceſis) in quo Albertus, Bremenſis Archiepiſc. ex ſuo et fratrum patrimonio Monaſterium fundat, probantibus Epiſcopis. 1054. *Moguntinum* XIX. Gebehardus, Aiſtetenſis Epiſcopus, in locum S. Leonis IX. Pp. Romani defuncti ſurrogatur. 1055. *Leodienſe* VII. Theodericus, Laubienſis Monachus, eligitur Abbas S. Huberti. 1057. *Colonienſe* VIII. Mediante Victore II. Pp. pax inter Henricum IV. et Lotharingiae Duces ſtabilitur. 1058. *Bambergenſe* IV. Fines decimationum inter Wurceburgenſem et Bambergenſem Eccleſias. 1059. *Halberſtadenſe* I. De reſtituendis decimis Hersfeldenſi Monaſterio ablatis, indictum, ſed non celebratum Concilium. 1060. *Baſilienſe* Conciliabulum. Cadoli ſeu Honorii II. Antipapae electio. 1061. *Slesvi-*

*Sleſvicenſe* I. indictum ab Adalberto Hammaburgenſi Metropolita. Actio: 1. Suenonis, Daniae Regis, conciliatio cum hoc Archiepiſcopo. 2. Qualitates neceſſariae in novis per Daniam erigendis Epiſcopis ponderantur. 3. Modus propagandae fidei in his regionibus examinatur, et ad quos Epiſcopos referendi populi ad fidem converſi? 1062. *Auguſtanum* III. ſeu Osborienſe. Alexandri III. legitimi Papae electionem, Rex et Epiſcopi, mediante Annone, Archiepiſc. Colon. approbant. 1062. Diſceptatio Synodalis inter Regis Advocatum et Romanae Eccleſiae Defenſorem, transmiſſa ad Synodum Osborienſem. 1062. S. *Petri* Damiani Epiſtola ad Annonem, Archiepiſc. Colon. quod Henricum puerum Regem praeclare tutatus ſit, quod Cadolum Antipapam repreſſerit; rogat, ut generalis Conventus procuretur extinguendo ſchismati opportunus. 1063. *Ultraiectinum* I. Concordia inter Wilhelmum, Epiſc. et Regimbertum, Abbatem Aſpernacenſem, Synodali banno firmata. 1066. *Triburienſe* IV. Bremenſis Archiepiſcopus aula et regni adminiſtratione ab Epiſcopis et Proceribus abire cogitur. 1067. *Trevirenſe* XIII. Richerius, Diaconus in Eccleſia Virdunenſi, beneficium acquiſiviſſe mala fide, convictus eſt. 1069. *Wormatienſe* XVII. Deliberatio Regis et Epiſcoporum de divortio Reginae. 1069. *Moguntinum* XX. Divortium Reginae a Rege Henrico IV. praetenſum, reiiciunt Legati Romani Pontificis, Epiſcopi et Proceres Germaniae. 1071. *Moguntinum* XXI. Caroli, Conſtantienſis Epiſcopi, accuſatio. Decernitur relatio Papae facienda. 1071. *Sigifridi*, Moguntini Archiepiſc. narratoria ad Papam Alexandrum II. quanta paſſus ſit ob dilatam Caroli conſecrationem. 2. Bello impediri Concilia. 3. Rogat, ne Papa abſolvat vel ordinet Conſtantienſem Carolum Metropolitano inaudito. Eiusdem alia narratoria ad Papam, de actis Concilii Moguntini. 1072. *Tullenſe* IX. confirmat bona Abbatiae S. Apri ab anteceſſoribus data. 1073

*Erphes-*

*Moguntinum* XVIII. Acta: 1. Citatur God... archiepiſcopum
venſis Comes, ob captum Epiſcopum. ...eldiae et Fuldae.
epiſcop. Moguntinus, fit Legatus ...neoderici, Abbatis S.
3. Vita S. Servatii lecta et canon... ...onniſi orationis cauſſa et
his Epiſcopus, punitur ob ſac... ...erit. 1074. *Gregorii* VII.
Varia ſtatuta de Clericis. ... Trevirenſi Archiep. ſcripta, ut
ratificatur cum moder... ...em Epiſcopum, ſuffraganeum ſuum,
tur. 1050. Re... ...ſpiciat; dein in Synodo mores Epi-
dum, Tullenſe... ...inquirat. 1074. *Gregorii* VII. Pp. Epi-
clesiae filios ... ...nricum Regem. Gratum habet, quod Lega-
Gerardi ... ...olicos benigne acceperit. Monet Conſiliarios ſi-
Hum... ...hibendos: Mediolanenſi Eccleſiae ius ſuum reſti-
1... ...dum. Epiſcopos vocatos ad Synodum venire faciat
...cum Caeſareis Legatis. 1074. Nuremburgenſis Con-
ventus Regis Henrici IV. et quinque Legatorum Pontifi-
ciorum. 1. Regi poenitenti de Simoniacis collationibus
Eccleſiarum abſolutio promiſſa. 2. Legatis petentibus in-
dictionem Synodi in Gallia, in qua de Clericis Germaniae
accuſatis iudicetur: denegatum id ab Epiſcopis. Mogun-
tinus et Bremenſis ſe Legatos Papae profeſſi ſunt. Lie-
mari Bremenſis ſecuta ſuſpenſio. 1074. *Paſſavienſe* I.
Altmanno Epiſcopo promulgante decreta Synodi Romanae
de continentia Clericorum, ſecuta vehemens oppoſitio.
1074. *Tullenſe* X. Pibo Epiſcopus componit litem inter
Widonem Abbatem, et Odelricum Militem de praedio
Paini villae. 1074. *Gregorii* VII. Pp. Epiſtola increpa-
toria ob Simoniam ad Dietwinum Epiſc. Leodii. Monet,
ut fornicationem a Clero extirpet, nec iniuriam Abbati
S. Huberti inferat. Moguntini Sigifridi epiſtola ad Suffra-
ganeos ſuos encyclica, de decretis Synodi Romanae pro
continentia Clericorum. 1074. *Erfurdienſe* III. Sigifri-
dus, Archiep. Moguntiae, iuſſu Papae, promulgat decreta
Synodi Romanae contra Clericos ſimoniacos et coniuga-
tos. Curienſis Epiſcopus Nuntius a Synodo ad Papam.
1075. *Ratiſponenſe* VIII. Bennoni, Oſnabrugenſi Epiſco-
po,

po, reſtituuntur decimae a duobus Monaſteriis Corbejae et Herveldiae detentae. 1075. *Gregorii* VII. Pp. Commiſſoria ad Annonem, Archiepiſc. Colon. ut cauſſam inter Osnabrugenſem Epiſcopum et Abbatem Corbejenſem deniat, aut ad Synodum invitatos audiat: Clericis caſtitam ſervandam inculcet. Eiusdem Papae ad Liemarum ...menſem Archiepiſc. increpatoria, ob varias cauſſas ſu...dit eum ab officio, dum ad Synodum Romam veniat. ...5. *Paſſavienſe* II. Litterae Romanae ad Altmannum ...iſc. ſcriptae, de Clericorum coelibatu praeleguntur et commendantur. 1075. *Gregorii* VII. Pp. Epiſtola ad Annonem, Archiepiſc. Colon. de decretis Synodi Romanae in Synodo ſuae provinciae praelegendis et commendandis. 1076. *Wormatienſe* Conciliabulum, in quo Gregorio VII. legitimo Papae obedientia denegatur, et Nuntii Romam mittuntur teſtes ſuae perduellionis. Exitus Conciliabuli huius. Alia relatio eiusdem Conciliabuli. 1076. *Ulmenſe* I. Epiſcopi et Proceres Germani Gregorio VII. adhaerentes ſtatuunt, Triburiam convenire pro pace Eccleſiae reſtituenda, miſſis Encyclis ad omnes Germaniae Epiſcopos. 1076. *Triburienſe* V. Novem Archiepiſcopi, Abbates et Proceres, reconciliantur Pontifici Gregorio VII. Rex Henricus poenitentiam ſimulans, ſub conditionibus veniae ſpem impetrat. Tullenſis et Spirenſis Epiſcopus Romam tendunt. 1076. *Tullenſe* XI. Pibo, Epiſc. Eccleſiam S. Mariae, a Sophia Comitiſſa exſtructam, a ſe dedicatam, cum variis bonis olim ſynodaliter laudatis confirmat. 1076. *Colonienſe* IX. Hidolphus, Archiep. Colon. monitu Papae praedium Cloteno Monaſterio Blauweilerenſi reſtituit. 1076. *Colonienſe* X. Viperti blaſphemi miraculoſa ſanatio coram teſtibus in Concilio probatur. 1077. *Canuſiae*. Promiſſa iurata et oblata Gregorio VII. ab Henrico IV. Rege, coram teſtibus. 1077. Moguntini *Sigifridi* Archiepiſc. Epiſtola ad Papam, de difficultate cogendi Concilii. 1078. *Gregorii* VII. Papae

*Erpheſphurtienſe* II. Partitio [illegible] contra Simoniacos et Moguntinum inter et [illegible] quintam Romanam anni 1074. *Leodienſe* V[illegible] Ottonem, Conſtantiae Epiſc. Huberti, quo[illegible] celebrata. Eiusdem ad Principes et cum li[illegible] Rudolpho an Henrico Imperium de- Pr[illegible] 1079. *Ultraiectinum* IV. Wilhelmus Epiſc. [illegible] excommunicationem Papae Gregorii VII. [illegible] punitur. 1080. *Virdunenſe* III. indi- [illegible] a Papa Gregorio, ob iniuriam Epiſcopo Leodienſi il- [illegible] a Comite Arnulpho. Eiusdem Papae epiſtola ad Henricum, Epiſcop. Leodii, de eadem cauſſa. 1080. *Moguntinum* Conciliabulum contra Gregorium VII. 1080. *Brixinenſe* Conciliabulum. Gregorii Papae depoſitio, et Guiberti, Ravennatis Archiepiſcopi, novi Anti-Papae electio attentatur a Rege, et 30. ſchismaticis Epiſcopis. 1080. *Saltzburgenſis* Archiepiſc. Gebhardi ad Hermannum, Metenſem Epiſcopum, informatoria epiſtola, de perſona electi Antipapae Guiberti, ſub nomine Clementis III. 1081. Colloquium in Sylva Capuana prope Viſurgim Epiſcoporum Catholicorum cum Schiſmaticis. Gebhardi, Saltzburgi Archiep. Apologia pro Gregorio VII. 1081. *Gregorii* VII. Papae Reſponſoria ad varias quaeſtiones ab Altmanno, Pataviensi Epiſcopo, propoſitas. 1082. In *Perſteſtat*, Thuringiae loco, colloquium Epiſcoporum, hinc Gregorio VII. inde Henrico IV. faventium. Re infecta diſceditur. 1083. In *Gerſtungen* ſimile colloquium, nullo fructu. 1085. *Quintilinoburgenſe* IV. Concilium Hermanni Anti-Regis electi et Legatorum Papae et Epiſcoporum. Canones XI. ſtatuti. 1085. *Moguntinum* Conciliabulum, oppoſitum Quintilinoburgenſi Concilio ab Henrico IV. quatuor Archiepiſcopis, decem Epiſcopis, Guiberto Antipapae faventibus, quaſi paria relaturis Concilio Catholicorum. 2. Gebhardo, Pragenſi Epiſcopo, reſtituitur Moraviae Eccleſia, aliquanto tempore ſubtracta. Eiusdem Concilii alia relatio. *Hermanni*, Spirenſis Epiſc. Invita-

Invitatoria ad Epiſcopos Longobardiae ad Moguntinum Conciliabulum. 1087. *Ultrajectinum.* Huius Eccleſiae ſtatuta confirmat Conradus Epiſc. 1087. Prope *Spiram* Colloquium Principum Germaniae Eccleſiaſticorum et laicorum, ſuadentium Henrico IV. pacem cum Papa et Eccleſia catholica. Nullo effectu. 1087. *Bambergenſe* V. Revindicatio decimarum huic Eccleſiae debitarum. 1087. *Aquisgranenſe* XXVII. Eccleſia S. Servatii Traiecti ad Moſam ſoli Pontifici et Imperatori ſubeſt. Nominationem Praepoſiti liberam habet Advocatia ſolius Regis. 1088. *Trevericum* XIV. Cella S. Dagoberti Görzienſi Monaſterio reſtituitur. 1089. *Urbani* II. Pp. Epiſtola, qua Gebhardo Conſtantienſi Epiſcopo Legationem Apoſtolicam per Germaniam delegat. Continet Canones VI. 1090. *Atrebatenſe* II. Concilium. Deciditur lis inter Canonicos huius Eccleſiae, et S. Vedaſti Monachos, ob paroecias. Pactum concordiae refertur. 1090. *Tullenſe* XII. Pibo Epiſc. Spinalenſi Abbatiſſae adiudicat Capellam de Barney. 1091. *Tullenſe* XIII. Pibo Epiſc. ratificat donationem factam Abbatiae S. Leonis. Fundatio Monaſterii S. Leonis in urbe Leucorum. 1093. *Heiligenſtadii* I. (Provinciae Moguntinae) Ruothard, Archiepiſc. Moguntinus, confirmat fundationem coenobii in villa Miminde, et dotat. 1093. *Ulmae* II. Liga catholica contra Schiſmaticos. 1094. *Conſtantienſe* IX. De Eccleſiae pace, de moribus, et ieiuniis ſtatuta. 1097. *Atrebatenſe* III. Privilegium Eligiani montis Coenobii confirmat Lambertus Epiſcopus. Varia donat Monachis Arroaſianis. 1099. *Urbani* II. Epiſtola Canonica ad Pibonem, Tullenſem Epiſcopum.

*Digreſſio ad Saeculum Undecimum.* I. De praefationibus, quas Synodographi praemittere ſolent. II. De Canoniſtis Germanis huius Saeculi, qui pro Gregorio VII., qui pro Henrico IV. ſcripſerint. III. De Hiſtoriographis Gregorii VII. et Henrici IV. IV. De haereſibus hoc Saeculo iactatis. An omnis vendens rem ſpiritualem

pretio temporali ſit haereticus? V. An omnis Clericus peccans contra caſtitatem ſit haereticus, et Nicolai ſectator? VI. An inveſtitura beneficii per laicum facta ſit haereſis? VII. An Wezelonis Moguntini Archiepiſc. opinio ſit haereſis? VIII. An adhaerentes Gregorio VII. et eiurantes Guibertum Antipapam ſint periuri in Regem? IX. An Gregorius VII. primus introduxerit coelibatum in Clero? X. Quid de Sigeberti Gemblacenſis criſi ſit ſentiendum? XI. An absque aſſenſu Regis nemo acceperit Papatum a longis temporibus? XII. De auctore et cauſſa ſchiſmatis Guibertini. XIII. De ieiuniorum diverſo ritu in diverſis Eccleſiis et diverſis temporibus, XIV. De gradibus conſanguinitatis diverſimode diverſis aetatibus et locis computatis. XV. Cur Colloquia Saeculi XI. inter Concilia interſeruerimus?

*Saeculum XII. Aerae Chriſtianae.* 1101. *Colonienſe* XI. Concilium. Praedium Prumisfeld Prumienſi Coenobio reſtituitur. 1103. In *Werda* Caeſaris haec conciliaris ſententia executioni mandatur. 1103. *Colonienſe* XII. Fridericus, Archiepiſc. Werthinenſis, Coenobii Privilegia confirmat. 1103. *Paderbornenſe* VII. Henricus Epiſc. donationes Abdinghovio Coenobio factas confirmat. 1104. *Colonienſe* XIII. Fridericus Archiepiſc. dona Eccleſiae B. V. M. ad gradus ratificat. 1104. *Ratisbonenſe*, IX. Determinatur ſervitium Advocato dandum in placito. 1104. Romae Concil. Bruno Trevirenſis Archiepiſc. depoſitus, ob inveſtituram a manu laica acceptam, ad preces Coepiſcoporum reſtituitur. 1105. *Northuſanum*, ſub Gebehardo Saltzburgenſi et Rothardo Moguntino Praeſidibus. 1. Condemnatur Simoniaca haereſis. 2. Et fornicaria coniunctio Clericorum. 3. Statuitur ieiunium hebdomada Pentecoſtes celebrandum. 4. Pax Dei confirmatur. 5. Reconciliatio conſecratorum a Pſeudo-Epiſcopis. 6. Henricus V. Rex iura ſua omnibus renovat.

novat. Profitetur obedientiam erga Patrem ſuum. Epiſtola Rothardi Moguntini ad Halberſtadienſem Clerum. Annaliſtae Saxonis ad Northuſanum Concilium additamentum. 1105. *Tullenſe* XIV. Pibo Epiſc. confirmat poſſeſſiones S. Gangulphi eiusdem urbis cum conſilio Cleri et populi. 1107. *Trevirenſe* XV. Archiepiſc. Abbati Helmwardeshuſenſi dat corpus S. Modoaldi in Saxoniam deferendum. 2. Epiſtola Abbatis ad ſuos de reliquiarum advectione. 3. Springirsbacenſis Abbatia canonica fundatur. 1109. *Colonienſe* XIV. Donationes factae Eccleſiae S. Severini Archiepiſc. banno confirmat. 1110. *Colonienſe* XV. Sanctitas Guiberti Gemblacenſis Abbatis examinatur, et Canonizatio decreta. 1110. *Magdeburgenſis* III. Synodica ad bellum contra Slavos invaſores Saxonicarum Eccleſiarum. Conventus in Merſeburg indictus. 1110. *Paſchalis* II. Pp. ſcribit Friderico Legato Sedis Apoſtolicae in Germaniam, de introducenda ubivis correctione. 1111. *Henrici* V. Edictum, innixum praevio concordato inter ipſum et Papam ineundo, ſed non inito. 1111. 12. Februarii. Charta conventionis inter Papam Paſchalem et Regem Henricum. 1111. *Paſchalis* II. Pp. Decretum praetenſum, ſed non datum executioni. Alia eiusdem editio a Petro Diacono. 1111. Menſe Aprilis: in caſtris ante urbem Romam Concordatum II. inter Paſchalem II. Papam et Henricum V. Regem. 1111. 4. Aprilis. Decretum primum Paſchalis II. de inveſtituris conceſſis. 1111. *Lateranenſis* Concilii Decretum, quo Paſchali II. extortum Privilegium, Henrico Regi conceſſum, revocatur, caſſatur, damnatur. 1111. *Argentinenſe* I. Pro tuendis bonis Canonicorum et Monachorum. 1111. *Tullenſe* XV. Adiudicat prioratum Fondonenſis Cellae Abbati Cluniacenſi, contra Abbatem Mediani Monaſterii. 1112. *Trevirenſe* XVI. Errores Berengarii ſectatorum in hac Dioeceſi detecti et damnati. 1113. *Colonienſe* XVI. Iudicium Synodale de Haeretis graſſantibus. Epiſtola

Traiectenſis Eccleſiae ad Fridericum Metropol. Colon. de iis. 1113. *Henrici* V. Epiſtola nuntia pacis inter Papam et ſe initae. Accuſatoria Legatorum Apoſtolicorum. 1115. *Goslarienſe* IV. Pro legitimis Epiſcopis dignoſcendis, contra ſchiſmaticos Epiſcopos a ſedibus expellendos. 1115. *Herbipolenſe* I. Swartzacenſis Abbatiae bona confirmantur, contra praetenſiones Kitzingenſis Monaſterii. 1116. *Tullenſe* XVI. Cella Caſtiniaci S. Apro donata confirmatur. 1116. *Colonienſe* XVII. Iteratur fulmen Pontificium in Regem per Legatos Apoſtolicos. 1118. *Colonienſe* XVIII. De eadem cauſa iterata promulgatio. 1118. *Goteſcalci*, Oſnabrugenſis Epiſc. Nuntiatoria ad Fridericum, Colon. Metropolitam, de invaſore Eccleſiae Leodienſis Alexandro. 1118. *Fritislariae* II. Coram Legato Pontificio, Epiſcopi accuſant S. Norbertum: huius Apologia. 1118. *Adalberti*, Archiep. Moguntini, Commonitoria ad Canonicos Wurtzburgenſes, pro pace et concordia cum Eccleſia contra ſchiſma. Eiusdem argumenti ab eodem ad Bambergenſes et Auguſtenſes. 1119. *Colonienſe* XIX. Iterata promulgatio anathematis contra Regem. 1119. In Monaſterio *Cornelii ad Indam* (Provinciae Colon.) pro legitimo Epiſcopo Leodienſi Friderico, ſubrogando in locum Alexandri Simoniaci depoſiti. 1119. *Calixti* II. Pp. Invitatoria Friderici, Archiepiſc. Colonienſis, ad Remenſe Concilium. 1119. ad 1120. *Triburiae*, *Argentinae*, *Verduni*, *Metis*, Moſomi Conventus varii Epiſcoporum et Procerum, pro concordia Henrici V. cum Papa Calliſto II. ſummarie deſcripti. 1120. *Halberſtadienſe* IV. Fundatio Monaſterii Schoeningenſis, approbata ab Epiſcopo. 2. Monaſterii Kaldenbrunnenſis confirmatoria ab Epiſcopo. 1120. *Cuno* Cardinalis Praeneſtinus ſcribit Friderico Colon. Archiepiſc. Regem poſſe excommunicari. 1120. *Halberſtadienſe* V. Iterata confirmatio dotis eiusdem Schoeningenſis Monaſterii per Reinhardum Epiſc. 1121. *Colonienſe* XX. Philip-

Philippus, Archiepiſc. Colon. introducit Canonicos Regulares in domum Steinfeld, a Comite de Are aedificatam, in celebri Conventu Cleri et populi. 1122. *Tullenſe.* XVII. Riquinus, Epiſc. Tulli, approbat Prioratum S. Dodonis Monaſterio S. Apri donatum, ab anteceſſore conſecratum. 1122. *Wormatienſe* XIX. indictum Herbipoli, ſed Wormatiae celebratum. Synodica huius Concilii ad Calixtum II. Pp. Adalberti Moguntini Archiepiſc. *Concordatum* inter Calixtum II. et Henricum V. quo renuntiatur Inveſtiturae Regiae per annulum et pedum: conceditur ſelectio libera omnibus Eccleſiis Regni et Imperii: Poſſeſſiones et regalia S. Petri praeſentia ſalva ſint, et ablata reſtituenda, uti et poſſeſſiones aliarum Eccleſiarum: demum datur pax vera Papae et Romanae Eccleſiae. Papa viciſſim profitetur Henrico Regi, Epiſcoporum et Abbatum Regni ſui electiones in praeſentia Regis faciendas: Electos per ſceptrum a Rege regalia recepturos: homagium Regi faciendum pro indipiſcendo iure regalium: demum pax et iuſtitia promittitur. Aliud eius Concordati exemplum. Callixti II. Papae litterae de facta hac reconciliatione cum Rege ad Henricum. Lis inter Rokkerum a Clero Wurceburgenſi electum, et a Gebehardo inveſtitum, ab Henrico V. pro eodem Epiſcopatu utcunque ſopitur. 1122. *Moguntinum* XXIV. Eccleſia Parochialis in Gensheim a Burchardo Abbate S. Iacobi traditur Folmaro. 1123. *Lateranenſe*, primum in occidente generale, ſed inter Generalia Catholicae Eccleſiae nonum, ratificat concordatum inter Calixtum II. et Henricum V. Regem initum. *Friderici* I. Archiepiſc. Colon. ad Eccleſiae Leodienſis Praelatos, vetat, ut ne intruſum per Simoniam, nominatione Regia, in Epiſcopum recipiant. Eiusdem ad Clerum Leodienſem de eadem cauſa. Eiusdem ad eundem contra praecipitem electionem Alexandri: vocat eosdem ad Synodum. 1123. *Tullenſe* XVIII. Approbat concordiam pactam inter Lanzonem, Abbatem S.

Michae-

Michaelis et Abbatiſſam Laudonenſem. 1124. *Bambergenſe* VI. 1. Pacantur Principes. 2. Otto Epiſc. valedicit, praedicaturus Evangelium Pomeranis cum Papae aſſenſu. 3. Dona facit coenobio S. Michaelis. 1124. *Leodienſe* VII. Albero, Epiſcopus, Eccleſiam Cornelii montis confirmat. 1125. *Monaſterienſe* II. Theodericus, Epiſc. Monaſt. Cappenbergenſe Monaſterium Ord. Praemonſtrat. confirmat. 1125. *Moguntinum* XXV. Lotharius, Saxoniae Dux, ab Epiſcopis, Ducibus, et Comitibus, qua fautor et promotor Catholicae unitatis, Rex eligitur. *Adalberti*, Mogunt. Archiepiſc. invitatoria ad Ottonem, Bambergae Epiſc. ad Synodum pro cauſſa Gebehardi, Herbipolis Epiſcopi, denuo ventilanda. 1126. *Argentinenſe* II. in quo cauſſa Gebehardi reaſſumitur. 1126. *Magdeburgenſe* IV. Dedo, Comes, uxorem Bertham, repudiatam iudicio Epiſcoporum recipit, et ſolvit votum viſitandi ſepulchri Domini. 1127. *Wormatienſe* XX. iuſſu Honorii II. ad inſtantiam Cleri Treverici Epiſcopi ſui vitioſam electionem accuſantis, celebratum. 1127. *Moguntinum* XXVI. Coenobio S. Diſibodi decimae frugum dandae definiuntur. 1128. In *Uzedum* Pomeraniae Concil. ſub Ottone Apoſtolico Praecone, in quo Neophyti baptizantur et docentur. Sermo dogmaticus S. Ottonis. 1128. *Herbipolenſe* II. Excommunicatur Conradus Dux Anti-Caeſar. 2. Gebehardus Wurzeburgenſis iterum excommunicatur. 3. Uthalricus Abbas Fuldenſis deponitur. 4. Embrico Epiſc. fundat coenobium Cellae ſuperioris. *Adalberti*, Archiepiſc. Moguntini, epiſtola de cauſſa Wirziburgenſis Eccleſiae ad Bambergenſem. 2. Honorii II. Papae ad Adalbertum de eadem cauſſa. 1127. *Halberſtadii* Epiſcopi, Ottonis, in variis Synodis *Moguntiae*, *Romae*, *Piſis*, *Leodii*, accuſatio, abſolutio, ac demum depoſitio. 1127. In *Lauffen* (Provinciae Saltzburgenſis) Ellenhardus, pridem defunctus Epiſcopus Friſingenſis, declaratur in pace Eccleſiae defunctus fuiſſe. 1130. *Moguntinum*

XXVII.

XXVII. Ad quam Adalbertus Archiepiſc. invitat Ottonem Bambergenſem in cauſſa Gebehardi Herbipolenſis. *Honorii* II. Decretalis, de Gebehardo non reſtituendo. *Adalberti* Archiepiſc. ad Herbipolenſes. *Innocentii* II. ad Adalbertum, pro eodem Gebehardo excuſando. *Adalberti* Mogunt. reſponſoria ad Papam, quod Gebehardus canonice ſit excommunicatus: refutantur ea, quae Innocentio II. ſub et obrepta fuerunt. 1130. *Herbipolenſe* III. Innocentius II. Papa, Regis, et omnium voto eligitur et confirmatur. *Innocentii* II. Pp. Litterae ad Lotharium Regem, quibus eum Romam invitat. *Gualterii*, Ravennatenſis Archiepiſc. et Gerhardi Cardin. litterae ad Ottonem Epiſc. quibus eum ad Herbipolenſe Concilium invitant. *Anacleti* II. Antipapae litterae ad Lotharium Regem. 1131. *Leodienſe* VIII. 1. Innocentius II. Papa magna cum reverentia excipitur a Rege et Epiſcopis. 2. Regem et Reginam corona regia inaugurat. 3. Repetiturus Rex inveſtituras, a S. Bernhardo Abbate ſedatur. 4. Petrus Leonis, ſeu Anacletus II. Antipapa, et alii hoſtes Regis excommunicantur. 5. Otto Halberſtadenſis ſedi ſuae reſtituitur. 6. Interdictum coniugii pro Presbyteris, et aſſiſtendi Miſſis coniugatorum. 7. Vita S. Godehardi legitur, ſed differtur Canonizatio ad Synodum generaliorem. 8. 9. Cameracenſis et Virdunenſis Epiſcoporum inſtitutio. 10. Adiicitur confutatio Petri Diaconi falſae aſſertionis. 1131. *Lotharii* Regis diploma pro Eccleſia Leodienſi S. Ioannis, in hoc Concilio datum. *Innocentius* II. Pp. confert Lothario et Richezae allodium Comitiſſae Mathildis ſub certa limitatione. *Lotharii* edictum caſſans Petri Leonis Antipapae electionem. 1131. *Moguntinum* XXVIII. Bruno reſignat Epiſcopatum Argentinenſem. 1131. *Treviricum* XVI. De eligendo ſucceſſore Maginheri defuncti Archiep. eadem cauſſa Leodii, Moguntiae, et Remis agitata. 1131. *Hildeſianum* II. Admittitur fundatio praepoſiturae Richenburgenſis Canonicorum, et probatur. 2. Electio Praepoſiti

Dddd con-

conceditur fratribus concordibus, alias Epiſcopo. 3. Sub regimine Epiſcopi ſuhto. 4. Electio advocati conceditur fratribus. 1132. *Aquisgrani* XXVIII. Lotharius Rex Eccleſiae S. Servatii Traiectenſis ad Moſam varias praerogativas concedit, prae Mariana Baſilica, tunc Epiſcopali. 1132. *Hildeſinum* III. Accepta notitia canonizati Remis S. Godehardi, elevatur eius corpus et transfertur ad publicam venerationem. 1132. *Colonienſe* XVII. Bruno electus prae competitore electo a Clero et populo, praefertur Regis et Concilii iudicio in hac cathedra. *Romanum* in Synodo: Paderbornenſi Epiſcopo uſus rationalis. S. Norberto Magdeburgico ius primatus: Bertholdo, Fuldenſi Abbati, uſus mitrae, conceduntur. 1133. *Herbipolenſe* IV. Confirmatur electio Epiſcoporum Henrici Ratisponenſis, Valteri Auguſtenſis, Adalberonis Baſileenſis, in locum degradatorum. 1135. *Trevericum* XVII. Deciditur controverſia inter Eccleſias Cardonenſem et Steinveldenſem, de decimis in villa Elenze. 1135. *Auguſtanum* IV. Coenobium Kaysheim fundatum, a Concilio ratificatur. 1135. *Virdunenſe* IV. Albero, Epiſc. Virdun. introducit Canonicos Praemonſtratenſes in Monaſterium S. Pauli Virdunenſis. 1135. *Bambergae* VII. Fridericus Sueviae Dux, reconciliatur Imperatori interventu Epiſcoporum. 1135 *Magdeburgenſe* IV. Conradus, Archiep. Magdeburg. confirmat Monaſterium gratiae Dei ordinis Praemonſtratenſis. 1136. *Wurceburgenſe* V. Eccleſia in Aſchabach fit Parochialis. 1136. In *Rietol* (Trevericae Provinciae) Concordia inter Henricum Tullenſem Epiſc. et Fridericum Comitem Tullenſem initur. Eam ratificat Innocentius II. Papa. 1136. *Tullenſe* XX. Donationes factae Abbatiae S. Manſueti, a Ducibus Lotharingiae confirmatae in Concilio. 1137. *Wurceburgenſe* VI. Embrico Epiſc. confirmat donata Monaſterio B. M. V. in Ebera. 1137. *Halberſtadii* VI. Reinhardus Epiſc. donationes ab Anteceſſore factas Schoeningenſi Coenobio, ratas habet. 1138.

*Colo-*

*Colonienſe* XVIII. Provinciale. Deciditur proedria inter Bonnenſem et Xantenſem Praepoſitos, Archi-Diaconos, in Conciliis obſervanda. 1138. *Trevericum* XVIII. Adalbero Archiep. admittit primum Praepoſitum Coenobii in Arnſtein. 1140. *Magdeburgenſe* VI. Almersloviensis Monaſterii ſtatus, mutatio, dedicatio, Abbatis benedictio, confirmatio. 1140. *Ratisponae* XII. Solus Friſingae Epiſcopus habet iurisdictionem in Miniſteriales Eccleſiae ſuae, non Palatinus de Witiliſpach. 1140. *Friſingae* XVIII. Otto, Epiſc. Friſingenſis, introducit Canonicos Praemonſtratenſes in Scheftlarn. 1141. *Saltzburgi* III. Conrado, Moguntino Archiep. qua Legato Apoſtolico demandatur recognitio actorum Ratisponae contra Pabonem, Abbatem S. Emmerani. 1142. *Trevirenſe* XIX. Alberoni, Archiep. Trevir. traduntur litterae Pontificiae, ſed reiiciuntur. 2. Abbas Springirsbacenſis inveſtitur de Eccleſia Keilneta. 3. Oppido cellarum detur curio. 4. Eccleſiae Elrae matrici reſtituitur ius decimarum. 5. Auguſtiniani Eremitae in Vallendra collocantur. 6. Epiſtola apologetica S. Bernardi Abbatis pro Alberone Trevirenſi, contra appellationes ad Curiam Romanam. 1143. *Moguntinum* XXIX. *Provinciale*. Componit litem inter Abbates Erfordienſ. et Diſibodeberg. 1143. *Friſingae* XIX. Otto, Epiſc. Friſing. fundat Monaſterium Praemonſtr. novae Cellae. 1143. *Spirenſe* I. Dioeceſanum. Limburgenſi Coenobio Neoburgenſis praepoſitura confertur et incorporatur. 1145. *Leodienſe* IX. Adalbero Epiſcopus ratificat tranſitum Eccleſiae Alnenſis a communi Clericorum vita ad profeſſionem canonicae regulae S. Auguſtini. 1145. *Hallenſe* I. (Provinciae Saltzburgenſis) Archiepiſc. Saltzburgenſis tractat controverſiam inter Abbates Burenſem et Admontenſem, Monaſteriorum Bavaricorum. 1145. Ex *Romae* praeſentium Epiſcoporum Concilio definit Eugenius III. Papa Canonizationem S. Henrici Imp. examine in Germania praemiſſo: etſi fatetur Canonizationes nonniſi in generalibus Conciliis fieri ſolitas. 1146. *Hildesheimenſe* IV. Bernardus, Epiſc. Hil-

deſii Monaſterium S. Godehardi dotat. 1146. *Cloviens* XIX. Damnantur XI. articuli erronei. 1147. *Franckenfurd.* VIII. Edictum Conradi II. Regis, quo antiqua Corbejenſium et Herivordienſium coenobiorum in Synodis olim conceſſa iura, praeſertim Moguntiae anno 852. confirmat. 1147. *Halberſtadii* VII. Confirmatur fundatio cellae B. Mariae, facta a Tidrico in Quernrod. 1147. *Hildesheimii* V. Bernardus Coenobium S. Bartholomaei Canonicorum regularium ab anteceſſoribus coeptum, auget dote. 1148. *Treverinum* XX. Nationale, coram Eugenio III. Pp. 1. Adventus Papae Trevirim, Dedicatio Eccleſiae S. Matthiae. 2. Archiepiſcopi Moguntiae et S. Bernardi relatio de vita et ſcriptis Hildegardis Monialis. 3. Inquiſitores a Papa et Concilio ad eam miſſi. 4. Litterae Papae ad Hildegardim. 5. Litterae Henrici filii Regis ad Papam coram Concilio lectae. 6. Reſolutio Papae ad tria eius poſtulata. 7. Depoſitio Abbatis Corbeienſis, et Wicboldi Stabulenſis et Corbeienſis abbatis inſtitutio. 8. Relatio incerta de Fuldenſis Abbatis depoſitione. 1149. *Hildesheimii* VI. Recenſitorum bonorum Lambſpringenſis Eccleſiae poſſeſſio aſſeritur, et banno Synodi vindicatur. 1150. *Halberſtadenſe* VIII. in Gatersleve confirmat donatas decimas in Eringerothe Abbatiae S. Michaelis erga cambium duorum manſorum. 1150. *Salisburgi* V. *Ratiſponenſe* XIII. *Bambergenſe* VII. De Octavis feſtorum B. Mariae Virginis: De doctrina Gerhohi Praepoſiti Reicherſpergenſis. 1151. *Metenſe* VIII. Ad hoc Stephanus Papa citat Abbatem Harſterienſem, ut rationem reddat. 1151. *Leodienſe* X. Poſt quod Conradus Rex petit ab Eugenio III. confirmari electionem Hermanni Traiectenſis prae Friderico rivali. Significat eidem, Comitem de Are promtum ad purgandam calumniam coram Synodo. 1152. *Eugenii* III. Pp. declaratoria de nullitate translationis Regiae Guicmanni Epiſc. Citenſis ad Magdeburgenſem Eccleſiam, contra Gerardum canonice electum. 1152. *Colonienſe* XX. Arnoldus Archiepiſc. Colon.

lon. compatitur Wibaldo, quod ob iter ad hoc indictum Concilium vim iniquorum paſſus ſit. Caetera acta latent. 1152. *Conſtantiae* X. Concordatum inter Eugenium III. et Fridericum I. *Gregorii* et *Bernardi* Cardinalium Legatorum invitatoria ad Wibaldum Abbatem, in Wormatienſi et Herbipolenſi Synodis videndum. 1153. *Wormatienſe* XXI. Deponuntur Henricus Archiepiſc. Moguntinus, Henricus Mindenſis, Burchardus Eyſtettenſis, per Legatos Papae coram Friderico. S. *Bernardi* Abbatis Apologetica pro Henrico Moguntino ad Legatos Papae ſcripta. 1153. *Conſtantiae* XI. Divortium Friderici I. et Adelheidis coniugis. 1154. *Auguſtanum* V. Lis inter Eccleſiam Aichenſem et Abbatiſſam de Kuebach decreto ſolemni componitur. 1154. *Halberſtadenſe* IX. Eccleſiae Goslarienſi poſſeſſio in Hanſteete Synodali iudicio attribuitur. 1155. *Turegium* (Conſtantienſis Dioeceſis oppidum) ab erroribus Arnaldi Brixienſis hortatu S. Bernardi liberatum. Arnaldi exitus vitae et errorum. 1159. *Alexander* III. Eberhardo Salisburgenſi Epiſcopo, et aliis, nuntiat violentam irruptionem Octaviani Antipapae in Cathedram Petri ſub nomine Victoris. 1159. *Fridericus* I. Rex monet Eberhardum, Salisburgi Archiepiſc. ut neutri, nec Alexandro III. nec Victori IV. aſſentiatur, ante conſenſum Epiſcoporum Germaniae, Franciae, Angliae. Epiſtola Eberhardi, Bambergenſis Epiſc. ad Eberhardum Salisburg. Archiepiſc. 1159. *Moguntinum* XXX. Concilium, a civibus turbatum. 1160. *Conciliabulum Papienſe* pro Victore Antipapa, cui pauci Germaniae Epiſcopi et Proceres cum Rege adhaeſere, orbe Catholico Alexandrum III. agnoſcente. 1160. *Cremismunſterii* I. (Dioeceſis Paſſavienſis) De Erimberto a duobus Monaſteriis poſtulato Abbate. 1160. *Friſaci* in Carinthia (Salisburgenſis Provinciae) confirmantur et definiuntur decimae inter duas parochias. 2. Doctrina Gerhohi approbatur. 1161. *Erphurdiae* IV. Decernitur Friderico I. Regi auxilium contra

tra Mediolanenſes. 1161. *Franckenfurd.* IX. Excommunicantur interfectores Arnoldi, Moguntini Archiepiſc. 1162. *Magdeburgi* VII. Confirmantur donata Coenobio Nienburgenſi, et commutatio inter Nuenburg et Magdeburg. 1162. Curia Biſuntina. Victor Antipapa a quibusdam acceptatur. Hartwici Bremenſis querelae audiuntur de abſtractis a ſua Synodo Regnis Daniae, Sueciae, Norvegiae. Epiſtolae Friderici I. huc ſpectantes, et Rainaldi, Archiepiſc. Colon. 1163. *Colonienſe* XXI. Cathari aliique haeretici comprehenſi, iudicati, damnati. 1163. *Treuericum* XX. Hillinus Archiepiſc. decidit controverſiam de decimis in Elenze inter Eccleſiam Cardonenſem et Steinfeldenſem. 1165. *Wurceburgi* VI. Curia. Fridericus I. et XL. Archi- et Epiſcopi Paſchalem III. Antipapam eligunt, et manutenendum promittunt. Encyclica ex Curia Herbipolenſi ad Epiſcopos et Praelatos Germaniae. 1165. *Paſſavienſe* II. Pſeudo-Concilium. Epiſcopus et Praelati coguntur iurare fidelitatem Paſchali Antipapae. *Alexandro* Pp. quidam amicus ſtatum curiae Herbipolenſis refert. 1166. *Caroli* M. canonizatio, facta a Paſchali Antipapa coram Friderico I. et Proceribus. 1169. *Herbipolenſe* VII. Heroldus, Epiſc. Herbipolenſ. reſtituit varias decimas Coenobio S. Michaelis Bambergenſi. 1170. *Friſingenſe* XX. Albertus Epiſc. confirmat decimas Coenobio Scheflaren. 1170. Nuremberg. Curia. Exagitantur Praeſules Schiſmati contrarii a Friderico Rege. 1171. *Moguntinum* XXXI. Transactio inter Abbatem de Otterburch et de Enekenbach, propter Allodium Arnoldi in utroque Coenobio Monachi. 1173. *Ultraiectinum* VI. Ordinatio publicae poenitentiae ob Rheni inundationem. 1173. *Coloniae* XXII. Philippus Archiepiſc. Colon. approbat fundationem Monaſterii in Lanckwaden Praemonſtratenſium Monialium. 1174. *Ratisponae* XIV. Friderici I. auctoritate depoſito Adalberto, Saltzburgi Archiepiſcopo, Henricus Praepoſitus Berchtesgadenſis ſurrogatur.

gatur. 2. Alexandri III. caſſatoria actorum in hoc Conventu. Eiusdem mandatum ad Conradum Moguntinum pro irritandis his actis. Eiusdem Papae reprehenſoria ad Capitulum Salisburgenſe. 1175. *Hallenſe* VIII. (Provinciae Magdeburgenſis) Interdictum Torneamentorum. 2. Excommunicatio, et aliae poenae in uſuros hoc ludo. 3. Principes Saxoniae iurant ſe hoc ludo abſtenturos. 1176. *Norimbergae* Conventus. Conradi Salisburgenſis Archiepiſcopi admiranda conſtantia contra ſchiſma Paſchalis Pſeudo-Papae coram Friderico Rege. 1176. In *Lauffen* VII. (Salisburgenſis Provinciae) Fridericus Rex minatur Bavaris Dioeceſibus extrema omnia, niſi ſchiſmatico Paſchali adhaereant. 1177. *Venetiis*. Sacramentum pacis inter Alexandrum III. et Fridericum I. *Alexandri* III. epiſtola ad Richardum, Cantuariae Archiepiſc. de hac pace. *Friderici* I. Confirmatoria huius pacis. 1178. *Hildesheimenſe* VII. Adelogus, Epiſcop. Lambſpringenſis, Coenobii originem et progreſſus rememorans, acceſſiones omnes confirmat. 1178. *Halberſtadenſe in Oſterleve* X. confirmat bona Canonicae Hamersleve. 1179. In *Hochenaur* (Provinciae Salisburgenſis) Provinciale VIII. Schiſma Callixti Antipapae eiuratum. Alexander III. legitimus Papa agnoſcitur. 1179. In Concilio *Lateranenſi* III. Philippus Colonienſis Archiepiſc. ab Alexandro III. cui iuramentum dixit, Pallium obtinuit. 1179. *Germaniae* Epiſcoporum et Principum Epiſtola ad Alexandrum III. Confirmatoria pacis inter Papam et Regem Siciliae. 1179. *Trevirenſe* XXI. Arnoldus Archiepiſc. decimas donatas clauſtro Heimmenrodenſi confirmat, contradicentibus aliis. 1180. *Leodienſe* XI. Radulfi Epiſc. decreta adverſus rerum Eccleſiaſticarum depraedatores. 1180. *Moguntiae* XXXII. Henricus, Archiepiſc. Mogunt. Encyclicam ad omnes Archiepiſc. et Epiſc. Germaniae invitatoriam ſcribit, ut ad Curiam Moguntinam veniant. 1180. *Saltzburgenſe* IX. Diuturna lis inter Salisburgenſem Epiſcopum et Gurcenſes, de electione Gurcenſis Epiſcopi

per

per Commiſſarios Papae dirempta. 1180. *Colonienſe* XXIII. Philippus Archiepiſc. confirmat ſocietatem fratrum in Nuſſia. 1182. *Colonienſe* XXIV. Philippus Archiepiſc. confirmat allodium Hermanni, datum Eccleſiae in Eiffliae Monaſterio. 1183. *Atrebatenſe* IV. Varii haeretici detecti, examinati, convicti, damnati. 1183. *Halberſtadii* XI. Theodoricus Epiſc. confirmat Abbati Lapidis S. Michaelis montem erga cambium duorum manſorum. 1186. *Coloniae* XXV. Canonizatio S. Annonis promulgata. *Alexandri* III. epiſtola ad Philippum, Archiepiſc. Colon. confirmatoria privilegiorum. 1186. *Friderici* I. Imp. et Philippi, Archiepiſc. Colonienſ. colloquium de pace ſtabilienda. 1186. *Geilenhuſenſis* Conventus, de concordia inter Regem, Papam, et Clerum. Exemplar epiſtolae ſcribendae ad Papam ex hoc Conventu. *Conradi* Moguntini idea epiſtolae ſcribendae ad Cardinales pro pace. Ad ſummum Pontificem Epiſcoporum Germaniae. 1186. *Halberſtadenſe* XII. Theodoricus Epiſcopus confirmat Canoniam S. Thomae, Ordinis Praemonſtratenſis. 1186. *Urbani* III. Pp. invitatoria ad Archiepiſc. Colon., ut interſit Concilio Leodienſi a Legato Apoſtolico indicendo. *Bulla* cruciata contra Fridericum Regem. 1187. *Trevericum* XXII. Moſomi celebratum, a Folmaro, Archiepiſc. Trever. contra ſubditos inobedientes. Gregorii VIII. Pp. Monitoria ad Folmarum. 1187. *Colonienſe* XXVI. Provinciale. Philippus Archiepiſc. Colon. confirmat Abbatiam Canonicam Steinfeldenſem Ordin. Praemonſtrat. 1187. *Gregorii* VIII. Litterae ad Henricum, Cardinalem Albanenſem, pro Synodo Leodienſi. 1187. In *Libuitz* (Provinciae Saltzburgenſis) X. 1. Dirimitur lis inter Admontenſes Monachos et Plebanum de Libnitz. 2. Varia dantur Admontenſibus. 3. Praelegitur Privilegium anteceſſorum Saltzburgenſium Archiepiſcoporum, datum Admontenſibus. 4. Adalbertus Archiep. confirmat ius fundatorum Eccleſiae S. Walpurgis. 5. Donat duas Parochias iisdem Admontenſibus.

1188.

1188. *Leodienſe* XII. Simoniacorum Clericorum poenitentia: acceptatio crucis pro militia ſacra. 1188. *Coloniae* XXVII. Archiep. Colon. conſtituitur Legatus Sedis Apoſtolicae contra Fridericum I. 1189. *Paderbornenſe* IX. Widekindus poenitens compenſat damna illata Eccleſiae Paderbornenſi, et relinquit multa, ſi in peregrinatione Ieroſolymitana obierit. 1189. *Halberſtadenſe* XIII. in Gatersleven. Theodoricus, Epiſc. Halb. confirmat donata Eccleſiae Kaldenbornenſi. 1189. S. *Ottonis*, Bambergenſis Epiſcopi, et Pomeranorum Apoſtoli, translatio et elevatio. *Clementis* III. Bulla ad Commiſſarios in cauſſa huius elevationis. Eiusdem Papae ad Clerum et populum Bambergenſem. 1189. *Trevericum* XXIII. Schiſma inter electos Treverenſes Archiepp. ſopitum, ſubſtituto Ioanne I, 1190. *Friſingenſe* XXII. Otto, Epiſc. Friſing. confert Allerhauſen Neocellae Abbatiae Ord. Praemonſtrat. 1191. *Hildeſinum* VII. Berno Epiſc. Hildesh. bona Monaſterii Stederburgenſis Canonicorum Regularium confirmat. 1191. *Moguntinum* XXXIII, Conradus, Archiep. Moguntin. et Cardinalis fundat Praepoſituram Conradsdorffii. 1192. *Tullenſe* XXI. Odonis Epiſc. Canones IX. editi. 1193. *Romano* in Concilio Canonizatio S. Bernwardi, Epiſc. Hildeſemenſis. 1194. *Hildeſinum* VIII. Promulgatio Canonizationis et elevatio corporis S. Bernwardi Epiſc. Hild. Bulla Canonizationis eiusdem Sancti. 1194. *Colonienſe* XXVIII, Adolphus Archiep. in protectionem ſuſcipit Monaſterium Fuſſenich Monialium Ord. Praemonſtrat. 1195. In *Franckvord* X. Edictum Henrici VI. Regis, pro immunitate Cleri a foro laicali. 1195. In *Lauffen* XI. (Provinciae Saltzburgenſis) Adalbertus Archiepiſc. Saliſb. Admontenſis Abbatiae et Hallenſis Praepoſiturae iura et privilegia confirmat. 2. Piligrimum ad reſignandam Abbatiam compellit. 1196. *Moguntiae* XXXIV. Conradus Archiep. concedit facultatem allodialia bona donandi Coenobio Owelsburg, Ciſtercienſis familiae. 1196. *Wormatienſe* XXII. Ludolphus Epiſc. Wormat. ius paſtorale in Bubenheim Abbati Arnſteinio tribuit, et bona in Schwetzin-

gen Coenobio Schoenaugienſi. 1197. *Verdenſe* I. Rudolphus Epiſc. Verdenſis approbat fundationem Coenobii iuxta Buxtehude. 1197. *Colonienſe* XXIX. Adolphus Archiep. Colon. excommunicat Conradum de Blanckenheim, Dominum de Sleida, ob decimas Steinfeldiae Canoniae ablatas. 1198. In *Mulhauſen* eligitur Philippus Suevus, Rex Germaniae. Iuramentum eiusdem in manibus Legatorum Apoſtolicorum et Principum. 1198. *Coloniae* Curia, in qua Otto IV. eligitur. Epiſcoporum et Principum e Conventu Colonienſi litterae ad Papam pro Ottone. Adolphi Archiepiſc. Colon. litterae ad Innocentium III. pro eodem Ottone. 1200. In *Ockersdeven* (Provinciae Halberſtadienſis) XIV. De lite Archi-Diaconi Halberſtadienſis ſopita. 1200. *Romanum* Concilium, in quo S. Kunigundis Imperatrix canonizatur.

*Digreſſio ad Saeculum XII.* I. De ſerie Germaniae Regum et Imperatorum Occidentis. II. Per Capitulum indicari in multis Eccleſiis Concilium Dioeceſeos aut Provinciae. III. De Canoniſtis Germaniae Saeculo Duodecimo. IV. De haereſibus Saeculi XII. et eorum impugnatoribus.

*Saeculum XIII. Aerae Chriſtianae.* 1203. *Paſſavienſe* III. Concilium. De controverſis decimis Parochiae Grieskirchen, inter Dominum Ortolfum et fratres ſuos de Tegernbach. 1204. *Caminenſe* I. De diſcrimine in admittendis mulieribus criminoſis ad Euchariſtiam prae aliis. 1205. *Halberſtadii* XV. approbat exemtionem villae Eylwardesdorp. 1207. *Auguſtanum* VI. Egbertus Epiſc. Bambergenſis a crimine laeſae Maieſtatis ſe purgat. 1208. *Halberſtadii* XVI. Contractus inter Decanum et Canonicos B. Mariae Halberſtadenſis ex una, et IV. Proviſorum fratrum militiae Templi, Synodali banno firmatur. 1208. *Halberſtadii* XVII. 1. Ottonis III. Regis iterata electio. 2. Querelae Eccleſiae Wurceburgenſis de damnis a Philippo Rege illatis. 3. Conradi Halberſtadii Epiſc. deſiderium Epiſcopatus abdicandi, a Legatis Apoſtolicis reiectum. 1209. *Traiecti ad Rhenum* VII. Statuta XVIII. conſenſu Cleri. Lis de iure Patronatus

tus in Brugdamme componitur, et banno Synodali ratificatur. 1209. *Herbipolenſe* VIII. Legatus ſedis Apoſtolicae propoſuit facultatem diſpenſandi ſuper conſanguineitatis impedimento inter Ottonem IV. et Philippi Ducis Sueviae filiam. 2. Abbatis Morimundenſis propoſitio pro ſatisfactione ob diſpenſationem. 3. Ottonis Regis declaratio de matrimonio ineundo. 4. Deliberatur, ſecedente fratre Regis. 5. Lupoldus Auſtriae Dux aperit mentem Concilii. 6. Nova ſponſa introducitur, benedicitur, Regina declaratur. 7. Hugoldus Abbas Corbeiae obtinet confirmationem privilegiorum. 1209. *Goslariae* V. Rex impetrat Confraternitatem Ciſtercienſis Ordinis. 1211. *Spirenſe* II. Conradus Epiſc. Spirenſis ius Patronatus et Decimas in Medinheim confirmat. 1213. *Innocentii* III. invitatoria ad Concilium Lateranenſe, omnibus Archiep. et Epiſc. Germaniae ſcripta. 1213. Apud *Egram* in Bohemia. Friderici II. Bulla aurea pro libertate Eccleſiaſtica. 1213. *Innocentii* III. Litterae ad Epiſcopos Weſtphaliae, Saxoniae, approbantes conſecrationem Theodorici, novi in Livonia Epiſcopi futuri. Eiusdem ad eosdem animandos ad convertendum ad Chriſtum Livoniam, altera epiſtola. Eiusdem invitatoria ſecunda ad Concilium Lateranenſe, poſt biennium cogendum, omnibus Archiep. et Epiſc. Germaniae. 1219. *Saltzburgenſe* XII. 1. De Epiſcopatu Seccovienſi. 2. De vigeſima parte bonorum a Clericis pendenda pro ſubſidiis terrae ſanctae. 3. Facultas Clericis data bona oppignorandi ad triennium. 1219. *Halberſtadii* XVII. Fridericus Epiſcopus Advocatiam Eccleſiae Caldenbrunnenſis ſibi ceſſam, eidem Eccleſiae donat. 1220. *Patavienſe* IV. De vigeſima parte proventuum eccleſiaſticorum pendenda triennio, pro recuperanda terra ſancta. 1220. *Friderici* II. Edictum pro caſſandiis iis, quae ſunt edita contra libertatem eccleſiaſticam. Eiusdem conſtitutio pro libertate eccleſiaſtica. Eiusdem contra varios Haereticos poenae dictatae. Eiusdem altera contra Haereticos. Eiusdem tertia contra Haereticos. 1220. *Friderici* Imp. Privilegium libertatis Germani-

carum Eccleſiarum, Romae hoc anno, et Francofurti anno 1212. editum. Eiusdem conſtitutio de bonis Comitiſſae Mathildis, ab iniuſtis poſſeſſoribus reſtituendis ſedi Apoſtolicae. 1222. *Colonienſe* XXX. Provinciale. Engelbertus Metropolita arguit Hugonem Leodienſem, Suffraganeum ſuum, quod Neophytae Iudaeae baptizatae non aſſiſtat. 1224. *Paderbornenſe* X. Oliverii Epiſc. Confirmatorium omnium Statutorum a Praedeceſſoribus. 1224. *Halberſtadienſe* XVIII. Fridericus Epiſc. acceptat donationem factam Eccleſiae in Meringa. 1224. *Bardevici* I. Conradus Cardinalis Legatus ſedis Apoſtol. damnat Praepoſitum novi operis. *Friderici* II. Litterae de eadem cauſſa ſcriptae Abbatiſſae Goslarienſi. 1224. *Hildeſemenſe* IX. Henricus, Goslariae novi operis Praepoſitus, ob haereſeos crimen iterato damnatur et degradatur. 1224. *Wormatiae* XXIII. Poſſesſio controverſa Schoenaugienſi Coenobio adiudicatur. 1225. *Magdeburgenſe* IX. Conradus Legatus Apoſtol. Sedis litem inter duas Abbatiſſas Quedlinburgenſes componit. 1225. *Germanicum*, loci incerti. Conradus Legatus Apoſtolicus edit capitula XV. 1225. *Moguntinum* XXXV. Praeconium Engelberti, Archiep. Colon. et Martyris. 2. Excommunicatio Friderici Comitis patricidae, et complicum. 3. Cauſſa fratrum Friderici Comitis ad Concilium Leodienſe delata. 1226. *Leodienſe* XIV. Duorum Epiſcoporum, parricidae fratrum, cauſſa examinata: ſubiicitur Romano Pontifici: interim deponuntur. 1227. *Trevirenſe* XXIV. Canones XVII. 1230. *Hildeſemenſe* X. Conradus Epiſc. dimidiam decimam in Brunnen ſibi donatam, donat Coenobio S. Godehardi. 1230. *Gregorius* IX. Pp. reſpondet Synodali quaeſtioni, a Bertholdo Argentinenſi Epiſc. propoſitae: an in patris Catholici, an matris Iudaeae, poteſtate, ſit eorum baptizatus infans? 1230. *Herbipolenſe* IX. ab Ottone Legato Apoſtolico indictum, ob litteras Ducis Saxoniae non celebratur. 1231. *Hujenſe* (Provinciae Leodienſis) XII. Acta latent. 1231. *Leodienſe* XIII. Ottonis Legati Apoſtol. opinio, de aequali diviſione omnium bonorum inter Eccleſiaſticos, non accepta-

acceptatur. 1231. *Treveris* XXVI. adverſus haereſes undique invaleſcentes. *Gregorii* IX. epiſtola ad Theodoricum Treverenſem Archiep. de iis haereticis examinandis et puniendis. 1231. *Friderici* II. Conſtitutio de paganis ad fidem Chriſti adducendis, et iis data privilegia. 1231. S. *Virgilii*, Salisburgenſis Archiep. Canonizatio, facta poſt relationem Commiſſariorum a Papa in Germania datorum. 1231. *Friſacenſe* II. ſub Eberhardo Archiep. Salisburg. 1233. *Leodienſe* XIV. Acta perierunt hactenus. 1233. *Moguntinum* XXXVI. De haereſibus graſſantibus. *Gregorii* IX. Pp. epiſtola ad Henricum Regem, de haereticis coercendis. Epiſtola Moguntini Archiepiſc. ad Papam, de Magiſtro Conrado Marpurgenſi. 1234. *Francofordienſe* XI. Inquiſitio in Conradum Magiſtrum Marpurgenſem. Eiusdem prolixior deſcriptio. Abſolutio Comitis de Seyna, aliorumque. 1234. Conſtitutiones Regis Henrici et Principum apud Franconofurt. 1234. *Stedingi* haeretici: contra quos delendos Gerardus Bremenſis Archiepiſc. crucem praedicat. Bellum indicitur, vincuntur, reſipiſcunt. Papa dat facultatem abſolvendi. *Gregorii* IX. Pp. epiſtola ad Epiſcopos Saxoniae, Paderbornenſem, Hildeſemenſem, Verdenſem, Monaſterienſem, Osnabrugenſem: ut aſſiſtant Epiſcopis Razeburgenſi, Mindenſi, Lubecenſi, contra Stedingos. Eiusdem ad Capitulum Bremenſe, ad Archiepiſc. Bremenſem, pro abſolutione Stedingis poenitentibus danda. 1238. *Trevericum* XXVII. Provinciale. Canones XLV. conditi. 1239. Apologia Friderici II. ad excommunicationem Gregorii IX. eiusque cauſſas. 1239. *Moguntinum* XXXVII. Invitatoria Sigifridi Archiep. 2. Excuſatoria Hildeſemenſis Epiſcopi. 3. Acta Synodi. 4. Dedicatio Metropolitanae Moguntinae. 1239. *Engelhardi*, Epiſc. Naumburgenſis, Reformatio et Viſitatio ſuae Dioeceſis. 1242. *Bambergae* X. De neceſſitatibus huius Eccleſiae deliberatur. 1243. *Moguntinum* XXXVIII. Provinciale. De proedria inter ſuffraganeos huius Metropolis. Dedicatio Eccleſiae. 1246. *Fritslariae* III. ſub Moguntino Archiepiſc. Canones XIV.

Epiſtola Synodalis Sigefridi Moguntini, una cum epiſtola Innocentii IV. Papae. 1248. *Friſingenſe* XXII. Abbatis Tegernſeenſis depoſitio. Novi electi confirmatio. 1248. *Innocentii* IV. epiſtola de Metropolita Lubecae vel Camini conſtituendo. 1248. *Ultraiectinum* VIII. Goeswini de Amſtel Epiſcopi abdicatio. 1249. *Saltzburgenſe* XII. in Mildorff. Ottonis Baioariae Ducis reconciliatio cum Papa quaeritur, nec obtineri poteſt. 1250. Petri Albanenſis Epiſc. Cardinalis Legati Apoſtolici ſtatuta pro Eccleſia Leodienſi (*Leodienſe XV.*) 1256. *Moguntinum* XXXIX. Contra violatores eccleſiaſticae libertatis. 1259. *Hildeſinum* XI. Fundatio et donatio Coenobii in Backenrode. 1260. *Colonienſe* XXX. Provinciale. (Primum inter impreſſa anno 1554.) Canones XIV. pro Canonicis ſub Conrado Archiep. Sub eodem pro Monachis Canones XXVII. 1261. *Moguntinum* XL. Provinciale, ſub Wernero Archiep. Canones LIV. 1261. *Patavienſe* V. Eliguntur taxatores pro colligendo aere in ſubſidium belli ſacri. 1263. *Paderbornenſe* XI. De iurisdictione Archi-Diaconorum in Eccleſia. 1263. *Trevericum* XXVIII. indictum. 1266. *Colonienſe* XXXI. ſub Engelberto II. Canones XLV. 1266. *Magdeburgenſe* X. Statuta XXIII. Epiſtola *Guidonis*, Cardinalis Presbyteri Apoſt. Sedis Legati, Encyclica ad Provinciam Magdeburgenſem et Epiſc. Kaminenſem, quae ſummatim Concilii Magdeburgenſis ſtatuta complectitur. 1267. *Wratislaviae* I. De ſubſidio terrae ſanctae procurando. 1267. *Wiennae* in Auſtria I. Statuta XIX. 1273. *Leodii* XVI. indictum Concilium. 1274. *Leodii* publicata Decreta anni 1250. pro Dioeceſi Leodienſi a Legato Apoſtolico facta. 1274. *Lugdunenſi* II, oecumenico, multi ex Germania interſunt. 1274. *Saltzburgenſe* XIII. Statuta XXIV. 1275. *Baſilienſe* II. ſub Henrico Epiſcopo. Acta perierunt. 1275. *Monaſterienſe* III. ſub Everhardo Epiſc. Statuta XXIII. 1279. *Wratislavienſe* II. ſub Thoma Epiſc. 1281. *Salisburgenſe* XIV. Capitula XVIII. 1281. *Colonienſe* XXXII. ſub Sifrido Archiep. Statuta XVIII. 1282. *Aſchaffenburgenſe* I. Variae indulgentiae, a variis Epiſcopis,

ſcopis, et variis Eccleſiis conceſſae in hoc Concilio. 1284. *Patavienſe* VI. ad Sancti Hippoliti. Canones XXXIV. Additio ad idem Concilium. Poena ex commiſſione Papae decernitur in Monachos Altahenſes. 1286. *Naumburgenſe* II. Executio Concilii Magdeburgenſis et Honorii Papae. 1287. *Leodienſe* XVII. ſub Ioanne Epiſc. Capitula plurima. Modificationes dicti Concilii 1290. editae. 1287. *Herbipolenſe* XI. Petitio ſubſidii in quinquennium. 2. Canon. XLII. 3. Indulgentiae variis Eccleſiis conceſſae. 4. Pax publica hic inita et promulgata. 1288. *Salisburgenſe* XV. Anathema Clericis laico ſervientibus 2. Interdictum feudi honorum Eccleſiaſtici aliis impertiendi. 1289. *Wratislaviae* III. Declaratio reſervatorum caſuum Papae et Epiſcopo. 1290. *Wratislaviae* IV. Contra violatores Epiſcopi, et ſpoliatores comitum eiusdem.

## NOUVEAU TRAITE DE DIPLOMATIQUE, etc.

h. e.

*NOVI COMMENTARII DE ARTE DIPLOmatica, cuius fundamenta expenduntur, regulae documentorum diſtinguendorum conſtituuntur, et characteres Bullarum Pontificalium, aeque ac Diplomatum omnium Seculorum, exponuntur: cum illuſtrationibus quamplurimarum rerum hiſtoricarum, chronologicarum, et criticarum, ac defenſione tabulariorum celeberrimorum contra varias obtrectationes: editi a duobus Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri. TOMUS III.*

Pariſiis, apud Guil. Desprez: 1757. Alph. 4. cum tabb. aen. quamplurimis, in 4.

T*ertium Volumen* Diplomatici operis, quod ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, magno

magno diplomaticae artis commodo, editur, Lectoribus noſtris proponimus; neque ambigimus fateri, non aliunde magis, quam ex hoc ipſo opere, quam utilis diplomatum iuſta cognitio ſit, quamque late ea utilitas pateat, intelligi. Multa ibi lectores in univerſum contra *Harduinum* eiusque aſſeclas egregie diſputata invenient; qui ſcilicet hoc agebat, ut omnia antiquitatis litteris conſignata monumenta ſuppoſititia eſſe oſtenderet. Ut enim Harduinus in multis aliis rebus neſcimus quae paradoxa protulit, ita etiam in hoc litterarum genere mira confinxit, riſu magis, quam confutatione digna. Sed eamus per ſingula Voluminis huius capita, quorum XV. ſunt; ut ita, ciendo guſtui, Lectoribus quaſi medullam libri proponamus.

*Primum Caput* in diverſis doctorum virorum, de origine et antiquitate Characterum latinorum, proprie ſic dictorum, ſententiis explicandis verſatur, et novam opinionem proponit, diverſam a Maffeiana, quae omnia ſcribendi genera poſteriora de Romano fluxiſſe ſtatuit; quod eo inprimis demonſtratur, quod populi, qui ad modum Oceani ſeſe in Imperium Romanum immittebant, rudes litterarum, atque omnium artium expertes fuerint.

*Caput Secundum* verſatur in proponendis litteris capitalibus Cod. Mſr. Franc. Germ. Angl. et Hiſp. quod caput omnino lectione dignum nobis viſum eſt, vel propter excellentem iſtorum Monachorum eruditionis, elegantis demonſtrationem, tum etiam propter rerum ipſarum utilitatem et praeſtantiam. Ponemus quaedam exempla. Multa p. 40. de tempore diſputantur, quo Codex aliquis ſcriptus ſit, argumento e verbo *Explicit* ducto, et affertur eius rei exemplum ex Hieron. Comment. in Pſalmos: *Explicit de Pſal. LXXX. Incipit de Pſ. LXXXI.* Porro ſigna de aetate Codicis ex orthographia afferuntur, et demonſtratur, eos Codices, qui v. c. *aduleſcens* habent pro *adoleſcens*, eſſe Sec. V. Codex Mſcr. Caſſiodori cuiusdam laudatur, qui ſcripſit explicationem I Ep. Ioh. ex quo cognoſcitur, eum verſ. VII. ita ut nos in noſtris N. T. exemplis legiſſe. Quod probe tenen-

tenendum eſt, ad explodendam vanitatis *Clerici* et *Simon. Ar. Cr.* qui putant ab imperitis librariis additum eſſe.

*Caput tertium* exhibet figuras litterarum uncialium Rom. Gall. Lomb. Carol. Alemann. et Goth. cui additur brevis disquiſitio de aetate et patria cuiusque Cod. et quae omnino notatu digna ſint in antiquis Cod. litteris uncial. ſcriptis. Codices litteris capitalibus ſcripti, propter miram raritatem, ſunt commendabiles; cum contra, qui toti litteris uncialibus ſcripti ſint facilius inveniantur. Hoc ſcribendi genus inprimis Sec. VI. obtinuit, quo tanta homines pleroſque graecae linguae ceperat ignorantia, ut graeca litteris latinis exprimerentur; quod quidem plerumque in libris ſacris factum eſt, ut indocti ſaltem preces utcunque recitare, et vocem Sacerdotis ſequi poſſent. Codex litteris uncialibus ſcriptus Sec. VI. hanc e. c. latinis litteris expreſſam particulam habet: *O quirios ebaſileuſen agalliaſto e ge eufrantetoſan neſy pollae nefele ce gnofos cyclo autu diceoſune ce crima.* Locus eſt ex Pſ. XCVI, 1. aut ſecundum τὰς ὁ ex Pſ. II, 97. unde etiam inſimul patet, qualis tum quorundam verborum graecorum fuerit pronuntiatio.

*Capite Quarto* de ſcribendi genere mixto aut unciali diſputatur, demonſtraturque, conſtare litteris uncialibus maioribus minoribusque, alternatim et varie poſitis; quae quaſi definitio probe ſervanda eſt, ne illud litterarum genus cum litteris capitalibus minuſculis, maiuſculis litteris aliis diſtinctum, confundatur. Talis eſt v. c. Cod. Virgilii Florent. aut Med. Prioris generis eſt Codex Evang. Würtzburg. antiquiſſimus, qui ſine interpunctionibus, omnia verba communi vinculo nexa exhibet.

Hoc ſcribendi genus non eſt unius generis, ſed, ut auctores facere ſolent ſingulis capitibus, in diverſas quaſi familias tribuitur; quarum primam Characteres ſemiunciales Romanorum conſtituunt. Ad hanc rationem in *Cod. Pand.*

*Florent.* haec verba expreſſa ſunt: *K. Imperator Caeſar Flavius Iuſtinianus, pius, felix, inclutus, victor, et triumfator ſemper Auguſtus, Triboniano quaeſtori ſuo ſalutem.* Sequuntur deinceps Charact. Gall. etc. in quibus cum nihil animadverſione magnopere dignum invenerimus, relinquenda iis exiſtimamus, qui librum ipſum inſpicere volent. Diligenter enim ſingula cuiusque aetatis gentisque ſcribendi genera, additis figuris lamina aenea ſcriptis, expreſſa ſunt.

*Capite V.* docetur in univerſum, in multis Codd. diverſos Characteres mixtos apparere, quod Auctores per ſingula Secula, exemplis ex omni ſcribendi genere prolatis, docuerunt. Ceterum inde patet, eundem populum diverſos Characteres habuiſſe, et Codd. minutis litteris ſcriptos antiquiſſimos eſſe.

*Capite VI.* quaeritur, utrum Romani Characteribus minutis uſi ſint? qua de re *Lipſius* de Pronunt. lat. lingu. et *Simonius Hiſt. Crit.* dubitarunt. *Simonius* enim contendit, omnia vetera illa monumenta Etruſca, litteris minuſculis ſcripta, ſuppoſititia eſſe. Ad horum convellendam et deiiciendam ſententiam, veterum, ut Plauti, Senecae, Suetonii, Plinii H. N. teſtimonia laudantur, quibus recentiorum Scriptorum loca ſubiiciuntur. Tota omnino diſputatio huc redit, ut doceatur, Codd. Seculi V. et VI. eiusmodi Characteribus expreſſos eſſe: at vero dicunt Monachi docti, non probabile eſt iſtos Characteres tum demum excogitatos eſſe, imo ante iam obtinuerunt, et uſu recepti fuerunt, ita ut in ſcribendo commode adhiberi poſſent. Minores porro Charact. Longobardici, non Longobardis originem debent, ſed ſunt Romani paullum mutati, neque ſtatim poſt Longobardorum Italiae expugnationem ita invaluerunt, ut in deſcribendis Codd. adhiberentur. Nam ex Scriptoribus Liturgicis, quos Muratorio debemus, intelligitur, iſtos Characteres Sec. IX. civitate donatos fuiſſe, ita tamen, ut Sec. XII. exeunte hoc ius civitatis iterum amiſerint.

Galli

Galli, antiquiſſimis temporibus, litteris Romanis uſi ſunt, quae apud eos ante Francorum irruptionem obtinuere; quod quidem auctoritate Codd. probari poteſt. Gallorum per litteras minutas ſcribendi ratio litteris uncialibus miſta eſt, talisque teſtimonio Codd. ad finem usque Sec. XI. fuit.

Porro Characteres minuti Meroving. et Franco-Gall. ex Codd. demonſtrantur, et litterae Gothorum minuſculae in Italo-Goth. et Viſigothicas diſtinguuntur. Litterae Carolingicae, ſi originem ſpectes, omnino Romanae ſunt, ſed paullatim a Carolo M. immutatae, qui eas non ab Italis ſumſit, ſed retinuit veteres illas Gall. litteras, paullulum ductibus earum figurisque ad elegantiam conformatis. *Sed ſi licet nobis aliquid, pace Auctorum, de peculio noſtro divitiis iſtorum virorum addere, putamus haec nimis eſſe alte repetita, et auctores in eâ re plus amori patriae, quam veritati tribuiſſe.* vid. *Maſſ. V. Ill. et Mabillon. de re diplom. tab. VII. p. 366. Accidiſſe hoc ſaepius videmus, ut, ubi ſpes eſſet gloriolae, quae vix ad probabilitatem accedunt, ea veritatis nomine commendentur. Scimus fuiſſe patrum noſtrorum memoria, qui patriae amore pellectus, Paradiſum in Scandinaviam collocaret. Nam etſi omnia doctiſſimis auctoribus largiamur, res tamen ad Logomachiam redire fere videtur.*

Minores litterae Allem. et Anglo-Saxon. ſuccedunt. Ante tempora Caroli M. Allemanni litteris Francorum uſi ſunt; quae vero poſtea ab illo ipſo elegantiae reſtauratore, mutatae et adhibitae ſunt in litteris publicis conſignandis usque ad finem Seculi XIII; tum vero litterae eas exceperunt, quas vulgo Gothicas appellamus.

*Caput VII.* pertinet ad litteras curſivas Rom. Gall. Meroving. Longobard. Carol. Viſigoth. Sax. Sub ipſum initium diſputatur de litteris Romanorum curſivis; ubi mirantur doctiſſimi Auctores, quemquam dubitare potuiſſe

de re, quae per ſe clara et neceſſaria fuerit, cum Romani in tam amplo imperio, neceſſario coacti fuerint uti ſcribendi genere expeditiori. Ceterum addunt, illud ipſum ſcribendi genus varium et multiplex eſſe, neque ſemper in litteris iſtis curſivis ſubſiſtere, ſed alias litterarum figuras quaſi in auxilium vocare, unde litteras curſivas litteris maioribus miſtas videas: et haec exemplis confirmantur. Tum vero pergunt ad explicationem litterarum, quae in Codd. Mſcr. Gall. inveniuntur, easque quinque diverſis rationibus expreſſas fuiſſe aiunt.

Characteres contendunt Meroving. aut Franco-Gall. male ab Antiquariis pro figuris peregrinis habitos eſſe, quia pleraque eorum pars a Romanis ducta, ſtatim poſt imperium Francorum in Gallia fundatum obtinuerunt, et Sec. VII. et VIII. vulgo Franco-Galli iis in conſignandis litteris publicis uſi ſunt. Lectu digna ſunt, quae hoc loco contra P. *Germon*, qui quendam quaſi Pyrrhoniſmum in re Diplomatica inducere voluit, diſputantur, pro fide diplomatum, quae litteris Meroving. conſignata ſunt.

Litterae curſivae Langobard. fere ſimiles ſunt Franco-Gall. quae tamen ſimilitudo non eſt unius generis, ita ut huic tanquam generi tres claſſes quaſi ſpecies ſubiiciant. De litteris enim curſivis Saxon. non eſt quod quis dubitare velit, cum res extra omnem dubitationem poſita ſit. Ceterum inveniuntur Diplomata, in quibus litterae Anglo-Saxon. et Meroving. alternatim poſitae conſpiciuntur.

*Caput VIII.* verſatur in explicatione interpunctionis veterum, qualis in lapidibus, metallis, Mſcr. et Diplomatibus conſpicitur: porro explicat diverſum punctorum virgularum, et accentuum uſum, ſigna correctionum, notarum, liturarum, tranſpoſitionum etc. Falſum eſt, quod quidam dicunt, veteres punctis et omnino interpunctione non uſos eſſe. Nam qui pugnant auctoritate antiquo-

tiquorum Codd. in quibus nullum interpunctionis veſtigium apparet, nihil efficiunt, quia tenendum eſt, librariorum hoc non fuiſſe, ut curarent interpunctionem, ſed correctorum, qui in ea re plerumque nimis negligentes fuerunt.

Antiquiſſima, eaque maxime communis ſcribendi ratio fuit per *στίχους*, unde in fine librorum numerum *τῶν στιχῶν* ſaepius expreſſum videmus: quam rationem in Scripturam S. primus Hieronymus induxiſſe videtur.

Poſtea interpunctio locum obtinuit, qua diverſa orationis membra, periodorumque finem notarunt. Quicquid alii, et inprimis Clericus Art Crit. diſputent, Noſtri recte exiſtimant, interpunctionis inventionem ultra 145. Olympiadem non aſſurgere, hoc eſt, Ariſtophanis tempore inventam eſſe, 350. annis ante Aeram Chriſtianam.

Veteres tripliciter orationem diſtinguebant. Nimirum Inciſis (*κόμμα*): Punctis: Colis et ſemicolis. Cicero quidem praeter puncta (de Orat. 3, 44.) nihil habet. Quae litera punctum in capite gerebat, notabat ſenſum eſſe finitum; et tale punctum appellabatur *τελεία στιγμή*: ſi punctum in inferiore literae parte expreſſum erat, *ὑποστιγμή*, et in media parte *μέση στιγμή* nominabatur. Ad hanc rationem Virgilium Mediceum diſtinctum obſervavimus. Interpunctio Pandect. Florent. ab illa diverſa eſt: unde exiſtimant, veterem eius interpunctionem ad recentiorem conformatam eſſe.

Punctorum quidem in Mſcr. eſt praeterea alius uſus, ad ſcripturae ſcilicet compendium indicandum: v. c. B. h. e. bos. Interdum etiam adhibentur ad notanda egregie et acute dicta Scriptoris: talis in Bibliotheca Regia eſt Codex Ambroſii, cuius loca notatu digna tribus punctis, in hunc modum ∴ poſitis, notantur.

Virgulae porro non ſunt recentioris inventi, quia in antiquiſſimis monumentis inveniuntur; et Apoſtrophus, quo nihil apud antiquos Poetas eſt frequentius, nihil aliud eſt quam virgula. Eadem eſt accentuum ratio, quos Noſtri antiquiſſimos eſſe contendunt. Adhibiti ſunt ad vocabula diverſae ſignificationis diſtinguenda, et ad indicandos caſus atque modos.

Haec fere antiquiſſimis temporibus fuit ratio orationis diſtinguendae: videamus, quid poſtea mutationis factum ſit. Omnem iſtam interpungendi rationem ab antiquiſſimis Diplomatibus abeſſe videmus. Spatia interdum vacua, rariſſime puncta, relicta videmus, ad finem periodi indicandam. Sed haec omnia iis, qui harum rerum periti ſunt, legenda relinquimus. Nam iis quidem non ſatisfacere poſſemus, etiamſi omnia huc tranſcriberemus; et aliis, qui tantummodo fabricam libri cognoſcere volunt, enarrandis illiusmodi minutiis moleſti eſſemus.

*Cap. IX.* complectitur veterum ſcribendi rationem per compendia, vulgo *Abbreviaturas* vocant, et docetur eorum diverſa genera fuiſſe. De Siglis, quomodo a Tironianis notis differant, de origine porro et uſu Siglarum in Inſcriptionibus, Codd. Mſcr. et Diplomatibus, diſputatur.

Cryptographiae, aut per cifras ſcribendi ratio, qualis fuerit, conſtituitur, et nomina numerorum, quae ſiglarum vicem ſuſtinent, afferuntur. Tum vero ſequitur longa et erudita diſputatio de cifris Graec. Roman. Populorum Septentrion. Franco Gallorum, Hiſpanor. Allemann. et antiquitas utilitasque cifrarum Arabicarum demonſtratur.

Fuere qui exiſtimarent, Siglas in litteris publicis locum non habuiſſe: ſed exemplis docetur, eas interdum adhibitas fuiſſe, earumque figuras, pro ratione modoque cuiusque Seculi, diverſas. Huic diſquiſitioni ſubiicitur,

quaſi

quaſi coronidis loco, deſcriptio artis compendioſe ſcribendi per litteras Monogrammate inter ſe iunctas.

*Capite X.* Cauſſae commemorantur, cur *notae Tironianae* diligentius cognoſcendae ſint quam Etruſcae, et inventores, natura, origo iſtarum notarum, notantur. Qualis porro earum utilitas ad finem usque Sec. X. fuerit, et an aliquid certi pro earum explicatione afferri poſſit, dubitatur. Magnum eſſe inter Siglas Notasque diſcrimen oſtenditur; et notarum quidem ſigna explicantur, et Taohygraphiae iſtius e Mſcr. ſumta exempla multa afferuntur.

*Caput XI.* Tertiae Claſſis litterarum Romanarum, quibus in Diplomatibus uſi ſunt, figuras complectitur, totumque in quaeſtione dirimenda verſatur, utrum in Codd. deſcribendis diverſas ab his litteras adhibuerint. Porro docetur, litteras Roman. curſivas iam ante tempora Iuſtiniani in Italia invaluiſſe, iisque antiquiſſima Diplomata expreſſa eſſe: cuius rei ab Auctoribus multa exempla, ex ipſis Actis publicis ſumta, deinceps ponuntur et explicantur; adeoque breviores hic erimus, quia optime ex ipſo libro cognoſci poſſunt. Hoc tantummodo addendum exiſtimamus, Auctores in hac re confirmanda, ut fecerunt per totum librum, quaſi per gradus aſcendere, et omnium populorum occidentalium ductus afferre, et explicare.

*Caput XII.* Figuras litterarum Francorum, quibus in Diplomatibus uſi ſunt, exhibet, quas litterae Meroving. Franco-Gall. Carolin. Capetingicae et Goth. recentiores excipiunt. Demonſtratur, quae litterarum figura tempore primorum regum in Franco-Gallia fuerit, et diverſa ſcribendi genera Meroving. in litteris publicis exhibentur; et ſic deinceps per notas illas regum in Franco-Gallia familias pergunt, et univerſam quaſi ſub eorum imperio ſcribendi hiſtoriam exhibent, tum additis exemplis lamina aenea deſcriptis demonſtrant.

*Caput*

*Caput XIII.* Affert obſervationes in rem Diplomaticam Allemannorum, et in figuras quarundam litterarum, quibus Franci et Alemanni uſi ſunt. Eorum porro litteras curſivas, aut potius ſemicurſivas, ad ſimilitudinem figurarum Carol. accedere demonſtratur: cui rei quinque ſpecies minutarum litterarum, quae in Actis publicis Allemann. apparent, ſubiiciuntur.

*Cap. XIV.* continentur deſcriptiones figurarum, quae in Diplomatibus Britannorum apparent, eorumque litterae unciales in antiquiſſimis Diplomatibus conſpiciuntur, et tabulis aeneis inſcriptae oculis ſubiiciuntur; quibus litterae curſivae Diplomatum Britannorum e Seculo XII. additae ſunt.

*Cap. XV.* Hiſpanicarum litterarum figurae, quibus quidem in Diplomatibus uſi ſunt, porro litterae minutae Viſigoth. Francor. et Goth. recentium, exhibentur, et demonſtratur, Hiſpanos in litteris publicis litteris Viſigothicis, et Gothicis recentibus, uſos eſſe. Sed haec ſufficiant.

Librum, laudatum omnibus, et merito quidem, laudari a nobis ſupervacuum eſt. Id optamus, ut, bono rei litterariae, telam coeptam feliciter pertexant Auctores, et ne, ut eſt in proverbio, quod coepit amphora inſtitui, exeat urceus.

# INDEX AUCTORUM, quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

## I. *Libri Theologici, et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſpectantes.*


Aſſemanni *(Ioſeph. Simonii) Kalendaria Eccleſiae univerſae.* Tomus Secundus. *Kalendaria Eccleſiae Slavicae ſeu Graeco-Moſchae.* 344

Biblia *ſacra utriusque foederis cum Commentario grammatico, ex Anglicis ſcriptoribus petito, ſtudio* Car. Chais. Tom. V. Pars II. *quae Samuelis Librum II. continet.* 161

le Clerc *et aliorum ſcripta Ianſeniſtica.* 437

Gerbert *(Mart.) de veteri Liturgia Alemannica opus.* 71

— — *de cantu et Muſica Eccleſiaſtica, a prima Eccleſiae aetate usque ad praeſens tempus, liber.* 151

Hartzheim *(Ioſeph.) Concilia Germaniae, primum a* Io. Frid. Schannat *collecta.* Tomus II. *ab A. DCCCXVI. ad M. Aerae Chriſtianae.* 441

— — — — Tomus III. *ab A. M. ad A. MCCXC.* 561

Schelhornii *(Io. Georg.) Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae et Litterariae.* Vol. I. Pars I et II. 467

Walchii *(Chriſt Wilh. Franc.) Monumenta medii aevi, ex Bibliotheca Regia Hanoverana producta, cum eiusdem praefatione.* Faſciculi quatuor. 227


## II. *Libri Iuridici.*


Boehmeri *(Georg. Lud.) Principia Iuris Canonici, ſpeciatim*

*Iuris eccleſiaſtici publici et privati, quod per Germaniam obtinet.* 222
Bruni (*Ioſeph. Anton.*) *Diſſertationes in Ius Civile* 208
Hanſelmanni (*Chriſt. Ern.*) *ulterius illuſtratum et adſertum Ius territoriale eminens Domus Auguſtae Hohenloicae — eiusdemque defenſio.* 121

## III. *Libri Medici et Phyſici.*

Academiae *Imperialis Petropolitanae Programma de praemiis a ſe propoſitis* 158
— — — — *Novi Commentarii*, Tomus VII. *pro annis* 1758. et 1759. 401
Albini (*B. S.*) *de Sceleto humano liber.* 212
Bilfingeri (*Chriſt. Ludov.*) *de Tetano liber ſingularis theoretico-practicus, monumentis veterum ſuffultus et obſervationibus recentiorum propriisque illuſtratus.* 181
de Haller (*Alb.*) *Elementa Phyſiologiae Corporis humani.* Tomus IV. *Cerebrum. Nervi. Muſculi.* 252
Hollmanni (*Sam. Chriſt.*) *Commentationum in Regia Scientiarum Societate inde ab A. 1756. recenſitarum Sylloge.* 35
Hube (*M.*) *de propagatione ſoni animadverſio.* 170
Morgagni (*Io. Bapt.*) *de ſedibus et cauſis morborum per anatomen indagatis, Libri V.* 216
Relatio *experimentis ſtabilita de fungis, et in ſpecie de boleto bovino optimi ſaporis.* 521
Tralles (*Balth. Lud.*) *Uſus Opii ſalubris et noxius in morborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus.* Sectio IV. 213
Winckleri (*Io. Henr.*) *Tentamina circa ſoni celeritatem per aerem atmosphaericum.* 271
— — *Coniectura de vi electrica vaporum ſolarium in lumine boreali.* 424

## IV. *Libri Mathematici.*

Academiae *Scientiarum Imperialis Petropolitanae Programma de praemiis a ſe propoſitis.* 158
— — — *Novi Commentarii.* Tomus VII. *pro annis 1758. et 1759.* 401

Ber-

Bermanni (*G. F.*) *Solutio problematis dynamici.* 89

— — *Commentatio de angulis ſolidis, ad Propoſ. XXI. Lib. XI. Elementorum Euclidis.* 532

de Fagnano (*Io. Franc. de Tuſchis*) *Demonſtratio theorematis Actis Lipſienſibus propoſiti ad A.* 1754. *Menſe Ianuario* pag. 40. 458

Hell (*Maximil.*) *Obſervatio tranſitus Veneris ante diſcum Solis, die V. Iunii, A.* 1761. 49

— — *Ephemerides aſtronomicae A.* 1062. *ad Meridianum Vindobonenſem iuſſu Auguſtorum calculis definitae* 56

Hentſch (*Io. Iac.*) *de curvis punctum inflexionis vel regreſſus habentibus.* 256

— — *de potioribus ſerierum figuratarum ſymptomatibus, quibus combinationum myſterium continetur.* 367

Raſpe (*R. E.*) *Programma de edendis Leibnitii operibus philoſophicis et mathematicis MSCtis.* 196

Reccard (*Gotth. Chriſt.*) *de magna eclipſi ſolari, quae continget A.* 1764. *Commentatio, cum Appendice, quae omnes reliquas huius Seculi eclipſes calculo definitas proponit* 168

Segneri (*Io. Andr.*) *Elementorum Analyſeos Infinitorum* Pars II. 235

## V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Beck (*Iac. Chriſtoph.*) *de vita et meritis Philologi et Theologi incomparabilis*, Io. Ludov. Freyi. 115

Conſpectus *numorum argenteorum Angliae, eorumque ſignationis inde ab occupatione regni Normannica, ad praeſens usque tempus.* 201

Coyeri *Hiſtoria* Iohannis Sobiesky, *Regis Poloniarum*, etc. 302

Expilly *Lexicon geographico-hiſtorico-politicum Galliae et Franciae.* Tomus I. 312

Friderici (*Chriſtoph. Conr. Guil.*) *ſolida diſquiſitio de re monetaria in S. Imperio Romano.* 96

Guiſchardt (*Caroli*) *de re militari Graecorum et Romanorum Commentarii, una cum diſſertatione de arte veterum defendendi et oppugnandi loca munita.* 281

Hageck a Libeczan (*Wenceſl.*) *Annales Bohemorum, latine redditi et notis illuſtrati a P.* Victorino a S. Cruce, *pluribus animadverſionibus hiſtorico-chronologico-criticis, nec non diplomatibus*, etc. *aucti a P.* Gelaſio a S. Catharina. Pars I. 24. 101.

Hartii (*Walteri*) *Vita* Guſtavi Adolphi, *ex Anglico Latine verſa, cum praefatione et animadverſionibus* Io. Gottlob Boehmii. 135

Haſſelquiſt (*Frider.*) *Iter in Palaeſtinam ab A.* 1749-1752. *iuſſu Sereniſſimae Reginae Sueciae editum a* Car. Linnaeo. 109

Kaeſtneri (*Abrah. Gotth.*) *Elogium* Tobiae Mayeri. 142

Mizleri de Kolof (*Laurent.*) *Hiſtoriarum Poloniae et Magni Ducatus Lithvaniae Scriptorum, quotquot ab initio Reipublicae Polonae ad noſtra usque tempora exſtant omnium, Collectio magna.* Tomus I. *continens Scriptores topographicos.* 290

Muſeum Mazzuchellianum, *ſeu Numismata virorum doctrina praeſtantium, quae apud* Io. Mariam, Comitem Mazzuchellum, *Brixiae ſervantur. A* Petro Antonio de Comitibus Gaetanis *edita atque illuſtrata.* Tomus I. 472

Schelhornii (*Io. Georg.*) *Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae et Litterariae.* Vol. I. Pars I. et II. 467

Schoepflini (*Io. Dan.*) *Alſatia illuſtrata, Germanica, Gallica.* 1. 177

Stoſch (*Ferdin.*) *Syntagma Diſſertationum ſeptem, de nominibus totidem urbium Aſiae, ad quas D. Iohannes in Apocalypſi epiſtolas filii Dei direxit.* 125

## VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologi, Miſcellanei.*

de Bar *Nugae litterariae et criticae, proſaicae partim, partim metro expreſſae.* Tomus I. et II. 434

Callimachi *Hymni, Epigrammata et Fragmenta, cum notis integris virorum doctorum, et* Ezech. Spanhemii *commentario.*

*Textum*

*Textum ad fidem MSCt. recenſuit, latine vertit atque notas ſuas adiecit* Io. Aug. Erneſti. 241
Commentarii *novi de arte diplomatica, editi a duobus Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri.* Tomus III. 591
Dalham *(Floriani) de ratione recte cogitandi, loquendi et intelligendi*, Libri III. 59. 185
Eutropii *Breviarium Hiſtoriae Romanae, cum metaphraſi Graeca* Paeanii, *et notis integris virorum doctorum. Accedit* Rufus Feſtus. *Recenſuit, ſuasque adnotationes adiecit* Henr. Verheyk. 41
Hagedornii *de Pictura obſervationes.* 481
Haymii *Theſauri Britannici* Pars Prima, *ſeu Muſeum Numarium, Latine editum et auctum ab* Aloyſio, Comite Chriſtiani. 328
Hiſtoria *Comitum Campaniae et Brigae.* 353
Lipperti *(Phil. Dan.) Dactyliothecae univerſalis, ſignorum exemplis nitidis redditae*, Chilias Tertia. *Stilum accommodavit* C. G. H. 505
Monumenta *Romae veteris pulcherrima, ſeu Collectio praeſtantiſſimarum Antiquitatis Romanae, quae quidem hodie ſuperſunt, reliquiarum.* 321
Muſellii *(Iac.) Muſeum Numismatum antiquiorum*, Tomi III. 39
— — *Antiquitatis Reliquiae.* Tomi Duo. 39
Raſpe *(R. E.) Programma de edendis Leibnitii operibus philoſophicis et mathematicis mſeptis.* 196
Rouſſeau *(I. I.) de Contractu Sociali liber, ſeu principia iuris politici.* 376
de Sanctis *(Dominic.) Diſſertatio ſuper villa Horatii Flacci.* 361
Schmidii *Collectio antiquorum monumentorum Aventici, Culmii, et aliis Helvetiae locis repertorum.* 513
Schultens *(Alb.) Origines Hebraeae.* Editio altera; *cui adiectum opuſculum de defectibus hodiernis linguae hebraeae.* 279
Tabulae *nitidiſſimis coloribus in fragmento muri gypſo obducti pictae brevis deſcriptio.* 559
Velleii Paterculi *quae ſuperſunt ex Hiſtoriae Romanae Voluminibus*

*nibus II. Recenſuit et Commentario perpetuo illuſtravit* Io. Frid. Gruner. 81
Wateleti *Ars picturae, poemate expreſſa, cum obſervationibus in diverſa picturae genera,* 479
Winckelmanni *(Iohannis) Epiſtola ad Com. Illuſtriſſ.* Henricum de Brühl, *de inventis Herculanenſibus.* 552

# INDEX
## RERUM NOTABILIORUM.

### A.

*de* Abbavilla, *urbe Galliae* 315
Academia *Imper. Scient. Petropol. praemia proponens* 158
— — — *Commentarii mathematico-phyſici* 401
*de* Advocatis *et* Advocatiis *in Alſatia* 20. 178
*de* Aegypti *hiſtoria naturali aliisque rebus* 111. 112
*de* Aequationibus *quaedam* 238. 408
— — *differentialibus ſecundi gradus* 405
*per* Aerem *atmoſphaericum ſoni celeritas quae?* 271
Agarici *varii* 524
*de* Agrigenti *obſidione* 283
*de* Alemannica *veteri liturgia* 71
*de* Alemannorum *literis antiquis* 600
*de* Alexandri M. *pugnis et proeliis* 286 ſq.
Alſatia, *Germanica, et Gallica illuſtrata, eiusque fata narrata* 1 ſqq. 177 ſqq.
Amphitheatra *Romana* 324
*per* Anatomen *indagatae cauſae morborum* 216
Angliae *numi argentei* 201
*de* Angulis *ſolidis ad Euclidem diſputatio* 532
Anglorum *catena in Scr. S.* 161
Animae *ſedes ubi quaerenda?* 255
Animalium *genera var.* 112 ſq.
Annales *Bohemorum* 24 ſq. 101 ſq.
Antiquitatis *monumenta collecta* 39. 513 ſqq.
— *Romanae reliquiae praeſtantiores* 321

Apo-

Apoplexiae *ſpecies epidemica* 220
Aquae *et Aeris gravitates ſpecificae* 174
*de* Aquarum *commotione tempore terrae motus* 36 ſq.
Architecturae *Rom. monumenta* 322
Argenti *inopia quomodo ſublevanda?* 207
Argentorati *urbis hiſtoria, regimen, religionis in ea fata* 20 ſqq.
Ariſtotelis *locus illuſtratus* 368
*in* Ariſtocratia *duae voluntates* 393
Arriani *Tactica Gallice verſa* 281
Artis *natura* 189
*de* Aſiae *urbibus ſeptem Apocalypticis* 125
Aſtronomicae *obſervationes et ephemerides Maxim. Hell* 56
*de* Athenienſium *numis quibusdam* 331
Aventici *monumenta antiqua* 513
*de* Auſtriacis *deſtinatis bello Suecico* 137

B.

Bacchi *incunabula in gemma* 506
Bacchus *et Ariadne in monumento antiquo* 515
Bacchantes *in opere veteri* 516
Balbinus *notatus* 28
*de* Bavaro *duce narratio ficta* 31
Boehmeri *(Georg. Lud.) in Ius Eccleſiaſt. merita* 222
Bohemorum *Annales ab Hagecio ſcripti* 24. 101 ſq.
*de* Boioariorum *prima mentione* 31
*de* Boleto, *inprimis bovino* 521
Boneti *ſepulchretum medicum ſuppletum* 217
*in* Boreali *lumine vaporum ſolarium quaenam vis electrica?* 424
Brigae *Comitum vitae et res geſtae* 353
Britannici *theſauri nova editio* 328
*de* Britannorum *literis antiquis* 600
*de A.* Brouwero *quaedam* 504
*de* Bulgarorum *rebus varia* 348

C.

Cabalae *varia genera* 194
Callimachi *editio nova ab Erneſtio curata* 241
Campaniae *Comitum hiſtoria illuſtrata* 353
Canonici *Iuris principia expoſita* 222
*de* Cantu *et muſica prima Eccleſiae aetate* 152
Canticorum *liber vetuſtus* 468
Capituli *Argentinenſ. ditio deſcripta* 12

de

…ſ

…onae 310. 311

…ni 338

…ni per aerem

…icum 271

…o hominis diſputatio 253

…ertitudine quaedam 69

…aracteriſtica nova 198

de Chriſt. religionis in Alemannia origine 71

Chriſtiani utrum ad ſervitutem nati? 400

de Civitate roboranda 398

de Civitatibus Imperialibus Alſatiae liberis 19

Alexius Clairaut praemio donatus Petropoli 159

de Cleri Gallicani reditibus 318

de Clericorum affectato imperio 224

de dignis Clero virtutibus 234

Climatis ratio in forma imperandi habenda 395

de Codicibus Callimachi ſcriptis 242

Cogitandi ratio multiplex 59

Coierius Abbas notatus 304

Colmariae deſcriptio 22. 23

Colonienſia concilia 584

de Combinationis myſterio 367

de Cometarum theoria 159

de Comitatibus Alſatiae 4. 15

de Comitiis Romanorum 210

de Compoſitis et ſimplicibus ideis 62 ſq.

Concilia Germaniae ab A. 816. ad A. 1000. deſcripta 441 ſq. 561 ſq.

in Conſtantienſi Concilio orationes habitae 231

de Contractu ſociali liber 376

Convulſionum theoria nova ſchemate illuſtrata 181

Corpus quomodo motum ſuum in aliud corpus transferat? 171

de Criteriis veritatis 68

Criticae capita praecipua illuſtrata 59. 185 ſq.

— obſervationes 44 ſq. 82 ſq.

— artis deſcriptio 193

Critici ſpecies adumbrata 490

Mart. Cromeri Polonia illuſtrata 294

de Cryptis cavernisque ſub terrae continentis ſuperficie 37

de Cruciatis expeditionibus iudicium 354

Culmii monumenta antiqua 513

de Curvarum quadraturis et rectificationibus inter ſe comparandis 401

de Curvis, punctum inflexionis vel regreſſus habentibus 256

de Czecho et fratribus narratio vulgaris reiecta 26

D.

Dactyliotheca locupletiſſima deſcripta 505

Dale-

Daleminicia *utrum Germanicae originis vox?* 29
Damaſtinorum *numus* 336
Declinatoriae *acus novae deſcriptio* 415
*de* Deformitate *a pictore vitanda* 499 ſq.
Demonſtrationis *origo et modi* 187
*de* Diametri *apparentis foraminis anguſti oculo propinqui mutabilitate* 414
*de* Diebus *certis et temporibus ad divinum cultum* 78
*de* Diis *gentilium eorumque cultu* 399
Dioſpolis, *nomen Laodiceae* 133
*de* Diplomatica *arte commentarii* 591
Doctorum *virorum numismata collecta* 472
Dynamici *problematis ſolutio* 89
Dynamicum *ſyſtema Leibnitii edendum* 198

E.

Eccleſiae *univerſae Calendaria* 344
Eccleſiaſtici *Iuris publici et privati in Germania delineatio* 222
Eccleſiaſtica *muſica et cantus veteris et medii aevi* 152 ſqq.
*de* Eclipſi *ſolari magna a. 1764. omniumque eclipſium huius Seculi computatio* 168
*de* Educatione *praecepta quaedam* 66
Eduardorum, *Angl. Regum, numi* 205
*de* Electrica *vi vaporum ſolarium in lumine boreali* 424
*de* Electorum *iure monetandi* 98
Electricorum *experimentorum novorum deſcriptio* 412
*de* Eleuſiniorum *ſacrorum loco obſervatio* 336
*de* Empiricis *philoſophis* 60
*de* Enunciationibus *varia* 67
Ephemerides *aſtronomicae* A. 1762. 56
*de* Epheſi *nominibus* 126
Epiſcopi *Argentinenſis territorium deſcriptum* 10
*de* Epilepſiae *cauſis* 221
Erneſtii *(Io. Aug.) in Callimachum merita* 241
Erroris *cauſae variae* 64
*de* Etichonia *gente obſervata* 177
*contra* Euclidem *de angulis ſolidis diſputatio* 532
*Io. Alb.* Euler *praemio donatus Petropoli* 160
Eurypylus *in gemma* 508
Eutropii *breviarium cum notis variorum denuo editum* 41 ſq.
— *editiones et codices* 43

Eutropii *loca emendata et illuſtrata* 44 ſqq.
*de voce* Eydgenoſſen 317
*de* Exequiis *funeris* 79
Expillyi *lexicon geograph. politico-hiſtoricum* 317

F.

Ferdinandi II. *Imper. ſuperſtitio* 135
*de* Fide *divina et humana quaedam* 186
Figurae *planae rectilineae quomodo per diagonales dividantur in triangula* 406
*de* Figuratarum *ſerierum ſymptomatibus potioribus* 367

G.

Galliae *Lexicon hiſtorico-geographica-politicum* 312
Gelaſii *a S. Catharina merita in hiſtoriam* 24 ſq. 101. 108
Gemmarum *veterum collectio copioſa* 505
Genealogicae *diſputationes Alſaticae* 177
Geographia *Alſatiae illuſtrata* 4 ſqq.
— *Galliae et Franciae expoſita* 312
Germaniae *tabula geographica critica* 148
*de* Germanici *Imperii re monetaria* 96
Germaniae *Concilia ab a. 816–1000.* 441. 561
Gibbus *et non gibbus angulus ſolidus* 533
*de Io.* Gochio *quaedam* 234
*de* Gonorrhaea *virulenta obſervatio* 221
*in* Grammondi *Comitis Commentarios Epigramma* 436
Gravamina *nationis Germanicae adverſus curiam Rom. edita* 229
Graecae *voces et phraſes illuſtratae* 47. 127 ſq. 248 ſq.
*de* Graecorum *et Romanorum re militari* 281
— — *numis permultis* 328
*de* Gratia *in pictura* 485
Grav *nominis derivatio* 124
*in* Gravidis *opii uſus* 215
Gregorii VII. *P. Rom. epiſtolae quaedam* 568 ſq.
*Io. Frid.* Gruneri *in Velleium Paterculum merita* 81 ſq.
*de Io.* Grynaeo, *eiusque inſtituto liberali quaedam* 119
*de* Gubernationis *publicae forma* 390
Guilielmi *Conqueſtoris numi* 202
*Car.* Guiſchardt *laudes* 281
Guſtavi *Adolphi vita ab Hartio ſcripta* 135
— — *eius dicta et facta ſingulari libro comprehendenda* 137
Guſtus *bonus quid ſit?* 190

H. Ha-

## H.

Hagecii *Annales Bohemorum latine redditi et illuſtrati* 24 ſqq. 101 ſqq.
Hagedorniorum *laus* 481
Hagenoae *urbis deſcriptio* 22
Halberſtadienſia *concilia* 581. 585
Hartius *in deſcribendo bello Sueco-Germanico laudatus* 136
Hartzhemius *notatus* 56
Haſſelquiſti *(Frid.) elogium, et in Palaeſtinam iter deſcriptum* 110
Hebraicae *linguae origines* 279
— *voces illuſtratae* 162 ſqq.
Helvetiae *monumenta antiqua* 513
Henrici I. et II. *Reg. Angliae nummi* 203
*Sigism. ab* Herberſtein *de Lithvania liber* 296
Hermenevticae *capita praecipua* 59 ſq.
*de* Herculanenſibus *inventis* 552
*de* Hermunduris *quaedam* 33
Hieronymi *operum exemplum memorabile* 467
*de* Hiſpanorum *literis antiquis* 600
Hiſtoria *Alſatiae illuſtrata* 178
*ex* Hiſtoria *eccleſiaſtica et literaria obſervationes* 467
*Matthias* Hoë ab Hohenegg *defenſus* 138
Hohenloicae *domus ius territoriale illuſtratum et vindicatum* 121
*in* Homeri *verſionem Annae Fabri epigramma* 435
Hollmann *(Sam. Chriſt.) laudatus* 35
*de* Horatii *Flacci villa* 361
*Nic. Franc.* Haymii *Theſaurus Britannicus recuſus et auctus* 329
*de* Humano *ſceleto liber* 212
*de* Hunnis *et Slavis plurima* 346
Hymnorum *Callimachi loci emendati* 245 ſq.

## I.

Ianſeniſticorum *quorundam librorum recenſio* 437
*de* Ibice *imberbi quaedam* 423
Idealiſtae *vox, nova ratione uſurpata* 60
Idealiſtae *quomodo refellendi?* 68
*de* Ideis *earumque diviſione* 61. 62 ſq.
Imbecillitatis *humanae ſpecimina* 189
*de* Imitatione *in pictura et poeſi* 487. 498
Imperatoris *Germ. et* Imperii *Ordinum ius monetandi* 97
*de* Incolarum *Galliae numero* 320

*in* Infantum *morbis opii uſus* 215
Infinitorum *analyſeos elementa* 235
Inſcriptio *enucleanda propoſita viris doctis* 560
*de* Inſtituto *Freyio-Grynaeano* 119
*de recte* Intelligendi *ratione* 193
*de* Intellectu *humano contra Lockium* 197
*de* Interpunctione *obſervata* 596 ſq.
Io. Georgius I. *Elector Sax. defenſus* 138
Ioh. *Sobiesky, Reg Polon. hiſtoria* 302
Iohannis XXIII. *P. R. literae ad Carolum Ducem Aurelianenſem* 468
Iridis *phaenomenorum diſquiſitio* 411
Iſoperimetrica *quaedam problemata* 409
*de* Iuliae *Domnae numo* 333
*de* Iure *territoriali Principum, ante ſic dictum interregnum magnum* 121
— *eccleſiaſtico in Germania* 222
*de* Iuris *monetarii in Imperio German. origine et valore* 96
*in* Ius *civile diſſertationes* 208
Ius *inveſtiendi quando Regib. Angliae et Galliae ademtum?* 356

K.

Kaeſtneri *de vita Tob. Mayeri ſcriptum* 142
*de* Kalendariis *Eccleſiae Slavicae* 344
*Sam.* Klingenſtierna *praemio donatur ab Academia Imp. Scient. Petrp.* 160

L.

*de* Lacedaemoniorum *pecunia* 330
*de* Landgraviatu *et* Landgraviis *Alſatiae obſervationes* 3
Laodiceae *nomina* 133
*ad* Lat. Linguam *ſpectantes obſervationes* 46 ſq. 87
*de* Legibus *obſervationes plures* 382 ſqq.
*de* Legibus *Romanis varia* 211
Leibnitii *opuſcula philoſoph. et mathematica inedita edenda a Raſpio* 196
*circa* Lentes *cauſticas emendationes* 410
*de* Libris *in Herculano inventis* 557
Limaces *varii generis* 531
*de* Lingua *univerſali* 92
Literae *variorum* 469
*de* Literis *uncialibus et capitalibus* 593
*M. Ducatus* Lithvaniae *hiſtorici collecti* 290

de

*de* Liturgia *veteri Alemannica, et Liturgiis aliis* 71 ſq.
*de* T. Livio *iudicium* 286
*de* Locuſtis *quaedam* 112
*de* Logarithmis *obſervata* 236
Logicae *praecipua capita illuſtrata* 59. 185
Luciferi *ſeu Satanae epiſtolae binae* 233
Lumbrici *aliique vermes utrum intra humana crania naſcantur?* 219
Lunae *facies et motus a Tob. Mayero accuratius inveſtigati* 145

M.

*de* Magdeburgi *excidio quaedam* 139
*de* Magnetis *viribus* 146
*de* Maroboduo *quaedam* 104
Mathematica *inventa Tob. Mayeri* 245
— *diſputatio Io. Iac. Hentſchii* 256
Mathematicae *commentationes* 401
*Tob.* Mayeri *elogium* 142
Mazzuchellianum *muſeum deſcriptum* 472
Pomp. Melae *deſcriptio Sarmatiae* 291
*in* Melancholia *et Mania uſus opii* 214
*de* Meleagri *morte obſervatio* 328
*de* Merovingicis *literis* 596
Meteorologicae *obſervationes* 419
*de* Methodo, *eiusque generibus* 188
*Matthiae a* Miechow *Deſcriptio Sarmatiarum* 295
*de* Militaribus *rebus Graecorum et Romanorum* 281
*Iac. de* Miſa *opuſculum de purgatorio animarum* 232
Miſnenſe *praeſidium contra quos collocatum fuerit?* 30
*de* Miſſae *celebratione, eiusque apparatu* 73 ſq.
Moguntina *Concilia : Iura* 564
*de* Monarchica *forma imperii iudicium* 394
*de* Monetaria *re in Imp. Romano* 96 ſq.
Monumenta *Romae veteris pulcherrima* 321
Monumenta *medii aevi ad Hiſt. Conciliorum ſpectantia* 227
Monumenta *veteris Liturgiae Alemannicae recenſita* 80
*de* Morborum *ſedibus et cauſis per anatomen indigatis* 216
*in* Morborum *medela opii uſus* 213
*de* Morum *doctrina, ad pictorem pertinente* 502
*de* Motu *obſervationes* 171 ſq.
Muſicae *hiſtoria a Mart. Gerberto exſpectanda* 151

*de* Muſculi *fabrica, motu*, cet. *cet.* 256
Myſticarum *interpretationum Scr. S. vanitas* 129 ſqq.

N.

*de* Navarrenſis *Collegii Pariſienſis fundatione* 359
*de* Nervis, *eorum actione*, cet. 254
*contra Iſaac*. Newtonum *diſputatio* 174
*de* Nitraria *planta* 416
*de* Nobilibus *Alſatiae* 179
*de* Nominibus *ſeptem urbium Aſiae Apocalypticarum* 125
*de S.* Norberto *quaedam* 354
*Io.* Novarienſis *oratio in Concil. Piſano habita* 230
Novitatis *amor utrum laudandus?* 64
*de* Nuditate *a pictoribus obſervanda* 497
Nugae *literariae et criticae* 434
*de* Numis *Graecis et Latinis plurimis* 328
Numismata *virorum doctrina praeſtantium collecta* 472
Numiſmatum *antiquorum collectio* 39
Numorum *Angliae argenteorum conſpectus* 201

O.

*de* Obeliſcis *Romanis, eorumque in altum tollendorum arte* 325
Obſervatorum *tranſitus Veneris per Solem nomina* 52
*Car.* Ogerii *iter Polonicum ſeu Boruſſicum, iterum editum* 301
Onoſander *de inſtitutione belli ducis gallice verſus* 281
*de Luca* Opalinskio *quaedam* 301
*de* Opii *in Oriente uſu* 111 ſq.
— *uſu ſalubri et noxio in morborum medela* 213
Oppugnandi *munita loca ratio veterum* 287
Origines *L. Hebraicae Alb. Schultens recuſae* 279

P.

Pacti *ſocialis origo* 379
Paeani *paraphraſ. rurſus edita* 41
*in* Palaeſtinam *iter deſcriptum* 169
*in* Parturientibus *et Puerperis opii uſus* 215
*circa* Penduli *ſimplicis longitudinem obſervationes* 421
Pergami *nomina* 128
Petropolitanae *Acad. Scient. praemia* 158
*de* Philadelphiae *nominibus* 132
Philoſophia *ſeverior et ornatior* 59

Philo-

Philoſophorum *quatuor claſſes* 60
*in* Phtiſi *pulmonali opii uſus* 214
Phyſicae *obſervationes* 170. 271
Phyſicarum *commentationum ſylloge* 35
Phyſiologiae *corporis humani elementa* 252
*de* Pictura *obſervationes plurimae* 481
*de* Pictura *carmen elegans Gallicum* 479
Picturae *ectypa multiplicandi ars* 145
Poeſeos *cum pictura coniunctio* 487
Poetis *quantum naturae cognitio proſit?* 144
Poloniae *hiſtorici collecti* 290
— — *ſub cenſuram vocati* 303
*de* Polonorum *iure vitae necisque in ſubditos* 294
— — *origine* 304
Polypi *marini deſcriptio* 417
*de* Praeiudiciis *e religione profectis* 66
*de* Praelatorum *negligentia libellus* 230
*Iac.* Priluſii *de Provinciis Polon. liber* 297
Problematis *dynamici ſolutio* 89
Proelia *antiquitatis varia illuſtrata* 284
*de* Principis *inſtitutione in republ.* 397
*de* Propagatione *ſoni* 170
Proteſtantium *Iuris Eccleſiaſt. principium* 223
Pſyche *in gemma* 507
*de* Ptolomaei *Geographia iudicium* 32 ſq.
*de* Pulchritudine *obſervationes* 484. 494
*de* Puncto *inflexionis vel regreſſus in curvis* 256
Pyli, *Meſſeniae urbis, numus* 342
*de* Pyramidalibus *et non pyramidalibus angulis ſolidis* 535. 536

Q.

*de* Quadis *et Marcomannis* 105

R.

*de* Reformationis *neceſſitate et maturatione* 232
*de* Refractionibus *in oris ſeptentrionalibus* 420
Reipublicae *limites certi conſtituendi* 388
Religionis *duplex forma* 400
*de* Reſpirationis *mechaniſmo commentatio* 38
Romae *veteris monumenta pulcherrima* 321

de Muſculi *fabrica, motu*, cet. 256
Myſticarum *interpretationum Scr. S. vanitas* 129 ſqq.

N.

de Navarrenſis *Collegii Par[illegible] enſis fundatione*
de Nervis, *eorum* [illegible]
*contra Iſaac.* N[illegible] de[illegible] *tatio* 41
de Ni[illegible] *[illegible]ti fidem con*[illegible]
de N[illegible] 350

S.

de Sacramentorum *adminiſtratione* 75
Sacrificium *militare in gemma* 507
de Sala *Saxonica et Franconica* 103
Samuelis *liber poſterior explicatus* 161
de Saracenorum *nomine, origine et ſedibus* 48
Sardianorum *nummus* 339
de Sardium *nomine et Sardianis* 131
de Sarmatis *et Iazygibus* 106. 107
in Saurini *conciones epigramma* 436
de Sceleto *humano liber* 212

*que in* [illegible] *Philo*[illegible] *arte* 60. 61
Obſerv[illegible] *explicata et il*[illegible]
[illegible] *24.* 399
*[illegible] 9.* 163
*15. 18. 19.* ibid.
*II, 10.* ibid.
*III, 27. 29.* 164
*IV, 6.* ibid.
*V, 6. 8. 24.* ibid.
*VI, 6.* ibid.
*VII, 7. 19.* 165
*VIII, 2. 13. 14. 18.* ibid.
*IX, 21.* ibid.
*X, 7. 9.* ibid.
*X, 18.* 166
*XII, 31.* ibid.
*XIII, 21. 39.* ibid.
*XIV. 9. 14. 15. 26.* ibid.
*XV, 7.* 167
*XVIII, 5. 33.* ibid.
*XIX, 5.* ibid.
*XXI, 5 6.* 162
*XXII. XXIII. XXIV.* 167
*1 Paralip. XIX, 18.* 166
*1 Ioh. V, 7* 592
*Apoc. III, 12.* 132
Schultenſii *(Alb.) Origines L. Hebr. in compendium redigendae* 280
de Scythis *quaedam* 307
Segneri *(Io. Andr.) Syſtema matheſeos laudatum* 236 ſq.

de Seleſtadio urbe — 23
Semicoeci philoſophi qui? 60
Senſuum incommodis parce querendum . 65
...eriorum figuratiorum ſymptomatibus potioribus 367
...vitutis origine 378
..., ſ. Graeco-Moſchae ...ae Kalendaria 344
...m nomine et hiſtoria ...6 ſq. 106. 345 ſq.
... nomen Epheſi 126
...yrnae urbis nomina 127
Io. Sobieskii, Reg. Poloniae, hiſtoria 302
de Sociali contractu liber 376
de Solidis angulis diſputatio 532 ſq.
de Solis et lunae longitudine, cet. 57
— — eclipſi magna A. 1764. 168
— — vaporum vi electrica in lumine boreali 424
de Soni celeritate per aerem atmoſphaericum 271
de Soni propagatione 170
de Stedingis quaedam 589
librae Sterling mutationes 276
de Stylo et ſcribendi rationibus 192
Superioritas territorialis, minime principium Iuris Eccleſiaſt. 225
Aen. Sylvii de Polonia, Lithuania, et Pruſſia liber 291
Synodi Germaniae collectae 441 ſqq. 561 ſqq.

T.

Tabulae aſtronomicae variae 58
— nitidiſſimis coloribus in fragmento muri gypſo obducti pictae deſcriptio 559
Taciti locus emendatus 103
de Tartaris obſervata 308
Temperamentorum varietas, cauſa errorum 65
Templorum Romanorum veterum reliquiae enarratae 323
de Terraemotibus, inprimis Vlyſſiponenſi 36 ſq.
Territoriale ius Domus Princip. Hohenloicae illuſtratum et adſertum 121 ſqq.
de Teſtibus, eorumque auctoritate 69. 70
de Tetano liber ſingularis 181
Theorematis mathematici demonſtratio 458
Chr. Thomaſii in Iure Eccleſiaſt. opinio 224
Thyatirae nomina 129
Thyreatarum munus 337
de Tranſitu Veneris per Solem 49 ſq.
de Tubulatis fungis 525
de Turcico imperio obſervatio 111

*de* Turpitudine *a pictore vitanda* 499

## V.

*de* Valore *monetarum* 99
*de* Vaporum *ſolarium vi electrica in lumine boreali* 424
*de* Variae *ſitu* 305
Velleii Paterculi *hiſtoria illuſtrata a Grunero* 81
— — *loca illuſtrata* 82 ſq.
Venenorum *antidotum opium* 216
Veneris *tranſitus ante diſcum Solis obſervatus* 49
Ventus *ſonum accelerans* 274
Verheykii *in Eutropium merita* 41 ſq.
*de* Veritate *eiusque notis* 67 ſq.
Veri *in arte pictoria diverſa genera* 496
*Io. de* Veſalia *adverſus indulgentias diſputatio* 229
*de* Vibellio, *duce Hermundurorum* 34. 102
*de* Villa *Horatii Flacci* 361
Unitatis *in pictura momentum* 484
*de* Vocibus *obſervationes* 191
*de* Voluminibus *veterum* 557
*de* Voluntate *generali in corpore politico* 384
— — *particulari* 395
*de* Urbibus *Galliae memorabilia* 317 ſqq.
Urbicii *ratio defendendi peditatus adverſus equitatum latine verſus* 288
Urbium *Graecarum numismata* 334

## W.

*de Gervaſio* Waim *anecdota* 471
Weiſſenburgi *urbis deſcriptio* 23
*Bern.* Weſterrodi *planctus* 235
*de Aegidio* Wittenio *quaedam* 439
Wormatienſia *concilia plura* 566. 569. 576

## X.

*de* Xantippo, *Carthaginienſium duce* 284

## Z.

*de* Zichis *et* Zichia 26 ſqq.
Zoophyti *marini hiſtoria* 419

Tabulae

## RERUM NOTABILIORUM.

*Tabulae figurarum ex aere expreſſarum.*


| | | |
|---|---|---|
| Tabula I. | ad Menſ. Aprilem | pag. 168 |
| II. | ad Menſ. Iunii P. I. | 256 |
| III. | ad Menſ. Septembr. P. II. | 458 |
| IV. | ad Menſ. Novembr. | 532 |


---

*Errores operarum hi ſunt emendandi:*

Pag. 35. lin. 19. pro 1746. lege 1756. Pag. 60. lin. 17. pro *Empyricorum* lege *Empiricorum*. Pag. 81. lin. 13. pro *em* lege *emi*. Pag. 135. lin. 32. pro *divis* lege *diris*. Pag. 187. lin. 2. pro *plara* lege *plura*. Pag. 230. lin. 8. pro *pluſculas* lege *pluſcula*. Pag. 558. lin. 17. pro *eruditiſſimis* lege *eruditiſſimus*.